R.P. ANTONII
DE ESCOBAR
ET MENDOZA
VALLISOLETANI,

è Societate IESV Theologi,

AD EVANGELIA TEMPORIS

COMMENTARII PANEGYRICIS
MORALIBVS ILLVSTRATI.

VOLVMEN TERTIVM.

Lignum vitale Christi colloquia.

PRODIT NVNC PRIMVM.



LVGDVNI,
Sumptib. Hæred. Petri Prost, Philippi Borde,
& Laurentij Arnaud.

M. DC. XLVIII.

CVM SVPERIORVM PERMISSV.

ILLVSTRISSIMO D.

D. PETRO CARILLO REGII VALLISOLETANI

Senatus olim Præsidi, nunc Salmanticensi Episcopo.

CÆSAREM Ausonius suis carminibus Protectorem dum adiret, causam reddidit: *Quis nisi Diuorum numero aptatus, poterit libellum ab obtrectatorum linguis calamísque incolumen adstruere?* Si Diuus requirẽdus ad Voluminum protectionem, ad te PRÆSVL ILLVSTRISSIME, propero, quem Dei egregium video æmulatorem. Pendens Themistius, cur suus Protector Licurgus fuerit Deus Appollinis vocitatus oraculo, profatur: *Quæ cum ita sint, quid in Licurgo tandem animaduerti, cuius gratia Deum potius, quam hominem appellandum censerem? Nobilitatem nimirum, virtutem, sapientiam, facilitatem, atque pietatem, harumque omnium principem humanitatem, cuius vnius beneficio Proceres ad Dei similitudinem accedunt.* Suffunderer planè rubore, si stemmatis tui curarem gloriam exponere notam cunctis, cum videant mores tuos, ingenium tuum nobilitatis iubar superare: vt cum Enodio scribam: *Fulgorem stirpis morum radiis obumbrasti, vincens decorem sanguinis vita claritate, dum coruscantem germinis tui lampadem actuum serenitate transcendis, & factus es stemmatis victor tui, per quod plerosque mortalium nascendo superasti.* Vnde si virtutem ac sapientiam tuam experierim memorare, hoc mea in te obseruantia tua auctoritate perficies, vt quæ interminabilem desiderabant orationem, ea strictim, & festinatò percurram. Qualem te in primis annis, cum liberior viuendi potestas esse potuit, exhibueris, cum præsens ipse viderim, alienis testimoniis non indigeo. Quemadmodum reliquum ætatis cursum institueris, confecerísque

Auson.

Themist. orat. 5.

Ennod. in vita Antom.

ſemper tibi conſtans, & ſimilis, tot teſtes,quot habuiſti in illuſtriſſimo S.Crucis Valliſoletano Collegio ſpectatores, æmulatoreſque ſocios. Quo fueris ingenio, quàm acri, quam fœcundo, quàm in eo à te inito diſciplinarum omnium curriculo conſtanti, nouit Valliſoletana Academia, quæ iterum re ac ſæpius vtriuſque iuris facultates docentem audiuit. Hinc te ad Doctoralem Cathedram Illuſtriſſimæ Eccleſiæ Valliſoletanæ ordo ſacer aſſumpſit, cui tuam doctrinam, atque prudentiam ita probaſti, vt ſi quis incideret nodus, qui ingenij prudentiæque requireret dexteritatem, te vnum curatorem, vindicemque expectaret. Id certè tuum ſemper commendauit ingenium, ſapientiam collaudauit,quod nullam Cathedram aſcenderis niſi totius communitatis plauſu: vt dicat Enodius: *Taceo Vniuerſitatis in tuis electionibus conſonantiam, & diſcretarum Nationum concordem ſententiam non reuoluo. Statuat iſta loco laudis, cui non ſuppetit, quod poſſit prædicare de moribus.* Poſtquam igitur triumphalis currus tuam ſapientiam oſtentauit Hiſpaniæ, vt poſſet & exteris Nationibus obiicere: ei adiicitur Rota, quæ Fortunæ Rotam aſſolet continere. Huius cauſa Romam profectus, atque ibi diù moratus iuſtitiæ ſingularis tam Eccleſiæ Principibus, quam bonis omnibus præclarum, ac gratum documentum præbuiſti. Illud non omittam de tua iuſtitia teſtimonium, quod cùm ad Regij ſenatus Valliſoletani ſupremam ſedem Præſes aptiſſimus, qui tantam promoueret antiquam gloriam, quæreretur, tua inſtante fama, procul & de vltimis finibus tuum pretium adducitur: & te Hiſpania apprimè adiudicauit idoneum, quem in magnam prouinciam ſufficeret. Certè qui res Hiſpanicas moderantur, & curant, dum te viderent Præſidem Paſtorem agere, pauperum cauſas benignè gerere, *inter epulas* (vt cum Bernardo loquar) *eſurire, inter veſtes pretioſas algere, paupertate premi inter diuitias, quas offert mundus, quas deſiderat iſte noſter appetitus*, adiudicauit, te muneri agnatum Pontificio, ideo te à Præſide Salmanticenſem abripuit in Præſulem. Iam verò tuam Deitatis æmulatricem facilitatem, humanitatemque compello, nè videar opuſculum hoc tuæ magnitudini præſentare, *Deum* enim *& exigua oblationes honorant, quibus exultat, modò non deſit prompta clientibus voluntas*: vt Nazianzenus obſeruauit. An poſſit mea voluntas prompta requiri? Vtinam hoc meum de tua nobilitate, virtute, ſapientia, iuſtitia, humanitateque iudicium quantum habet à veritate, tantum auctoritate ponderis haberet, vt quem admodum Hiſpania, & Italia quantum valeas agnoſcunt:

Enod. orat. de S. Laur. Epiſc.

Bern.

Nazianz. orat. de Cæſarij fun.

ſic

ſic etiam hoc noſtro teſtimonio (quod ad externos proculdubio perueniet) cognoſcant externi! Erit tamen qualecumque eſt, ſi minus tuorum meritorum, mei tamen à prima ætate in te ſtudij quam maximum potui exhibere teſtimonium, dum opus hoc offero exiguum, & rude. Quod ſi illud admittere non dedignabere, & magnam rei exiguæ auctoritatem addideris, & quem retineas, in noſtram ſocietatem animum multis iam anteà probatum teſtimoniis nouo argumento confirmabis. Vale Salmanticenſis Eccleſiæ Moderator illuſtriſſimæ, quem nobis Deus, Reique publicæ diù ſeruet incolumen, vt hyacinthinas Epiſcopales veſtes videamus Romana, pro meritis, ſacra purpura rubricari.

Tui obſequentiſsimus,

ANTONIVS DE ESCOBAR,
ET MENDOZA.

AD LECTOREM.

Tertium iam germinat lignum vitale in tempore ſuo, nempe Chriſti (Dei verè) colloquia, quæ quidem ſcientiæ boni, & mali dogmata, ſuauiſſimos fructus, oſtentant, vt Malum fugias abſumere, ex quo mala: Mali autem inter ligna ſyluarum, ex quo bona, fructus decerpas.

II QVIDEM:

1. Colloquium cum Diſcipulis Ioannis.
2. Cum Doctoribus Ierosolymæ.
3. Cum peccatricibus Samaritana, & Magdalena.
4. Cum Iudæis apud Templum flagellans mercatores.
5. Cum Phariſæis apud Gazophylacium.
6. Cum Iudæis, feſto mediante.
7. Cum Philippo, & turba.
8. Cum Diſcipulis de triumpho Ieroſolymitano.
9. Cum ipſis poſt Reſurrectionem.
10. Cum Phariſæis capere eum in ſermone procurantibus.
11. Cum Centurione.
12. Cum Chananæa.

Horum ſi fructuum ſuccum percipias ab æterna quidem eſurie liberaberis, dulcedine potitus æterna.

R. P.

R. P. Prouincialis Prouinciæ Castellanæ Facultas.

EGO FRANCISCVS ANTONIVS Societatis IESV in Prouincia Castellæ Præpositus Prouincialis, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre nostro Vincentio Caraffa Præposito Generali facultatem facio, vt Operis inscripti *In Euangelia Temporis Commentarij, illustrationes, moralésque obseruationes circa litteram: Authore P. Antonio de Escobar Vallisoletano nostræ Societatis Theologo, Tomus tertius & quartus in Euangelia Temporis*, eiusdem Societatis grauium, Doctorúmque hominum iudicio approbatus typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Vallisoleti in nostro D. Ignatij Collegio die 28. Iulij, 1646.

FRANCISCVS ANTONIVS.

APPROBATIONES.

NOs infra signati Doctores in Theologia Facultatis Parisiensis pervoluimus *in Euangelia Temporis Commentarios, illustrationes, moralésque obseruationes circa litteram R. P. Antonij de Escobar & Mendoza, è Societate* IESV, nihilque reperimus Orthodoxæ fidei nec bonis moribus contrarium; imò omnia planè & maximè Concinnatoribus vtilia. In quorum fidem nostrum chirographum apposuimus huic tertio & quarto Voluminj hac vigesima die Februarij anni Domini 1647.

FR. STEPHANVS MOLIN, Carmelita.
FR. PAVLVS LOMBARD, Carmelita.

VISA

VISA per nos RR. Patrum in facultate Parisiensi S. Theologiæ Doctorum authentica Approbatione & Attestatione, qua asserunt Paraphrases, Obseruationes & Panegyricos Morales in Euangelia Temporis, hoc tertio & quarto Volumine contentos, R. P. Antonij de Escobar & Mendoza, è Societate IESV, esse orthodoxæ fidei & bonis moribus ex toto conformes, prælo demadandos quoque meritò censemus. Lugduni 20. Februarij, 1647.

DE-VILLE, Prouic. Gen.

Facultas R. P. Præpositi Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Lugdunensi.

CLAVDIVS MAVCLER, Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. Henrico IV. & Ludouico XIII. concessum, quo omnibus interdicitur editione ac diuenditione librorum ab hominibus eiusdem Societatis conscriptorum, nisi Superioris consensus accedat; annuo vt Hæred. Petri Prost, Philippi Borde, & Laurentius Arnaud, excudant ac diuendant lucubrationes Antonij de Escobar & Mendoza Societatis IESV, ad Euangelia Temporis tomus tertius & quartus. Scripsi Lugduni 10. Februarij, 1647.

CLAVDIVS MAVCLER.

PANEGY

PANEGYRICORVM MORALIVM
Tertij Tomi in Euang. temporis Syllabus.
IESV COLLOQVIA.

Duodecim Dominici ligni vitalis Fructus.

Fructus primus.

FRVCTVS PRIMVS.

Colloquium cum Discipulis Ioannis.

1. PANEGYRICVS I.

Ex Ioannis Nuncio.

Lib.1. sect.1. num.16. pag.7.

Observatio I. IOANNEM eximium Prædicatorem veritas vinculis illigauit. *Pulcherrima enim veritas horribiliter desæuit in Diuos.* n.16.p.7.

II. Ioannes, id est, Gratia, seu sanctitas in vinculis aptè obiicitur. *Quia quò sanctior quis, eò dirioribus laboribus assolet agitari.* n.23.p.8.

III. Ioannes vinculis hominum perditissimorum cinctus, non peruertitur: sed velut in deserto constitutus cœlestia negotia gerit. *Edocent Religiosos Euangelij ministros, posse securitate frui, dum inter peccatores commorātur.* n.31.p.9.

IV. Ioannes à carcere nuncium ad Dominum immittens, velut præsenti loquitur. *Quia laborum sustinentia haud potest a Dei præsentia separari, Deum trahit ad vincula.* n.39.p.10.

V. Non solùm quæ audierant, sed quæ viderant miracula, vult Dominus à Discipolis Ioanni renunciari. *Vt doceat, quàm fallaciter testari soleat, qui vnico sensu teste, audet proximorum flagitia peruulgare, aut saltem credibilla esse putat.* n.44.p.11.

VI. Non tam verbis, quam operibus respondet Dominus se Messiam verum. *Testimonium enim à rebus, ab operibus credebilius existit.* num.52.p.12.

VII. Curat Ioannes Discipulos mittere ad Saluatorem, studens illorum vtilitati. *Præclari enim Præsulis, Domini, ac patrisfamilias est, subditos, ac filios suos ad Dominum adducere.* n.58.p.12.

2. PANEGYRICVS II.

Ex Ioannis elogio.

Lib.1. sect.2. num.10. pag.15.

Observat. I. CORam Discipulis Ioannis Christus Præcursoris elogia non prædicat, fugiens adolator haberi. *Nam qui adulatur, magis persecutor, quam laudator ostenditur. Ideo Domino adulationis vitium maximè inuisum.* n.10.p.15.

II. Christus Ioannem laudatorem mirificè commendat. *Edocens nobilitate conspicuos longè debere superare laudatores, benefactoresque suos in laudum, ac beneficiorum retributione.* n.18.p.16.

III. Ioannis augustissima constantia à Domino prædicatur. *Æterna etenim salutis negotium viros expetit constantia præditos: Agnati damnationi inconstantes.* n.26.p.17.

IV. Ioannem asserit Dominus mollibus non indui vestimentis, vt eius adstrueret innocentiam. *Porro quia molles vestes culpæ sunt argumenta.* num.32.p.18.

V. Angelici Præcursoris elogia perstringo. *Super omnes Diuos Ioannem ascendere, ad spirituam properare naturam, Deifica quodammodo decorari ostendo.* n.39.p.19.

FRVCTVS SECVNDVS.

Colloquium cum Doctoribus Ierosolymæ. Fructus secundus.

PANEGYRICVS I. 1.

Ex Pueri amissione.

Lib.2. sect.1. num.14. pag.25.

Observatio I. IESVS à Parentibus sanctissimis abstrahitur, & ab eis absconditur cum impensè Deo litant obsequium. *Ergo non ira, sed amoris documentum est, Deum nonnunquam simulare recessum, animumque iustum absentia distorquere.* n.14.p.25.

II. Potuit remanere IESVS, insciis Parentibus, quia de more seorsum viri, seorsim fœminæ incedebant. *Quam prouide lex curauit viros à periculosissima animi peste ex fœminarum collocutione liberare: Qui non est Deus, liber non est vulnere.* n.21.p.26.

III. Deipara à dilectissimo Filio passa est vna integra die separari, vt comites queis hærescere putabat, eius proficerent societate. *Nec enim laudabiles aliquorum spiritus (seu aptius vocitem auaritiam) qui sibi satagunt Deum, seu cœlestia dona retinere, proximorum non curantes vtilitatem.* n.31.p.27.

IV. Prouidentissimè Virgo adiudicabat, IESVM inter cognatos, & notos commorari. *Vt Magister cœlestis edoceret, speciali studio propinquis benefacere.* n.37.p.28.

V. Dum cognati, ac noti non indigent subsidio, IESVS inter cognatos, & notos non inuenitur. *Edocens spirituales viros, à cognatis recedere, si perfectionis viam velint inoffenso pede percurrere.* n.43.p.29.

VI. Edocent nos Parentes IESV, amissum Dominum requirere. *Nullus lapis non amouendus, vt Deum per crimina amissum, inueniamus.* n.49.p.30.

2. ## PANEGYRICVS II.

Ex Pueri inuentione.

Lib.2.sect.2. num.28. pag.34.

OBSERVAT. I. EDocet Deipara, IESVM à peccatoribus cum dolore, ac labore quærendum. *Deus enim laborantibus, & plorantibus illicò manifestatur.* n.28. p.34.

II. Si in Ionæ ceto Maria IESVM quæsisset, inibi inuenisset, mysticè residentem. *Quia ibi adest Deus, vbi fideles laboribus agitantur, Templum enim Dei sunt, in quo oportet filium Dei esse.* n.34.p.35.

III. Principes, Reges, Præsules, ac magni quique debent IESV subdito parentibus circa obedientiam egregia facinora litare. *Deus subditur hominibus, & dedignaris obedire maioribus?* n.40.p.35.

IV. An vile Iesu Dei Filio, Parentibus hominibus obedientiam præstitisse. *Absit, obedientia enim quid augustum est, vel viles homines maximè illustrans.* n.47.p.36.

V. Viam proficiendi IESVS edocet obedientiam esse. *In Religione quidem ille virtutibus fulgentior apparet, qui virtuti obedientiæ plus addictus obiicitur.* n.53 p.37.

VI. Priùs IESVS apud Deum, quàm apud homines proficiebat sapientia, & gratia. *Edocens nos, non prius curare placere hominibus: sed Deo; post quem licet dare studium hominibus (in ipso) placendi.* n.62.p.38.

Fructus tertius. ## FRVCTVS TERTIVS.

IESV *colloquia cum Peccatricibus.*

1. ## PANEGYRICVS I.

Ex aqua Viuente.

Lib.3.sect.1. num.39. pag.50.

OBSERVAT. I. CHristus fatigatione afficitur, quia ad dilectam Samaritanæ fœminæ animam properabat. *Nec enim potest se verè probare amantem, qui non patitur.* n.39 p.50.

II. Sedet supra fontem, vt sitiens Samaritanæ fidem spirituali æstui occurrere possit. *Suum animarum, qua Dominus numquam non succenditur, confirmo.* n.38.p.51.

III. Cœlestis auceps IESVS, vt illiget Samaritanam, fatigationum, ac laborum laqueos præparat. *Et quis non se captum profiteatur, dum Deum pro se actum laboribus obiiceris?* n.45. pag.52.

IV. Huiusce mulieris nomen Ioannes non expressit, quia libidinis morbo laborabat. *Luxuriei addicti, indigni ob vilitatem, qui nominentur.* n.50.p.52.

V. Vbam Samaritidem quæsiturus Dominus fatigatus aduentauit. *Vt exprimat, sudores suos & labores sic vni impendere animæ, ac omnibus simul.* n.58.p.53.

VI. Fatigatus Dominus sedit supra fontem, & sic fatigatus obiicitur, vt accessit. *Quia nulla mundi requies vera, nulla à labore in terra quies.* n.67.p 54.

VII. Post tot libidinis documenta misera Samaritana haud exierat ab statu seruili. *Hæc enim merces earum, quæ libidini seruiunt, semper premi inopia.* n.74.p.55.

VIII. Ad impudicam vnam fœminam conuertendam, Dei virtus defatigatur. *Ac si luxuries meretriculæ aliis perniciem ministrantis, totius iniquitatis gerat epilogum.* n.82.p.56.

IX. Petit vt det, aquæ Dominus sitiens expetit, vnda exigua donari, vt cœlestis pelagi impendat vbertatem. *Eleemosynæ hinc incrementa contemplare.* n.89.p.57.

X. Vitæ huius voluptates profundo recluduntur in puteo; quàm difficilè hauriuntur! *Quàm stultus, qui post vitiorum immensos labores, æterno labori est addicendus!* n.96.p.58.

XI. Virum Dominus vocauit Samaritanæ amasium, ne delinquentem pulsaret verecundia. *Edocet Præsules, ac spirituales parentes subditorum aperire delicta, sine pudore peccatoris.* num.103. pag.59.

XII. Qui peccatores alios solebat donare venia haud præmissa reprehensione: adulteram Samaritidem acriter reprehendit. *Adulterium enim graue admodum piaculum, ad iracundiam prouocans Conditorem.* n.109.p.60.

XIII. Aquæ putei illius, quo voluptas seculi, ac bona mundialia exprimuntur, haud Samaritidis sitim extinguebant. *Bona enim mundi, & secularis voluptas sitim adaugent.* num. 119. pag.61.

XIV. Qui ex fonte cœlestium bonorum potatur, numquam sitit, quia verè impletur. *Bonorum cælestium stilla qualibet fontes offert satietatem.* n.25.p 61.

XV. Vir ille maritus erat Samaritidis Impudicæ, ideo planè impudica fœmina erat, quin ille non suus erat vir, sed alteri hærebat amasiæ. *Qualis enim coniux ostenditur, talis alter assolet ostentari.* n.133.p.62.

XVI. Dominum Samarites Christum appellat, cùm expetit ab eo aquam viuentem accipere. *Reuerentia enim præmissa, facilè à Deo impetrabis, quidquid oratione requisieris.* n.138. pag 63.

PANEGYRICVS II. 2.

Ex Samaritanorum conuersione.

Lib.3.sect.2. num.26. pag.67.

OBSERVAT. I. MIrabantur Discipuli, quod Christus Sacerdos magnos Sacerdotum Princeps cum vili haud bonæ famæ muliercula sermonem texeret,

tu, ignari mysterij. *Quid Sacerdoti cum mulier-cula impudica? qui Ecclesia ministro cum meretri-la, dum eius spiritualis salus non geritur?* num.26. pag.67.

II. Videntes Discipuli Dominum cum sola fœmina commorari, mirati sunt putantes magnum inesse mysterium. *Mouentur viri ca-stitatis amatores, cum fœminis fugere solitudinem.* n.34.p.68.

III. Post diuturnum colloquium Samarita-na conuertitur ad Deum, qui assolet alios pec-catores vnico verbo adducere. *Vnde colligo quam difficilè praua circa delicias consuetudo superatur.* n.44.p.69.

IV. Samaritana non promittit Christo, se ad meliorem frugem recipiendam: sed facto ipso vitæ mutationi dat operam. *Taxans eos, qui sese promissionibus vacuis deludunt circa pœniten-tiam gerendam.* n.51.p.70.

V. Obediens Dominus Patris voluntati, non potest esurire? *Edocet, omnibus abundare eum, qui soli impletioni voluntatis Dei studium impendit.* n.58.p.71.

VI. Ecclesia aptè frugum nomine signa-tur, quæ quidem triticum cum paleis ex-ponunt. *Ne mireris, si iustos aspexeris im-perfectionibus subiacere obnoxios.* numero 63. pag.72.

VII. Dum Dominus aperit Samaritanæ sine velamine piacula, illa in meliorem fru-gem recipitur. *Hinc edisce, ideò peccatores fortasse non conuerti; quia prædicatores haud aper-tè vitia taxant, sed inaurare curant.* numero 69. p.73.

3. PANEGYRICVS III.

Ex Magdalenæ conuersione.

Lib.3. sect.3. num.29. pag.80.

OBSERV. I. PRæstantissimum diuinæ po-tentiæ IESV documentum fuit, peccatricem esse conuersam. Ideò Euan-gelista præmisit particulam, *Ecce. Profectò mihi præstantius argumentum est, vt Christum Dei filium profitear, conuertisse ad se peccatores, quam mortuos suscitasse.* n.29.p.80.

II. Magdalena appellatur Meretrix, non quia scortaretur: sed quia nobilis mulier vni amasio se tradidit. *Porro quod est communi fœmina omnibus se indifferenter tradere, est nobili ad infamia notam, vel ob impudicitia actione se se maculare.* n.35.p.81.

III. Cognitio seu meditatio IESV accum-bentibus in mensa Eucharistica sufficit, vt im-pudica Magdalena nuncium remittat volu-ptati. *Alliciantur ad frequentem Communionem, qui luxuriei flamma absumuntur.* numero 41. pag.82.

IV. Magdalena conuersioni illicò, vt co-gnouit, seu audiuit Dei vocem, studuit, haud differre curauit. *Quia illud ipsum, mox non exe-qui Dei vocem pœnitentiam mouentis, idem est, ac præcordia obdurari.* n.48.p.83.

V. Magdalena nuncium voluptati remit-tit, cum poterat indulgere voluptati. *Ta-xans eos, qui ex impossibilitate peccandi curant agere (haud semel fictam) pœnitentiam.* num.54. pag.84.

VI. Huiusmodi pœnitudinis portentum penè cœpit in Magdalena, & in ea quodam-modo terminatur. *Ne dum videris peccatorem magnum fuisse venia donatum, fallaci fortasse spe affectus audeas adhuc indulgere peccatis.* num.61. pag.85.

VII. Retrò stat verecundiæ diro vulnere affecta, vt pudoris martyrium litet Saluatori. *Pudor enim perpetrati criminis apud nobilis animi præcordia diro vulnere superat grauitatem.* n. 66. pag.86.

VIII. Nec aliena domus, nec conuiua-rum apparatus, nec pudor fœmineus Magda-lenam ab vnguentis recedentem impediunt, ne faciliter accedat ad Christum. *Corde enim idola qui proiicit, facillimè Domino colligatur.* num.74. pag.87.

IX. Magdalena incipiens à lacrymis, illicò inestabilia virtutis incrementa exponit. *Com-pendiaria enim lacrymarum via ad sanctitatis ver-ticem.* n.79.p.88.

X. Magdalena, vt deperditam possit gra-tiam recuperare, multa præstat obsequia. *Quia restauratio gratiæ non sine ingenti labore perficitur.* n.85.p.89.

4. PANEGYRICVS IV.

Ex Magdalenæ impugnatione, & defensione.

Lib.3. sect.4. num.16. pag.92.

OBSERV. I. PHarisæus temerè iudicans IESVM, ac Magdalenam, manifestè mendax obiicitur. *Et quando temera-rium iudicium à mendacij piacalo liberaretur?* n.16.p.92.

II. Confundat Christus Pharisæum mur-muratorem, munificè Magdalenam collaudat. *Detractio enim assolet, haud proximi famam læde-re, sed eum mirificè efferre præconiis.* numero 23. pag.93.

III. Amor IESV in Magdalenam con-uersam eum excitat ad eius laudes vberrimè proferendas. *Quidquid enim amantibus aspe-ctatur oculis, optimum planè exponitur. Porrò in diuina dilectione, meritò.* n.31.p.94.

IV. Pharisæus ipse Magdalenæ impudici-tiam velut Propheta taxat. *Quiuis enim aliena luxuriei se Prophetam ostentat. O censorum falsa iudicia.* n.37.p.94.

V. Iubetur Magdalena, à via veritatis in viam scandali vlterius non labi. *Periculosum enim est pœnitenti, vel solum respicere statum priorem.* n.44.p.95.

VI. Nec bellum vult Deus à Magdalena pristinis indici voluptatibus. *Hostis enim luxu-ries non bello adorto, sed fuga vincendus.* num.52. pag.96.

VII. Peccatrix in ciuitate scandalum om-nino iubetur auferre. *Qui non curat occasiones fugere, haud potest vera pace potiri.* numero 57. pag.96.

Fructus quartus.

FRVCTVS QVARTVS.

Colloquium IESV *cum Iudæis apud templum, flagellatis Mercatoribus.*

1.

PANEGYRICVS I.

Ex profanatorum Templi punitione.

Lib.4. sect.1. num. 14. pag.103.

OBSERVATIO I. IErosolymam veniens Dominus, illicò ad Templum se recipit, & dum à Dei laudibus incipit, miram perficit aduersus Templi profanatores victoriam. *Edocent a negotiatione spirituali incipiendum esse, vel ad temporalium prosperitatem negotiorum.* n.14.p.103.

II. Subuertuntur mensæ, disperduntur boues, & oues eorum, qui Templa non verentur profanare. *O quàm labilis Respublica, ubi ciues Templorum religioni non student?* num 19. pag.104.

III. Christus diuinus prorsus ostenditur, dum omnes funiculo complicato è Templo exturbat. *Et quando non diuinus obiicitur, qui sacerrimo Templo licet reuerentiam?* numero 24. pag.105.

IV. Acriter & flagello & verbo vulneratos IESVS Templi profanatores meritò exturbauit. *Quia domum vitæ domum mortis sibi constituebant.* n.30.p.106.

V. Sacerdotes ementes, & vendentes Christus meritò flagellauit. *Grauissimum enim piaculum, grauissima agnatum vindicta est, in Ecclesiasticis muniis lucris temporariis studere.* numero 36. pag 107

VI. Ex funiculis Christus flagellum fecit peccatoribus è Templo deturbandis. *Deus enim noster ex criminibus flagella ad supplicium componit.* n.42.p.108

VII. Præstantissimo Christus miraculo vendentes, & ementes, è Templo exturbauit. *Exitialem admodum peccatorum societatem quasi timent, horrens peccati consortium, vt nos doceat à prauis sociis seiungi.* n.48.p.108

2.

PANEGYRICVS II.

Ex Iudæorum querimonia.

Lib.4. sect.2. num.14. pag.111.

OBSERVAT. I. QVerimonia Iudæorum de effusæ pecuniæ dolore exorta est. *Nil enim sic compungit auaros, quam pecunia eis lucra prohiberi.* n.14.p 111.

II. Christus ostendit se potestatem, ac dominatum in Iudæos habere, quia pro eis moriturus. *Ille enim verè Dominus ostentatur, qui subditis amoris exponit documenta.* numero 23. p.112

III. Licet quadraginta & sex anni minimè impensi sunt Templi ædificationi, verè asseritur, quadraginta & sex annis ædificatum; quia Regum desiderium pro opere computatur. *Edisce, te posse desiderio permagna operari.* n.29.p.113

IV. Nec credentibus Iudæis in eum se credebat Christus, quia agnoscebat humani cordis mutabilitatem. *Nullus adeò instus, ac perfectus securus a casu, nullum tutus omnino locus homini fragili, mutabili.* n.34.p.115

V. Christus semetipsum non credit eis, qui non crediderunt, speciatim sedentibus oum mulatiis. *Quia peccatores publicè sedentes, & diuulgantes crimina scandalo oborto, specialissimè inuisi sunt Conditori:* n.42.p.115

FRVCTVS QVINTVS.

Fructus quintus.

Colloquium Iesu cum Pharisæis apud Gazophylacium.

PANEGYRICVS I. 1.

Ex mundi luce Christo.

Lib.5. sect.1. num.9. pag.120.

OBSERVATIO I. DVm Christus se mundi Lucem esse affirmat, nos à peccatorum tenebris liberandos asserit. *Vera lux, mentis oculos aperit, ad peccatorum cognitionem.* n.9.p.120.

II. Christus verax sapientiæ lux. *Vera sapientia non solum mentem illuminat, sed & voluntatem ad virtutem succendit.* n.16.p.121.

III. Necessarium est, sequentem Christum lucem, in peccati tenebris non ambulare. *Peccati enim tenebra cum* IESV *fulgentissimo luminari vna in sede non commorantur.* num. 22. p.121

IV. Magisterium Iesu appositè almæ luci comparatur. *Magistri Euangelici mundi lux, fulgentissima queadmmodo Deitate conspicui.* n.27. pag.122.

V. Non Palæstinæ, Iudææ, Galilææ solum, sed totius mundi lucem se existere Dominus affirmauit. *Edocens, dum omnium se Deum, ac Dominum communiter profitetur: Præsules omnium futuros subditorum.* numero 35. pag 123

VI. Christus se non Solem asseruit, sed lucem omnium fontem fulgoris. *Vt ostendat, Dei famulos, speciatim Ministros Euangelij, subiectos non esse Stellarum influxui, sed Dei solius subiacere ditioni.* n.43 p.124

VII. Deus lux vera non obscurat creata luminaria, quæ quidem, præsente Domino, lumen habent. *Edocet Iesus creata sydera, quemammodo debeant elucere sine aliorum claritatis imminutione* n.49.p.125

PANEGYRICVS II. 2.

Ex Pharisæis tenebris.

Lib.5. sect.2 num.15. pag.128.

OBSERVAT. I. POstquam Scribæ, & Pharisæi, qui adulteram mulierem adduxerant recessere, adsunt adhuc, qui calumniandi, ac detrahendi Saluatori officium explent. *Quando, precor, vel apud domesticos, calumniatores, aut murmuratores Regi, Domino, aut parenti defuere. Imo Deum calumnia audet vulnerare.* n.15.p.128

II. Christus

II. Christus fert testimonium de se ipso Luce mundi, quod sapientes Hebræorum Magistri non cognouere. *Quia proprium est sapientia cœlestis, non intelligi ab omnibus. Stultitia planè documentum est intellectu facilem semper ostentari.* n.22.p.129.

III. Inuidi Pharisæi videntes IESVM diuinitus operantem, Deum esse non videbant. *Inuidia enim pressus homo agnoscere non vult ea ipsa, quæ videt pulchra, & dignoscit in proximo.* n.30.p.130.

IV. Christus Deus & homo aptè asserit, se non iudicare homines. *Humanitati enim IESV agnata omnimoda misericordia.* n.35.p.131.

V. Vt probet Dominus verum esse, quod de se ipso tulit, testimonium, asserit se Dei Patris Filium verum existere. *Deitati enim cognatum, veritatem proferre ac protegere.* n.42.p.132.

VI. Iudæi Christum IESVM non agnoscentes, nec habentes, Patrem consequenter non habent, & cunctis bonis necessariò priuantur. *Quia habens IESVM omnia possidet bona, & sine IESV misera laborat inopia.* n.48.p.132.

Fructus sextus.

FRVCTVS SEXTVS.

Colloquium IESV cum Iudæis festo mediante.

1.
PANEGYRICVS I.

Ex doctrinæ IESV defensione.

Lib.6.sect.1.num.14 pag.138.

OBSERVATIO I. Ascendit IESVS in Templum docturus non festo incipiente, sed mediante: ne audientium aures festi strepitu occluderentur. *Vt edoceat, quanta attentione; & reuerentia Dei verbum oporteat exaudire.* n.14.p.139.

II. Cùm mundi festiuitas vergit in finem, Christus in Templum ascendit, hominibus ostentandus. *Tunc enim homines oculos acuunt ad salutis negotia aspectanda, cum vitæ, felicitatisque temporaria finem instare agnoscunt.* num. 19. p.139.

III. Postquam Euangelista expressit Dominum ad Templum ascendisse, illicò adiecit doctrinæ, seu prædicationi operam dedisse. *In Templo enim nihil gerendum, quod ad Dei obsequium non attineat.* n.24 p.140.

IV. Pharisæi, qui poterant IESV admirabilem doctrinam laudibus efferre, taxant, proferre eum quod non didicisset: *Quam proprium inuidi, ac calumniatoris, ad præclara quæque proximi oculos claudere, ad defectus vel minimos aperire!* n.29.p.141.

V. Christus suam vocat doctrinam, quam docebat non suam; quia à se inuentam non esse, sed à Patre acceptam profitetur. *Vera enim sapientia non inflat Doctorem, sed eum efficit fulgere humilitate.* n.35.p.142.

VI. Rectè operantibus, id est, Dei voluntati obsequentibus vera scientia promittitur à IESV: *Ille enim vera sapientia fulgore adornatur, qui vita recta exprimit actiones.* n.42.p.143.

PANEGYRICVS II. 2.

Ex operum IESV defensione.

Lib.6.sect.2.num.21.pag.147.

OBSERVATIO I. Ineptè Legis Moysis transgressores Principes quærebant Christum ob legis violationem interficere. *Nam qui aliorum plectit delicta, omnino sese debet innocentem præstare.* n.21.p.147.

II. Sincera turba, quæ non agnoscebat Principum intentionem circa Christi necem: tribuit Dæmoni illud iudicium. *Agnatum enim dæmoni est, temerè de internis hominum intentionibus iudicare.* n.28.p.148.

III. Qui monuerat non iudicandam intentionem, edocet nec externam faciem esse iudicandam. *Quia semper errat, qui personarum solummodo facies intuetur, qui rerum aduocat superficies.* n.34 p.149.

IV. Vt Iudæi possent Domini animum horribiliter discruciare, eum dæmonium habere impudenter affirmant. *Nihil enim crudelius contumelia, ad præcordia nobilis, ac iusti hominis sauciandа.* n.39.p.150.

V. Soli Principes, ac Pharisæi mirabantur, siue turbabantur, tumultuabantur; Christus autem omnes præsentes quasi eodem crimine reos arguit. *Quàm prudenter! Certè obiurgatio Concionatoris, quo generalior, eò mitior est.* n.49. p.151.

FRVCTVS SEPTIMVS Fructus septimus.

Colloquium Iesu cum Philippo & turba.

PANEGYRICVS I. 1.

Ex Iudæorum commotione.

Lib.7.sect.1.num.16.pag.157.

OBSERVATIO I. QVanta cœcitate laborabant Principes cogitantes interficere Lazarum, quem suscitare poterat occisum, qui mortuum ad vitam reuocarat. *Et quando inuidia luminibus capta non ostenditur.* n.16.p.157.

II. Cogitant inuidi Principes non solùm Christum, sed & Lazarum de medio tollere. *Inuidia enim crudelissima lues.* n.23.p.158.

III. Non tapetibus viæ sternuntur, sed palmarum ramis, ad victoriam Domini celebrandam. *Deus enim non fuco, sed naturali compositione delectatur.* n.29.p.159.

IV. Principes Sacerdotum expetunt de medio tollere Lazarum, vt adulatione Cæsaris animum demulcerent. *Cuncti enim curant Principum auribus, profusa adulatione assentari.* n.35.p.160.

V. Si Rex à Sion filia recipiendus induceretur, asellum requirit ad equitandum. *Quia quò quis angustior, eo efficacius superflua reiicit, necessaria solummodo admittens.* num.47.p.161.

2\. PANEGYRICVS II.

Ex Gentilium accessione.

Lib.7.sect.2.num.16 pag.165.

OBSERVAT. I. POstulat Dominus ex Passione ac Cruce clarificari à Patre. *Passio enim & Crux clarificauit Christum, id est, cum fecit Dei filium ostentari.* n.16.p.165.

II. Christus turbatur, suscipiens in se membrorum suorum affectum. *Rex etenim, seu Præsul subditorum sustinet passiones, eorum ponderibus grauatur, compatiens ipsis.* num.22. pag.165.

III. Licet voluntate humana naturali Christus mortem non expeteret: voluntate deliberata Patris voluntati appetit, & efflagitat. *Edocens nos Patris cælestis imperiis difficilibus subiacere.* n. 30.p.166.

IV. Videtur Dominus dubitare de sua in Cruce exaltatione, *Quia aliquorum peccatorum malitia tanta est, vt vel Deo quodammodo impossibilis videatur.* n.39.p.167.

V. Non dixit, Mecum moretur, sed me sequatur, quia loquitur vitis studentibus perfectioni. *Perfecti enim Christi imitatores necessariè nunquam sedentem, sed semper ambulantem sequuntur.* n.46.p.168.

Fructus octauus FRVCTVS OCTAVVS

Colloquium IESV *cum Discipulis de triumpho Ierosolymitano.*

1\. PANEGYRICVS I.

Ex humili Christi equitatione.

Lib.8.sect.1.num.10.pag.174.

OBSERVATIO I. NOn equum, sed asinam Dominus elegit, vt sedeat, & triumphum agat. *Quia non sapientibus mundi, sed insipientibus Dei fuere reuelata mysteria, in sapientium confusionem.* num.10. pag. 174.

II. Discipuli ad asinam alligatam, id est, ad peccatores immittuntur. *Peccator enim miserè illigatur, turpissimè laborare cogitur.* n.26. p. 175.

III. Opus ne Deus vnico peccatore habet? Necessarius ne homuncio conditori? *Tanti ducit Deus vnum hominem, vt cum ipso quodammodo omnia possidere videatur: sine ipso nihil?* n.33.p.175.

IV. Mansuetus venit Rex, vt subditos homines facilius ad se adducat. *Nam mansuetudo Præsulis trahit subditos ad obsequium voluntarium.* n.39.p.176.

V. An aptè Propheta asserit Regem esse Christum, cum tam humili agnato agricolis rusticis, vtitur equitatu. *Ita plane, nil enim sic Principem, seu virum nobilem manifestat, ac humilitatis submissio.* n.47.p.177.

VI. Magna admodum cœlestis Regis dignatio, singulis hominibus venire, O iusti dignitas, qui potest proclamare. Rex Deus meus planè est! *Taxo Principes qui non sunt omnium singulariter subditorum.* num. 55. pag. 178.

VII. Sedens super asinam, siue pauper incedit, dum triumphat, non equum iubet afferri. *Sumptuum enim ostentationes cum peculio sunt mensurandæ.* n.61.p.179.

VIII. Commendat Euangelista Regis cœlestis gloriam, & subditorum exaltationis causam: dum aperit subditis venire. *Ille enim commendabilis Princeps, Præsul, qui non sui, non vnius, sed subditorum omnium vtilitati studet.* n.69.p.180.

PANEGYRICVS II. 2.

Ex ramorum ornatu.

Lib.8.sect.2.num.13.pag.182.

OBSERVATIO I. QVi vltrò ad passionis, ac Crucis ignominiam properabat, cur tanti triumphi gloriam ambit? *Profectò quia Crux tam gloriosa est, vt per gloriam ad ipsam sit pergendum. Si vel conatus ad labores beati, quid ipsi labores? O gloria crucis ineffabilis!* n.13.p.183.

II. Dum Christus sese vilem homuncionem ostentat sedens super asinam, à turbis mirificè laudatur. *Illa egregia laus, quæ ex alieno ore procedit: propria laudatio, vituperium.* n. 19. p.183.

III. Dum Rex noster pacificus ingreditur vrbem, à cunctis benedicitur. *Ille etenim Princeps dignus plausu qui subditos scit concordia, ac pacis vinculo colligare.* num.26. pag. 184.

IV. Non imprecantur turbæ sibi felicitatem, sed ipsi Regi Messiæ iusto. *Quare non & sibi? Verum quia iustus ac sanctus vir murus est Vrbis, Reipublicæ felicitas.* n.33.p.185.

V. Principem suum Domini Vicarium Iudæi Christum agnoscunt, & acclamant, dum eum aspiciunt ascensorem asini, seu humilitatis assertorem. *Humilibus enim agnatum Imperium plausumque excitat subditorum humilitas.* n.39.p.185.

FRVCTVS NONVS. Fructus Nonus.

Colloquium Iesu cum Discipulis post resurrectionem.

PANEGYRICVS I. 1.

Ex Christi relicta pace.

Lib.9.sect.1.num.18.pag.191.

OBSERVATIO I. DIscipuli, qui absente Domino conturbantur; præsente ipso liberantur à conturbatione. *Vbi Præsulum salutarem præsentiam commendo, absentiam exitialem taxo.* n.18.p.191.

II. Vt Discipulos metu affectos ex impugnatione Iudæorum reddat milites validissimos, eos pace donat. *Nihil enim sic præcordia roborat aduersus incommoda, quàm donum pacis.* n.30.p.192.

III. Vt Dominus, qui gloriosus resurrexerat, à Discipulis posset agnosci, ostendit eis non fulgores immortalitatis, sed mortalitatis stigmata. *Hominum enim proprium est, quod gloriosum est in proximo, seu Præsule non attendere; quod fragile & abiectum est, aspectare.* n.38.p.193.

IV. Reseruauit

IV. Reſeruauit Princeps noſter vulnerum cicatrices, vt creaturis ſobditis medicamenta præpararet. *Principis enim, Præſulis prudentiæ eſt, ſupponere vel probatiſſimos ſubditos poſſe ægrotare ſeu delinquere.* n.44.p.194.

V. Iterat Dominus pacis præconiom, vt oſtendat ſe Cruci affixnm fuiſſe, vti muodum pace vera donaret. *Ille etenim Princeps egregius eſt, qui abundantiori pace regnum donauit: non qui fortius cum hoſtibus certamen inſtituit.* n.49.p.195.

VI. Cùm Chriſtus Diſcipulos pace donat, oſtendit eis vulnera belli, quibus fuit acquiſita. pax. *Etenim pax non ſtabilitur, niſi poſt bellorum incommoda, poſt vulnerum pericula.* oumero. 54. pag. 196.

VII. Viſo IESV conſequentiæ vi Diſcipuli afficiuntur exultatione. *Nam IESV præſentia & animæ gaudium, neceſſariè vnà commorantur in ſede.* o.61.p.197.

PANEGYRICVS II.

Ex Thomæ reductione.

Lib.9. ſect.2. num.14. pag.200.

OBSERVATIO I. POſtquam pacis exhibuit abundantiam remittendi peccata poteſtatem dedit; quia ex libera à labe conſcientia vera hominis pax. *Peccatum enim verum animi bellum, omnium incommodorum eſt colligatio.* n.14.p.200.

II. Thomas ideò pacem non accepit, ſeu à peccato abſolutionem, cùm Diſcipuli receperunt; quia non erat cum eis. *Qui a communitate abſtrahitur ſingularitati ſtudens, communi ſalutari bono priuatur.* n.20.p.200.

III. Vt ſolum Thomam ab incredulitatis lupo eripiat Dominus iterum venit, & quaſi iterum vulneratur affectu. *Pro vno etenim homine, ſi oportet, rurſum Dominus totum profunderet cruorem, omne redemptionis pretium impenderet.* numer. 26. p.201.

IV Non percutit incredulum Thomam, ſed ei dicit. *Quia verbis dulcibus, non vulneribus peccatoris durities eſt emollienda.* numero 32. pag.202.

V. Quàm citò incredulis Thomas, fidei Magiſter Chriſticolis exponitur. *Profectò peccator obduratus licet, qui Chriſto accedit, citò deſinit eſſe peccator. O præſentiæ Dei emolumenta.* o.38. p.203.

FRVCTVS DECIMVS.

Fructus decimus.

Colloquium IESV *cum Phariſæis, capere eum in ſermone procurantibus.*

PANEGYRICVS I.

1.

Ex Phariſæorum quæſtione.

Lib.10.ſect.1.num.10.pag.208.

OBSERVATIO I. VT Phariſæi Chriſtum deciperent, viſi ſunt proficere poſſe, ſi Herodianos aulicos allocuturos cum immitterent. *Ad ſeductionem enim (ſi poſſibile eſſet)* IESV *nil aula accommodatius.* o. 10. p.208.

II. Exerunt Phariſæi dæmonis perſonam, qui qoidem vt tentet, genio ſe accommodat eorum, quos aggreditur. *Vbi de adulatoribus omnium ſeſe, inſtar dæmonis, guſtui aptantibus.* n. 18. p.209.

III. Optimus Princeps, Præſul, Iudex IESVS; cui nulla de aliquo cura, vt reſpiciat perſonam. *Edocentur Principes, Iudices, ſolum perſonarum aſpicere merita, aut demerita, non ipſas perſonas intueri.* n.30.p.211.

IV. Commendatio IESV prædicatoris docentis Dei viam in veritate, maxima perſonas non aſpicere. *Reges enim, Proceres, Equites, pauperes egregio Concionatori æqualiter obiiciuntur: non vt tales perſonæ, ſed vt peccatores.* oumer. 37. p.212.

V. De aliqoo mundiali commodo, diuitiis, honore non curat, qui veritatem poſſidet. *Veritas enim omnem theſaurum, cunctas diuitias ſuperat excellentia; qui verax eſt, diues eſt Vbi de præconibus veritatis.* oumero 44. p.213.

VI. Peſſimi hi Herodiani ſe ſimolant legis ioquiſitores, vt operiant oequitiam. *Iuſtorum enim proprium eſt, circa legis præſcripta excitare quæſtiones, Dei viam requirere, ſalutis greſſus veſtigare.* n.50.p.214.

PANEGYRICVS II. 2.

Ex Cæſarij tributi iuſtitia.

Lib.10.ſect.2.num.10.pag.216.

OBSERVATIO I. HErodianorum crimen aptè Dominus nequitiæ acri nomine deſignauit. *Tributorum enim exactores aſſolent reliquos peccatores iniquitate ſuperare. Mente Principes vectigalium exactiones peſtes eſſe Reipublicæ, pauperum expilationem.* numero 10. pag. 216.

II. Iuſta tributa Imperatoris ſunt. *Quia ad ſubditorum commoda erogantur.* num. 18. pag. 217.

III. Cæſari ipſi reddenda tributa, oon exactoribus. *Heu hac tempeſtate exactoribus redduntur tributa, imo ipſi ſibi vi deprædantur.* oumero 26. pag.218.

IV. Non ſont danda Cæſari, quæ Dei ſunt. *Vnde taxantur Principes, qui ab Eccleſiaſticis tributa exigere tentant.* numero 35. pag. 219.

FRVCTVS VNDECIMVS.

Fructus vndecimus.

Colloquium IESV *cum Centurione.*

PANEGYRICVS I. 1.

Ex Centurionis Fide.

Lib.11.ſect.1.num.19.pag.225.

OBSERVATIO I. VIri nobilitatem exprimit Euangeliſta, dum vocat Centurionem? aptius illam explicat Dominus, dum fidelem appellat. *Vera etenim nobilitas, non à maioribus, ſed à minoribus deriuatur.* o.19.p.225.

II. Abundans

II. Abundans Centorio millitibus se putat sine vllo famulo existere, dilecto vno dum priuatur. *Dominum exprimit sic vnius peccatoris amissione affici solitum, ac si omnibus hominibus priuaretur.* n.27.p.226.

III. Puerum suum Centurio iacere proclamat, compassionis affectu se ægrotare manifestans. *Diligens enim plus ex dilecti tribulatione afficitur, quam ex propria passione.* n.33.p.227.

IV. Si teste Luca, seniores, ac amicos rogatores immisit, quoommodo Matthæus asserit, ipsum acessisse, ac rogasse *An quia tunc veraciter nos rogare Dominum dicimur, quum adiunis mediatores, & simul operibus precamur.* numero 40. p.228.

V. Priusquam Centurio rogaret pro puero à calamitate liberando, amicos immisit prius rogaturos. *Tam necessaria Sanctorum intercessio, vt non debeamus audere ad Dominum ire, nisi amicorum præmissa precatione.* numero 45. p.229.

VI. Exprimit Centurio, se indignom ad Christum recipiendum, quia in domo eius forsan erant idola. *Hinc arguo, quanta sit puritate præmissa, dominicum corpus recipiendum.* n.51. p.230.

2. ## PANEGYRICVS II.

Ex Gentium vocatione.

Lib. 11. sect. 2. num. 9. pag. 232.

OBSERVATIO I. OB vnius Centurionis Gentilis laudes Christi expressas, sic eum Dominus laudat, vt quodammodo omnium fidelium ex Gentilitate patrem appellarit. *Edocet Dominus minima obsequia, beneficiis maximis esse rependenda, in commendationem gratitudinis.* numero 9. p.232.

II. Filij Regni, id est Hebræi Abrahæ filij excluduntur à Regoo, & Gentiles ignobiles admittontur. *Quia apud Deum illa nobilitas, illa propinquitas æstimatur, quæ ex virtute fulgurat.* n.15.p.233.

III. Quomodo Regni filij foras eiiciuntur, id est, à cœlesti regno deturbantur si nunquam intus extitit. *Profecto quia Dei promissio tam infallibilis est, (si obicem non apponat iniquitas) vt, executioni iam data videatur.* n.22.p.234.

IV. Fides Centurionis in vtilitatem famuli exondauit. *Quam commendabilis est ille, qui postquam proficit in meritis, curat proximorum studere acquisitioni.* n.30.p.235.

V. Meritò sanatur famulus, & Herus sanctificatur simul, & laudibus effertur. *Dignissimus enim præconio Dominus, qui scit famulo laboranti subuenire.* n.38.p.236.

Fructus duodecimus

FRVCTVS DVODECIMVS

Colloquium IESV *cum Chananæa,*

PANEGYRICVS I. 1.

Ex Chananææ precantis instantia.

Lib. 12. sect. 1. num. 19. pag. 242.

OBSERVATIO I. DE terra Genesar Christus recedit, fugiens murmuratores. *Cætus enim detrahentium nunquam non à se ablegat Saluatorem.* n.19 p.242.

II. Chananæa Christum requirens à pristinæ finibus vitæ debebat progredi. *Pœnitentes edocens omnino a criminum occasione recedere, si student vera affectus pœnitudinis.* n.25.p.243.

III. Mirum planè, Chananæam inter peccatores degentem tanta fide rutescere. *Innuitur, oportere iustos ab improbis separari, ne eorum nequitia inficiantur.* n.30.p.244.

IV. Si filiam miserabilem exponebat Chananæa, cur sibi misereri, à Domino precabatur? *Annon quia filiorum ærumnæ magis parentes, quam ipsos filios tolerantes assolent afficere.* n.27.p.245.

V. Pro filia à dæmone vexata meritò Chananæa mater graui dolore afficitur. *Edocens parentes spirituali filiorum incommodo discruciari, & diligentissimè adhibere vulneri medicamina* n.43. p.46.

VI. Cur Pater puellæ vexatæ à dæmone non venit, sed mater? *Certè quia fœmina velocius feruntur ad pietatis actiones.* n.51.p.247.

VII. Malè, id est, dirè admodum Chananææ filia vexabatur à diabolo. *Quam crudelis Tyrannus, quam horribilis hominum tortor! Hinc gehennæ diritas confirmetur.* n.58.p.248.

VIII. Non semel rogatus à Chananæa Dominos, vt sanitatem ægrotanti puellæ impertiretur, nihil respondit. *Profecto quia volebat sanitatem largiri. Nam parum assolet loqui, qui multum assolet operari.* n.65.p.249.

PANEGYRICVS II.

Ex Chananææ fidei commendatione.

Lib. 12. sect. 2. num. 9 pag. 251.

OBSERVATIO I. DIstolit Dominus Chananæam donare valetudine filiæ, vt illa preces multiplicaret. *Orationis enim instantia ita Deus delectatur, vt moras exerat elargitio, vti preces producantur.* n.9.p.251. 2.

II. Instat Chananæa, & vim quodammodo infert largitori. *Edocens, illos proculdubio Regnum cælorum consequi, qui vim facere Deo norunt.* n.15. p.252.

III. Ratione validissima obiecta Chananæa impetrat filiæ sanitatem. *Ratio enim apud Principes iustos plus valet qualibet intercessione.* n.20. p.252.

IV. Datur Chananææ catellæ filiorum panis, quia sese catellam esse professa est. *Quomodo enim poterat humilitas tanta sine tanta existere exaltatione.* n.25.p.253.

PANEGYRICORVM MORALIVM

Quarti Tomi in Euang. temporis Syllabus.

IESV SERMONES.

Duodecim Dominici ligni vitalis Fructus.

Fructus primus.

FRVCTVS PRIMVS.

Sermo de ieiunio.

PANEGYRICVS I.

Ex ieiunantis habitu.

Lib. 1. sect. 1. num. 7. pag. 263.

OBSERV. I. AIEIVNII virtute curat Dominus hypocrisim in primis ablegari. An delictorum maximum? Minimè planè, sed Deo maximè est inuisum. *Quia Hypocrita mendax, nequior diabolo, plenus satana; qui autem ab hypocrisi liber est, quasi omnium virtutum gloria fulget, velut ab omni liber iniquitate.* n. 7. p. 263.

II. Quàm indiuisibilis hypocritæ comes tristitia! *Qui enim mundo placere nititur, tristitia premitur; Dei obsequio harescit lætitia.* num. 14. p. 263.

III. Non dicit absolutè, Nolite fieri tristes: sed cum additamento, Nolite fieri tristes, sicut hypocritæ. *Edocens, solummodò eas laudabiles lacrymas, quæ ad diluenda crimina profunduntur.* n. 21. p. 264.

IV. Non qui facies exterminant, aut corrumpunt, vt appareant pœnitentes: sed qui verè exterminant corpus ieiuniis, & asperitatibus commendantur. *Vera enim pœnitentia non nititur apparentia fictione; sed operis asperitate.* n. 27. p. 265.

V. Dei seruus cùm ieiunat, aut quodlibet opus virtutis gerit, non hominibus, sed Deo soli placere satagit: ideo ad abdita fugit. *Edocemur opera iustitia occultare, vt soli Deo obsequentes, à Deo, qui videt in abscondito muneremur.* n. 33. p. 266.

VI. Non dixit, *Ieiunate*, sed *Cum ieiunatis*, supponens quidem necessariò ieiunandum esse fideli. *Certè qui ad certamina est arripiendus, de ingenio humanitatis, debet sese ieiunij armamento munire.* n. 42. p. 267.

PANEGYRICVS II.

Ex ærugine, tinea, latronibus, seu cineribus.

Lib. 1. sect. 2. num. 6. pag. 269.

OBSERVAT. I. NOn thesaurizabit in terra, quod ex epulo ieiunans detrahit, qui cuncta transitoria contempletur. *Mortis enim memoria nos efficit erga proximos subleuandos, admodum munificos.* numero 6. p. 269.

II. Æruginis, ac tineæ, id est, Cinerum aptè memoria geritur, cum ieiunium indicitur. *Facilis namque ieiunij molestia ei, qui cinerum recordatur.* n. 12. p. 270.

III. Metallorum fortissimorum mors est ærugo, ærugini subiacet fortitudo. *Docemur, mortem superbia nostra supercilia deprimere.* n. 17. p. 271.

IV. In ærugine, in tinea, in latronibus, seu in memoria Cinerum, Deus homini exhiboit aduersus omnes hostes inuisibiles armamentum. *Vndique si hostibus agitaris, cur memoria mortis gladium non stringis?* numero 24. pag. 272.

V. Mortis memoria ad abluendam conscientiæ faciem obiicitur. *Quia cinerum memor & se ab iniquitate expedit, & virtuti præstat obsequium.* n. 30. p. 272.

VI. Aptè memoria mortis sub latronis appellatione inducitur. *Latronis insidia nunquam non timenda, mortis memoria à mente nunquam ablegand.* n. 37. p. 273.

VII. Tinea purpureæ vestis mors homines efficit à superbia cadere. *Flocci enim facit honores, qui cogitat, se breui moriturum.* n. 43. p. 274.

VIII. Ærugo metallorum exitium, homines cogit ab auaritia, seu diuitiarum amore eripi. *Nihil enim pendit diuitias, qui cinereum terminum meditatur.* n. 49. p. 275.

IX. Latrones, seu deliciarum ac voluptatum terminus, à luxurie homines auertunt. *Nam meditatione mortis perierunt cupidinis artes.* n. 57. p. 276.

Fructus ſecundus.

FRVCTVS SECVNDVS.

Sermo de doctrina cum operibus.

1. PANEGYRICVS I.

Ex Phariſæorum doctrina, & operibus.

Lib.2.ſect.1 num.16.pag.282.

OBSERVAT. I. TVnc cùm Phariſæi errantes aliàs in doctrina ſe oſtentant, Dominus iubet, Diſcipulos exequi quod in Cathedra docent. Aptè quidem, quia dum conſidit in illis, eos quaſi cogit ad rectam doctrinam proferendam vel contra ingenium Phariſaicum. *Moneo Præſules, confidentia ſubditos cogi ad virtutem.* n.16.p.282.

II. Scribæ & Phariſæi docentes veritatem, aliis ſalutares erant, iniquè viuentes, exitiales ſibi. *Exprimunt planè illorum ſtultitiam Concionatorum, Magiſtrorum, ac Præſulum; qui curantes alios ad ſalutem adducere, ipſi addicuntur damnationi.* n.22.p.284.

III. Phariſæi grauia onera ſupra legis præſcripta ſubditis miſeris addere affectabant. *Vndè taxantur Præſules, qui præcepta, aut leges propriis aggrauant dictaminibus, ſubditorum planè exitio.* n.30.p.285.

IV. Monet Dominus ſuos Diſcipulos, ne audientes & gerentes quæ traduntur dogmata à Phariſæis, eorum opera non imitentur. *Facillimè enim imitamur Magiſtrorum, aut Præſulum exemplum, quod quidem lex viuens exiſtit.* n.36. p.286.

V. Vt Dominus vitia peſſima, innumeraque Phariſæorum exprimat, oſtendit, eos vanæ gloriæ vitio admodum eſſe addictos. *Nam qui vanus, ſeu inanis gloriæ cupidus eſt, ſe exprimit omnibus infectum piaculis, ſicut humilis, cunctis plenus virtutibus.* n.42.p.287.

VI. Vt Phariſæorum mores fugiat Chriſtianus, curet omnia opera bona gerere cautelâ tantâ, vt non poſſint ab hominibus videri. *Agnatum nempe virtutibus occultari.* n.49.p.288.

2. PANEGYRICVS II.

Ex Diſcipulorum Chriſti humilitate.

Lib.2.ſect.2.num.7.pag.290.

OBSERV. I. PHariſæorum Magiſtrorum vitium occumbere, ſedere, minimè laborare. *Taxantur, qui ex miniſterio Euangelico, quod laboris eſt, reiiciunt; quod commodi, aſſumunt.* n.7.p.290.

II. Quàm ſtoltè Phariſæi amant primo accubitui, aut cathedræ adſcribi, vt omnibus præponerentur. Verius primum locum obtinerent, ſi nouiſſimo amarent hæreſcere. *Humilitas enim neceſſariò ſuos eleuat amatores.* n.15.p.291.

III. Curat Dominus, Phariſæos ab exaltatione mentis, ſeu vanitate auocare, obiiciens neceſſariam exaltationis humiliationem. *Agnata enim eſt exaltationi, ac vanitati conturbatio, deiectio, confuſio.* n.22.p.292.

IV. Non taxantur Phariſæi, quod cathedras amarent, ſeu docere proximos expeterent: ſed quod primas cathedras honoris cauſa quærerent. *Euangelii miniſter non quærit, quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti.* n.29.p.293.

V. Monet Dominus Diſcipulos Dei filios effectos, rurſùm ad terrenam proſapiam minimè declinare. *Turpe enim Chriſticolæ Dei filio iterum ſe, admiſſo piaculo, terrenum profiteri.* n.35. p.294.

Fructus tertius.

FRVTVS TERTIVS.

Sermo de Prælatorum humilitate, ſeu pedum ablutione.

PANEGYRICVS I. 1.

Ex IESV occumbentis dilectione

Lib.3.ſect.1.num.26.pag.301.

OBSERV. I. PAſſionis hora ſpecialiſſimè nota Chriſto, & ſpecialiſſimè eius hora nuncupatur. *Dulciſſima enim tam egregio amatori hora, in qua pro hominibus liberandis pati deberet: nulla Domino in Paſſione, ac morte amaritudo videtur extitiſſe.* n.16.p.301.

II Venit hora lætitiæ, & Paſchatis Ieſu, cum venit mortis hora. *Verum enim Paſcha lætiſſimum planè tanto amatori, pro dilectis occumbere.* n.24. p.302.

III. Verè nos Dominus dilexit in finem, id-eſt, nihil prætermiſit, quod valdè deceret amantem. *Profectò verus amor non verbis, ſed operibus comprobatur.* n.32.p.303.

IV. Miris effectibus Dei Filius ſuum ineffabilem amorem declarauit. *Vbi deſcribo amantis veri conditiones. Cupit affici opprobriis exinaniri, ſeruire, pati ſolus, in amati commodum.* n.53.p.306.

V. Specialiſſimum ſuum erga homines Dominus diſceſſurus oſtentauit amorem, dans operam Euchariſtiæ inſtitutioni, vt doceret Diſcipulos, quonammodo ad mortem ſe præparare deberent. *Aſſero egregiam ad mortem præparationem eſſe mori; in vna enim morte inſtrueris ad alteram.* n.61.p.307.

PANEGYRICVS II. 2.

Ex ablutione, & ſermone IESV.

Lib.3.ſect.2.num.32.pag.311.

OBSERV. I. SCiens Dominus, ſe Dei vnigenitum, ad ablutionem pedum Diſcipulorum prouoluitur. *Agnata enim nobilitati ſublimitati Humilitas.* n.32.p.311.

II. Sciens Dominus, ſe omnibus hominibus eſſe propoſitum, cœpit ſubditis miniſtrare. *Præſulum enim proprium eſt ſeruire eis, qui eorum ditioni addicuntur.* n.41.p.312.

III. Omnia in manus dedit ei Pater, vt largiter impenderet; largitati enim IESV vix omnia ſufficiunt. *Sic enim donat hodie hominibus, vt omnia elargiendo ſemel, ſæpeſæpius donandi omnia obæratus eſſe videatur. Vbi de Euchariſtia quaſi ex Deo dantis debito exigenda.* n.49.p.313.

IV. Cum Dominus ſeſe ad opus abiectum præparat, aptè ſurgere dicitur. *Quia humilitatis demiſſio prorſus eſt eleuatio.* n.55.p.314.

V. Neſciebat Petrus, & ideò tenaciter primæ hærebat ſententiæ. *Eſt enim eorum, qui non ſciunt, tenaciter ſuis votis hæreſcere.* n.61.p.315.

VI. Edoctus à Petro Chriſtus prudentiſſimè, ac ſapientiſſimè ſententiam mutat, à primi propoſiti

positi tenacitate cadit, sed dilui permittens. *Sapientis enim est, mutare consilium.* num. 64. p.316

VII. Qui mundus est totus, cur adhuc indiget abluere pedes: *Quia ad digniorem Eucharistiæ sumptionem, magna puritas præmittenda est.* n.72.p.317.

VIII. Breuem Dominus de ablutione pedum verbis expressit sermonem, quia ipso lotionis opere vberius prædicauerat. *Efficacius enim actiones predicant quam verba.* num. 77. p.318.

Fructus quartus.

FRVCTVS QVARTVS.

Sermo de Pœnitentiæ Baptismo ex ore Ioannis.

1.

PANEGYRICVS I.

Ex Ioanne audiente in deserto.

Lib. 4. sect. 1. num. 19. pag. 323.

OBSERVAT. I. Anni Cæsaris, Præsidis, Tetrarcharum, Pontificum annumerantur, & tandem finiuntur. *O Regnorum instabilitas! Vix Principatus incipit, cum terminatur.* n.19.p.323.

II. Christus ac Ioannes mundum in erroribus inuenere, quales Principes, qui regebant illum, obiiciebatur. *Etenim subditorum piacula arguunt Præsulum iniquitatem.* num. 27. p.324.

III. Tiberius, Herodes, Philippus, Lysanias, Pilatus, cuncti scilicet sæculares Principes sub Anna, & Caipha; hoc est, Sacerdotali potestate subduntur. *Sacerdotalis dignitas supra Reges, unde taxatur Sacerdos qui sese indecenter sæculari subiicit dominatui.* n. 34. p.325.

IV. Ioanni in deserto commoranti ab omni dependentia abstracto datur verbum euulgandum hominibus. *Ille namque eximius præco, qui sine respectu ad mundiales dependentias, suggestum, unde veritatis assertor, ascendit.* num.46. p.326.

V. In deserto Ioannes vocem Domini audiuit. *Abstractio à tumultu decet eum, qui expetit Spiritus sancti vocem exaudire.* num. 53. p.327.

VI. Ioannis mira sapientia virtutum exercitamentis acquisita fuit, non sæculari doctrina perfecta. *Edocemur, Euangelij ministros plus ex voluntate virtutibus ornata proficere circa proximorum salutem, quam ex intellectu scientia illustrato.* n.60.p.328.

2.

PANEGYRICVS II.

Ex Ioanne in Iordane dicente.

Lib. 4. sect. 2. num. 18. p.332.

OBSERV. I. Quod Ioannes verbum in deserto à Domino exaudiuit, ipse pergit in Regione Iordanis euulgare. *Edocemur, omnes debere Concionatorum officio fungi,*

quod audiunt hi referant aliis: alij audientes, alius adhuc satagant proferre sermonem. n. 18. p.332.

II. Ioannes prædicaturus Pœnitentiæ Baptismum, non pergit ad Vrbes sed in deserto commoratur; vt cogat auditores ex Vrbibus exire. *Verè enim pœnitens, vt diluatur, debet omnino à vitiis, occasionibúsque eorum semoueri.* n.26 p.333.

III. Edocet Ioannes Baptismo Pœnitentiæ dilutum remissione donari: non qui leuiter aqua intingitur. *Taxantur, qui post innumerabilia grauissima peccata putant leuissimam pœnitudinis sufficere diligentiam.* numero 33. p.334.

IV. Paranda via Domino nascituro. *Sufficere edocemur cordis rimulam ad paruuli IESV ingressum: debere nos Dominos ostendi, vt Dominum suscipiamus in Eucharistia. mansuetudinis virtutem conferre ad IESV receptionem.* n.40. p.335.

V. An etiam brutis animantibus salutare Christi natalitium appareat? *Certè quodammodo prodest & brutis, quia dum Christus natus hominum aufert delicta: id tollit, per quod etiam cuncta creatura fuere flagellata.* num. 56. p.338.

FRVCTVS QVINTVS. Fructus quintus.

Sermo de iustitiæ legis nouæ abundantia.

PANEGYRICVS I. 1.

Ex iracundia frænanda.

Lib. 5. sect. 1. num. 14. pag. 342.

OBSERVAT. I. A Christicolis perfectio vitæ maior exigitur, quia augustioribus sunt donati beneficiis. *Nam qui accepit maiora munera, debet uberiorem perfectionis studiosus, gratitudinem exhibere.* n. 14. p.342.

II. Suos Discipulos Magistros futuros, Dominus iubet, Pharisæos vincere iustitia. *Ille enim strictiori iure sanctitudine debet ornari, qui aliorum Magister exsurgit.* n.20.p.343

III. Vt Dominus Discipulos, omnésque Christicolas ab homicidio deterreat, eos curat ab iracundia abstinere. *Vt enim crimina non perpetrentur, originem eorum tolli ab animo oportet. Vbi de occasionibus delictis fugiendis.* n.27.p.344.

IV. Si duo primi gradus iracundiæ, nempè irasci & dicere, Raca veniales sunt; quomodo eis capitalis pœna assignatur? *Certè quia peccati venialis reus paulatim decidit in lethalia. Vnde admisso veniali, quasi iam constat, (ut dispositione, & velut morbi apparatu,) mortalis culpæ pœna.* n.33.p.345.

V. Quomodo qui irascitur est reus iudicio seu sententia capitali, sicut ille, qui hominem occidit. *Puto, quia ira illicò hominem tradit tortori flagellandum, occidendum, succendendum: ipsa enim horribilis tortor.* n.41.p.346.

VI. Raca nihil significans, plus videtur esse bestiarum fremitus, quàm vox hominis. *Indicatur, hominem ira pressum cum bestiis esse annumerandum.* n.48.p.347.

2. PANEGYRICVS II.

Ex Vnione fraterna.

Lib.5. sect.2. num.10. pag.349.

OBSERV.I. PRius ad fratrem nobis conciliandum pergamus, non expectemus eius aduentum exemplo Christi in Eucharistico ipso sacrificio. *Porrò Christus in Eucharistia prior venit ad nos, rogat, inuitat, allicit ad reconciliationem, & pacem.* n.10.p.349.

II. Apud Altare constitutus fidelis, recordatur, fratrem aduersus eum aliquid habere. *Quia videlicet, quo quis Deo in Eucharistia propinquior est, eo consequenter discrimen agnoscit, seruandam fraternæ charitatis vnionem* n.17.p.351.

III. Iubet Dominus fideles à sacrificij perfectione recedere, vt fraternæ charitatis colligationi dent operam. *Innuit Dominus planè, pacem esse bonorum omnium epilogum.* n.22.p.352.

IV. Munus, quod litandum ad Altare fuerat allatum, non refertur ad domum; sed illicò post reconciliationem factam, Domino offertur. *Monet, propositum Deo factum, votúmve non contemnendum, sed quamprimum executioni mandandum.* n.31.p.352.

FRVCTVS SEXTVS. Fructus sextus.

Sermo de duplicis dominij incompossibilitate.

1. PANEGYRICVS I.

Ex diuitiarum seruitute.

Lib.6. sect.1. num.10. pag.357.

OBSERVAT.I. QVi Deum amat, necessariò abstrahi debet a cuiusvis creaturæ, filij, vxoris, &c. dilectione. *Neque enim in vna sede morantur dilectio Dei, & creaturæ.* n.10 p.357.

II. Qui Deo seruire, ac ministrare perfectè curat, à terrenis, ac sæcularibus negotiis abstrahatur necessum est. *Seruire enim Deo, & sæculo est impossibile. Religiosos propinquorum aut amicorum litibus, aliisve occupationibus ab instituto alienis curam impendentes interim taxo.* n.17.p.358

III. Qui diuitiarum studio seruit, Deo minimè potest obsequium exhibere. *Quia amans diuitias, Deum consequenter contemnit, eiúsque præcepta transgreditur.* n.25.p.359

IV. Mammona quidem est Dominus, quem sustinent acquirendis diuitiis studentes. *Profectò importabilis auaritiæ Tyrannus.* n.34.p.360.

V. Difficile quis mammona pondus valebit sustinere. *Importabile quidem onus diuitiarum obucitur.* n.42.p.361

VI. Curat Dominus, fideles omnino expeditos ab affectu ad terrena bona incedere, si quidem properant ad cœlestia. *Inducitur Religiosis, spiritualique instituti alumnis omnium sæcularium rerum renunciatio.* n.50.p.362.

VII. Monet Dominus, superfluam victus curam damnabilem esse. Cur ergo locutus de cibo corporeo hanc sollicitudinem animæ tribuit: *An quia peccatores de anima videtur sentientes, cum ea sic se gerunt, ac si corporis commoda tractarent.* n.59.p.363.

PANEGYRICVS II. 2.

Ex Dei circa nutriendos filios cura.

Lib 6. sect.2. num.14. pag.366.

OBSERV.I. QVare solùm adnotauit non serere, aut metere: & non addidit Dominus alij studio captandi lucri addici volatilia? *Certè quia tam indecens fideli lucrorum captandorum affectatum studium, (auaritia planè filius,) vt nec voluerit Dominus nominare.* n.14. p.366.

II. Vt Dominus pulchrum liliorum indumentum ostenderet, Salomonis vestibus aptè comparauit; quia Principis solius est, indumenta pretiosa ostentare. *Nunc planè nullam Dominus in Principum, & vulgarium indumentis differentiam inuenires ob luxum immoderantiam. O si omnes iuxta statum vim induerentur!* n.22.p.367.

III. Curat Dominus omnem sollicitudinem à temporariis prohibere, vt tota animi anxietas, sollicitudo, feruor, cœlestibus bonis in pendatur. *Commendatur circa spiritualia feruor, & diligentia; taxatur desidia.* n.28.p.368.

IV. Primùm debemus circa spiritualium rerum adeptionem studium impendere, mox circa corporalium. *Accessorium enim nobis fit oportet, quidquid ad animæ profectum non dirigitur; præcipuum sit studium, spiritualia acquirere.* n.45.p.369

FRVCTVS SEPTIMVS. Fructus septimus.

Sermo de dilectione inimicorum.

PANEGYRICVS I. 1.

Ex Dei filiatione ob dilectionem inimicorum.

Lib.7. sect.1. num.13. pag.374.

OBSERVAT.I. OMnibus hominibus dictum est à natura: Ama amicum, odio prosequere inimicum. *Hinc difficultas præcepti exponitur, Christi præcipientis amori litanda.* p.13 p.374.

II. Difficillimum planè dilectionis inimicorum præceptum, sed omnino absque cunctatione obseruandum, quia IESVS præcipit. *Religiosis, subditisque omnibus sit ad obedientia difficilia quæque irrefragabilis ratio: Deus iubet, qui præest exemplo.* n.24.p.375.

III. Diligentibus inimicos offertur Dei filiatio, id est, æterna hæreditas, qua minimè donantur, qui inimicos odio prosequuntur. *Odio insequeris inimicum? O quàm ingens damnationis documentum!* n.29.p.376.

IV. Qui benefaciunt inimicis, ad diuinæ naturæ participationem quodammodo eleuantur. *Diligere enim inimicum, hominem ab humanitate recedere item, quasi diuinam eleuat ad naturam.* n.37.p 377.

V. Tota legis impletio, omnimoda perfectio indicitur, dum iubemur inimicos diligere. *Vna enim dilectio inimicorum quasi infinita virtus est, omnem legis obseruationem, omnem perfectionem spiritualem continens.* numero 45. p.378

VI. Si

V I. Si dictum fuisset in lege, *Odio habebis inimicum tuum.* Dominus eam impleuisset dum diligere inimicum imperauit. *Quia illud ipsum inimicum diligere, idem est, ac de illo horribilem sumere vindictam.* n.55.p.379.

VII. Christus se Dei naturalem Filium manifestat, dum inimicis parcens, patrem æmulatur, qui ignoscens peccatoribus ostentatur Deus: Ergo homo diligens inimicum se quodammodò naturalem Dei filium ostendet. *Specialem instarum ex dilectione inimicorum Dei filiationem expono.* n.68.p.381.

VIII. Si iam noster est Pater Deus, quid ex Inimicorum dilectione filiationis accipimus? *Profectò qui iam sumus per gratiam Dei filij adoptiuae, quodammodo ad filiationis naturalis gloriam eleuamur.* n 80 p.382.

I X. Cælestis Pater benignissimus fouet iustos, pareit peccatoribus, eisque cuncta largitur. *Igitur qui inimicos odio prosequuntur, omnino a Dei cognatione excluditur.* n.88.p.384.

2. PANEGYRICVS II.

Ex iustitia in occulto.

Lib.7. sect 2. num.11. pag.388.

OBSERV.I. ATtentionem accuratissimam expetit Dominus, vt inanis gloriæ vitare valeamus insidias. *Inanis enim gloria latro est bonorum operum thesaurum abripiens.* n.11.p.388.

I I. Qui tuba canunt ante se gerentes opus iustitiæ, vt videantur, suam mercedem, id est, ruinam recipiunt. *Quid enim ex gloria inani potest exspectari nisi ruinae* n.19.p.387.

III. Ad bonorum operum expressionem adeò debes abscondita inire, vt vel teipsum suæ fugiat dexteræ operatio. *Qui enim rectè agens absconditur, seipsum fugiens aspectatorem, augustius illustreatur.* n.25.p.387.

IV. Solus cælestis pater homini reddit præmium obsequij. *Ostendo omnem à gloria cadere, qui gloriam propriam ab hominibus quærit: illum autem, qui Dei requirit gloriam, à Deo reddente glorificari.* n.32.p.388.

FRVCTVS OCTAVVS.

Fructus octauus.

Sermo de correctione fraterna.

1. PANEGYRICVS I.

Ex fraternæ correctionis obligatione.

Lib.8. sect.1. num.15. pag.393.

OBSERVAT.I. SI de quolibet peccato, quod committitur, sermo est, quare Dominus dixerit, nos eos corripere, qui in nos peccauerint? *Certò quia nullum peccatum perpetratur, quod contra nos non sit: cum omnes propter vnius delictum sæpè hic puniamur.* num.15. p.393.

I I. An fratrem meum corripiam delinquentem? An non fraterna charitas violatur? *Imò verò quia tuus frater est, strictiori iure teneris, eum corripere delinquentem.* n.22.p.394.

III. Si delinquit frater nobis videntibus, aut scientibus, corripiendus est. *Nec enim facilè, qui reprehendendi munus gerit, adducendus est, ad vexandum subditum, aut proximum ex auditione, aut relatione sæpe fallaci.* n.27.p.394.

I V. Delinquentem fratrem inter nos & ipsum corripiamus, id est, ad nos allicientes eum, & charitatis vinculo quasi colligati. *Correptio enim Præsulis, vt proficiat, amore, & mansuetudine debet exundare.* n.34 p.396.

V. Cùm frater est corripiendus, solitudini consulatur. *Nec enim diuulganda crimina illius, quem cupimus emendari; quia publicatio delicti, insolentiorem solet efficere delinquentem.* n.40. p.396.

V I. Si debemus corripere omnia proximi delicta, cur speciatim dixit Dominus: *Si peccauerit in te frater? Certè vt innuat velocitatem, qua vti debemus, vt proximum extrahamus à crimine.* n 49.p.398.

VII. His, qui ex officio tenentur corripere delinquentes, deferenda est proximi pertinacia, vt ipsi corripiant. *Durum enim est, correctionis verba exaudire, ab eo, ad quem ex officio non attinet, reprehendere.* n.56.p.399.

VIII. Licet frater correptus à nobis, non audiat: non illico Ethnicum reputabimus; sed vnum aut duos correptores simul adhibebimus: *Sciamus enim oportet, erga peccatores longanimitate, ac pietate vti, ad eorum correctionem.* n.62. p.400.

I X. Si postquam tuo muneri, & obligationi feceris satis, frater adhuc incorrigibilis exponitur, noli illum in numero fratrum deputare. *Nec enim vir misericors & Dei æmulator, omnibus semper parcit: Sed post expectationem demum punit.* n.67.p.401.

PANEGYRICVS II. 2.

Ex ligandi, ac soluendi potestate.

Lib.8. sect.2. num.16. pag.404.

OBSERV.I. OMnia, quæ à Deo precanda sunt, asserit Dominus, consensionis, & vnitatis merito esse impetranda. *Nisi oratori, ac doctori concordia fuerint colligati, nec à Deo exaudientur, nec proximo proficient.* n.16.p.404.

I I. Quidquid Euangelij ministri petierint pro salute corrigendorum, impetrabunt. *Tanta enim orationis efficacia, vt vel Ethnicus, ac publicanus, penè desperatus, corrigendus, ac conuertendus vim exerat.* n.22 p.405.

III. Congregandi sunt fideles vniti in nomine Christi, si persistens debeat esse concordia. *Ea enim sola amicitia verax, affectuosa, & operatrix est, quam Christi charitas conciliat. Quàm pauci propter Iesum solum amant.* n.28. p.406.

I V. Commendatur à Domino concordia suo in nomine colligata: non ea concordia, vbi ipse non est. *Concordia enim illorum, in quibus non est Deus, admodum exitialis est.* n.34 p.407.

Fructus nonus.

FRVCTVS NONVS.

Sermo de bono Pastore.

1. PANEGYRICVS I.

Ex Pastore pro ouibus moriente.

Lib.9 sect.1. num.13.pag.411.

OBSERVAT.I. NIhil sic boni Pastoris ingenium cõmendat, quam dandi, non accipiendi proprietas *Edocentur præsides, se subditis munificos ostentare, non lucri vllius studiosos.* n.13.p.411.

II. Se bonum Pastorem asserens Dominus, illustrissimum de se prædicauit elogium. *Probus enim præsul in ipsius Dei cedit vtilitatem, cum regnare quodammodò faciens.* n.20 p.412.

III. Pastoris nomine ineffabilis Dei pietas in subditas ouiculas designatur. *Moneo præsules, debere se subditis non dominos, sed patres, imò matres exhibere.* n.24 p.413.

IV. Quam rari boni Pastores, si boni Pastoris insigne est, vitam pro ouibus vltroneè impendere. *Quomammodo animam pro ouibus dabit, qui substantiam recusat exhibere.* num.31. p.414.

V. Non monet Dominus expressè, proprium esse boni Pastoris, subsidia temporalia ouibus impertire: quia id essentiale prælatus muneri est. *Edocentur præsules, ex eo, quod Pastores sunt, debere omnium prouidere tempore ætia egestati.* n.17.p.415.

VI. Mercenarius, cuius non sunt propriæ oues, videt lupum cùm venit. At Pastor bonus, antequam veniat, venturum videt, & prouidet gregis incolumitati. *Iunctum præsulis est, prauidere, velut prophetico spiritu, subditis eminentia mala, vt studeat auertere.* n.42 p.416

VII Lupus vt possit oues rapere, curat eas dispergere. *Gregis enim, seu communitatis exitium est, omnium, siue fratrum diuisio.* n.49 p.417.

VIII. Ineffabilis in Pastore cœlesti, etiam cùm iratus obiicitur mansuetudo elucet, quia videlicet pertinet ad eum de ouibus. *Moneo præsules, nunquam non subditorum ostentari, Pastores benignitate affectos, etiam cum acronem emiculis:* num.57.p.418.

2. PANEGYRICVS II.

Ex Pastoris cœlestis proprietatibus.

Lib.9. sect.2. num.15. pag.421.

OBSERV.I. MVlta exprimit Dominus requiri, vt quis bonus Pastor ouium Ecclesiæ asseri possit: *Vnde datur colligere, præsulatum onus esse magis, quam honorem validissimis humeris omnino formidandum. Idem plane est præsulem fieri, ac neci addici.* num.15. p.421.

II. Se verum Pastorem ostendit, dum asserit, se ex dilectione erga oues munus gerere: non lucris propriis inhiantem. *Nihil sic impedit animorum profectum, quàm Euangelij ministros temporarius lucris studere.* n.[illegible].p 422.

III. Probat se euidenter Dominus bonum Pastorem amatorem quidem ouium, dum eas laborando visitat, & moriendo redimit. *Nec enim sine sumptu verus amor ostenditur.* Et si licet vulgariter explicare. *Obras son amores,* n.33.p.423.

IV. Bonus Pastor oues agnoscit, quia eas ipse visitat, nec Vicariis (plerumque mercenariis) inuisendas committit. *Taxo præsules, qui curiis assident a diœcesi absentes: quique nunquam vel rarò oues curant inuisere.* num.38. p 424.

V. Oues, seu subditi perfecti agnoscunt Pastorem, seu illi obediunt quasi cognitionis, non operationis externæ velocitate. *Insinuitur subditis prompta obedientia ad nutum siue signum superioris voluntatis.* n.44.p.425.

FRVCTVS DECIMVS. Fructus decimus.

Sermo de duobus magnis mandatis.

PANEGYRICVS I. 1.

Ex dilectione Dei, & proximi.

Lib.10. sect.1. num.20. pag.432.

OBSERVAT.I. DEus ex toto corde amatur, & si non amatur ex toto corde, verè non diligitur. *Nam vbi Dei verus amor est, nec particula affectus creaturæ relinquitur.* n.20.p.432.

II. Deus primùm amandus toto ex corde proximus autem propter Deum. *Vnde vt Dei geras voluntatem, omnia debes contemnere, patrem, filium, vxorem.* n.30 p 433.

III. Totas animæ vires impendendas diuinæ dilectioni Dominus prædicat. An assumptis totis viribus homo deficiens, aut imbellis. *Profectò fortissimus ostentabitur: quia Dominus amatores suos reddit inexpugnabiles.* n.36.p 434.

IV. Hæc verborum aceruatio indicit vehementiam, ac feruorem circa Dei dilectionem. *Qui enim nos vehementer diligit, vult fideles flagrantissimo affectu succendi.* num.45. p.435.

V. Dilectio in proximum vera ostentatur, cùm eum velut nos ipsos amamus. *Nam opera, quæ in illum conferimus, veram comprobant charitatem.* n.52 p 436.

VI. Eadem commoda debemus desiderare proximo, quæ nobis expetimus. *Hoc enim est, proximum vt teipsum amare. O quàm ab huiusmodi præcepto abstractus, qui cuncta sibi commoda adscribit, nullum proximo?* n.59.p.437.

VII. Mandatum diligendi proximum sicut teipsum, est secundum & primum. *Debes enim proximum amare, vt Dei consequaris amicitiam. Vt ergo amicus sis Dei, proximum diligere satage; Deus non amatur, si proximus non diligitur.* n.68 p.438.

2. PANEGYRICVS II.

Ex Pharisæorum confusione.

Lib.10.sect.2.n.11.pag.441.

OBSERV. I. PArticula *donec* innuit supplicij tarditatem. Cur tam serò Deus ad inferendum supplicium exsurgit. *Certè quia permittens homines addere peccatis peccata, eos seuerissimè punit; peccantium enim crimine supplicia horribilia existunt.* n.11.p.441.

II. Perpetuo contemptu afficiuntur impij, quia Deum contempserunt delinquendo. *Peccator enim hîc auctor est æterni supplicij, quo torquendus æternum est in gehenna.* numer. 19. pag. 442.

III. Ostenditur impiis supplicium, esse differendum: non quidem propitio, sed irato Numine. *Supplicio enim non cohiberi peccatorem, aut mox non puniri, maxima condemnatio: quo enim tardiora supplicia, eo grauiora.* n.24.p.443.

IV. Dominus ideò quæstionem eis difficilem proposuit, vt interrogarent, qui solutionem ignorabant: & posset Dominus ineffabilem eis dilectionem ostendere. *Documentum est enim dilectionis magnæ, insipientes homines edocere. Vbi Societatis* IESV *institutio circa docendos pueros interim celebratur.* n.30.p.444.

Fructus undecimus.

FRVCTVS VNDECIMVS.

Sermo de Oratione.

1. PANEGYRICVS I.

Ex oratione in nomine IESV.

Lib.11.sect.1.num.21.pag.450.

OBSERV. I. ILle in Christi nomine precatur, qui nihil terrenum consequi curat, sed soli Deo placendo litat intentionem. *Vbi ostendo, orare, & non orare eum, qui terrenis postulat commodis donari. Non orat, quia nihil petit.* n.21.p.450.

II. In nomine IESV petit, qui à terrenis cunctis abstractus, ne distrahi possit, studium orationi impendit. *O quam facilè impetrat, qui mentem collecturus, ab omnibus visibilibus, cùm orat, abstrahitur?* n.28.p.451.

III. Prima sit orationis nostræ efficacis conditio, vt Patrem iam filij ipsi postulemus. *Si enim iustitia iure filij non sumus quonammodo orare poterimus?* n.34.p.452.

IV. In nomine Saluatoris non petimus, quidquid rogamus contra rationem salutis. *Monemur orationis materiam vnicum saluationis negotium esse debere.* n.43.p.454.

V. Orationem sequitur gaudij plenitudo ex omnium munerum collatione. *Cuncta enim bona precibus acquiruntur, vnde plenum sit gaudium exorantis.* n.49.p.455.

VI. Cur Dominus innuit, absque intercessione sua nos consecuturos à Patre quidquid petierimus? *Certè vt exprimat orationis vim, quæ prece non indigeat Dominica quodammodò, si Deo ipsi vim inferre videatur.* num.55. pag 456.

VII. Non dicit, Accipitis, sed *Accipietis*: ne desperent, si illicò orantes non acceperint, quod deprecantur. *Sæpe enim oranti munera differuntur, vt Deus diutius precum nostrarum suauissimo concentu potiatur.* n.62.p.457.

PANEGYRICVS II.

Ex Christi sine parabolis loquutione. 2.

Lib.11.sect.2.num.8.pag.459.

OBSERV. I. CHRISTVS missus à Patre ad hominum salutem, sic in mundo vixit inter peccatores, vt purissimus redierit ad Patrem. *Certè Concionatores, operariique Euangelici tunc inter immundos mundi persistunt, cùm missi à Deo cum peccatoribus commorantur.* n.8.p.459.

II. Christus à Patre missus in mundum, in mundum venit non relinquens Patrem. *Monentur Operarij Euangelij, sic ad proximos proficisci missos, vt nec ad instans à Domini separentur præsentia sic rectè omnia gerent.* nomer.16. p.460.

III Asserunt Discipuli, Christum omnia scire, quia perspicuis verbis concionatur, nullis vsus parabolarum occultis sermonibus. *Etenim ille sapientior Concionator ostenditur, qui tam perspicuis vtitur verbis, vt valeant ab auditoribus penetrari.* n.23.p.461.

FRVCTVS XII.

Sermo alter de Oratione. Fructus duodecimus.

PANEGYRICVS I.

Ex Amico dante Amico petenti. 1.

Lib.12.sect.1.num.12.pag.467.

OBSERV. I. AMicus surgit, vt ad amicum panes petiturus accedat. *Prima Orationis conditio, vt amicus Dei sit, qui precatur.* n.12.p.467.

II. Ab amico tres panes amicus commodatos postulat: à Deo petimus omnibus donari. *Munificentissimè enim Deus cunctis bonis cumulat peccatores.* n.20.p.468.

III. Pergens media nocte amicus ille apud ad petendum describitur. *Vt ex silentio nocturno orationis necessaria exponatur attentio.* num.28. p.469.

IV. Tres panes petit, & amico, & famulo amici, & sibi quidem, qui à cœna abstinuerat. *O quam aptè adorationis efficaciam se inuenio munierat?* n.39.p.470.

V. Primo clamanti Dominus illicò respondit amico, nec enim Israëlis custos dormit. *Docemur certissimè Deum orationes nostras exaudire.* n.48.p.471.

VI. Si Deus amicus; si Pater, quare differt necessarios panes largiri petenti. *Profectò vt perseueret orans, quia mirum in modum nostris orationibus delectatur.* n.58.p.471.

VII. Licet.

VII. Licet importunè amicus accessit, tamen propter instantiam precum et panes necessarij sunt traditi. *Docemur orationis ineffabilem efficaciam.* n.68 p 473.

2. PANEGYRICVS II.

Ex patre dante precanti filio.

Lib.12.sect.2.num.9.pag.476.

OBSERVAT. I. EDocet Dominus verborum aceruatione, orationis instantiam, vt impetrare valeamus. *Perseueranti enim in precibus Deus cuncta largitur; sæpe autem non consequimur, quia non perseueramus.* num.9. p 476.

II. Cur Dominus munificentissimus cupiens donare, quod petimus: monet nos, sæpe postulare, & non illicò concedit? *Profectò vt ardentius exoremus, & desideratum munus gratius nobis existat.* n.17.p.477.

III. Non solum requiritur, vt petas orando: sed oportet pulses operatione; vt consequaris. *Efficax enim sola illa oratio, quæ ab operante rectè, procedit.* n 23 p.478.

IV. Non vsus est Dominus singulari: Pete, quære, pulsa: sed plurali, petite, quærite, pulsate, vt communitatis commendet orationem. *Profectò multorum oratio potentissima, difficilè quidquam, imo impossibile, quodammodo, perficit: Vbi de communibus Litaniarum precibus.* n.30. p.479.

V. Pater hominum Deus panem, ouum, piscemque dat, siue spiritum bonum: non autem lapidem, serpentem, aut scorpionem, idest, noxia quæque. *Edisce, Deum sæpe abnegare, quod petimus; quia saluti contrarium est.* num.40. p.480.

R. P.

ANTONII DE ESCOBAR ET MENDOZA, E SOCIETATE IESV,

IN

EVANGELIA TEMPORIS

VOLVMEN TERTIVM.

(Est ordine nonum.)

IESV COLLOQVIA.

DVODECIM DOMINICI LIGNI VITALIS FRVCTVS.

COELESTIS Doctor IESVS homines, qui in Regionem longinquam cum adolescente illo à Parente optimo recesserunt, benignissimis colloquiis curat ad frugem meliorem reuocare. Fatur Sapiens, *Lingua placabilis lignum vitæ.* Prou.15. Et quidem Doctoris cœlestis benignissima lingua lignum vitæ est peccatores alliciens ad vitalem ipsum Arborem, nempe IESVM. Anselmus, lingua Doctoris cœlestis Christi ad lignum vitæ ducit, id est, ipsum Christum. Igitur Christus est lignum vitale ad quod placabilis dirigit lingua, ipsáque Saluatoris lingua lignum vitale vocitatur. Quare? Lyranus respondet, *Quia sicut per lignum vitæ continuabatur vita corporis, ita per* IESV *linguam vita spiritus.* Duodecim fructibus corporis vita erat continuanda? Totidem spiritualis vita germinibus, id est, colloquiis salutaribus producenda est. Christus enim colloquia texit cum Discipulis Ioannis, cum Doctoribus Ierosolymæ, cum Peccatricibus Samaritana & Magdalena, cum

Iudæis apud Templum flagellans mercatores, cum Pharisæis apud Gazophylacium, cum Iudæis Festo mediante, cum Philippo, & turba, cum Discipulis de Triumpho Ierosolymitano, cum ipsis post Resurrectionem, cum Pharisæis capere eum in sermone procurantibus, cum Centurione, cum Chananæa. Quàm verè lignum vitæ placabilis lingua IESV, quæ tot vitalia germina parturiuit!

LIBER PRIMVS.

COLLOQVIVM CVM DISCIPVLIS IOANNIS.

PARAPHRASIS, ET COMMENTARIVS literalis ad caput vndecimum Matthæi.

Panegyrici Morales circa literam in Iesum colloquentem.

PROLVSIO.

IOANNES Baptista detentus in vinculis, cum opera tam insignia, & præclara Christi Domini audisset, duos ex Discipulis suis legauit è carcere, vt à IESV percunctarentur, an ipse ille expectatus Messias esset? Qui nullam aliam exhibet responsionem, nisi vt de iis quæ audierant, & viderant à se dicta, & facta Ioannem redderent certiorem. Illis autem remissis, conuersus Dominus ad populum, qui aderat, præclarum de Ioannis virtutibus testimonium exposuit. En primum Fructum ligni vitalis dulcissimum cum Discipulis Præcursoris colloquium. An non sapit hæc suauitas Mariani Arboris germen, de quo Archangelus, *Et benedictus fructus ventris tui.* Luc. 1. appositè Richardus Laur. lib. 1. de laud. Mar. *Christus est dulcis fructus in verbo. Vnde Psalm.* 118 *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! At simul est dulcis in opere. Quia per eum cæci vident, claudi ambulant leprosi mundantur. Pulchrè argumento.*

Dominici vitalis ligni FRVCTVS PRIMVS.

Luc. 1.
Richard.

MATTHÆVS CAP. XI.

VERS. 2. IOANNES autem cùm audisset in vinculis opera Christi: mittens duos de Discipulis suis, ait illi:

PARAPHRASIS.

2. GAVDENS *Ioannes, euenire iam, quod ipse prædixerat, suam opinionem, quæ re maior erat decrescere.* IESV *famam inclarescere in dies: Sentiens Discipulorum suorum subinuidos affectus, vt illorum infirmitati mederetur, & à se alienatos in manum* IESV *traderet: misit ex illis duos, qui suis verbis hæc illi referrent.*

3. Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?

3. Tu ne es ille Meßias, qui dicebatur aduentaturus, an non es, quem eſſe prædixeram: Et alium expectabimus? Adeunt illi IESVM, *& quæ Ioannes mandarat, annunciant,*

4. Et reſpondens IESVS, ait illis: Euntes renunciate Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis.

4. IESVS *autem non ignarus, certius eſſe teſtimonium, quod à factis proficiſcitur, quam quod à verbis: Præſertim ſi quis ſibi ſit teſtis: Nihil quidem reſpondit primùm; ſed in eorum conſpectu multa edit prodigia, de Meßia latura teſtimonium. Renunciate, inquit Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis.*

5. Cœci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur:

5. Cæci recipiunt viſum, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, liberantur dæmoniaci, mortui reuiuiſcunt; denique iuxta Iſaiæ vaticinium, pauperes, & humiles lætum ſalutis æternæ nuncium amplectuntur, quem arrogantes aſpernantur. Hæc facta ſatis quinam ſim reipſa loquuntur.

6. Et beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me.

6. Beatus autem eſt, cuius animo ſucceſſus tantus Euangelij mali non præbuit occaſionem. Hoc Dominus adiecit, modeſtè Diſcipulorum Ioannis inuidiam ſubtaxans; ſic autem vt apud turbam non pudeſcerent.

7. Illis autem abeuntibus, cœpit IESVS dicere ad turbas de Ioanne: Quid exiſtis in deſertum videre? Arundinem vento agitatam?

7. Illis ergò digreßis, conuerſus ad turbam, ne exiſtimarent, Ioannem hæc percontatum ſibi dubitanti, ac non potius Diſcipulorum ſananda imbecillitati: cœpit ampliſſimè Ioannis euulgare præconia Ne cui, inquit, ſubrepat leuitatis de Ioanne ſuſpicio Cuius nam ſpectaculi cauſa ſic dudū in deſertum confluebatis? An vt videretis arundinem agitari ventis? Talis fuiſſet, ſi nunc à ſe ipſo diſſentiret, ſuiſque diſsimilis eſſet factus. Sed ab hac ſuſpicione facilè illum vindicat perpetuæ vitæ totius auſteritas.

8. Sed quid exiſtis videre? Hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt.

8. Quid, inquam, viſuri tàm in deſertū concurrebatis? Num hominem holoſericis veſtitum? Hoc ſpectaculum minimè eremo conueniebat. Siquidem qui veſtiuntur lineis, & holoſericis in Palatiis Regum ſunt, quibus luxus, vitaque deliciæ conueniunt.

9. Sed quid exiſtis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & pluſquam Prophetam.

9. Quid ergo veniebatis ſpectatū: Num Prophetam aliquem? Hic certè non eſtis ſpe veſtra fruſtrati. Vidiſtis enim non ſolum Prophetam, ſed præſtantius quidem Propheta.

10. Iſte eſt enim, de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

10. Hic enim eſt, de quo Malachias olim eſt vaticinatus, futurū Meßiæ Præcurſorem. Ecce, inquit, mitto Angelum meum, ante conſpectum tuum, qui tibi mox venturo viam poſſit præparare.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

Ioannis Nuncium.

TEXTVS.

VERS. 2. IOannes autem cum audisset in vinculis opera Christi: Mittens duos de Discipulis suis, ait illi: 3. Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? 4. Et respondens IESVS, ait illis: Euntes renunciate Ioanni, quæ audistis, & vidistis. 5. Cœci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur; & beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

An dubitarit Ioannes, & quidnam per Discipulos requisierit?

1. *De gestorum ordine.* IOannes autem.] Non indicat Matthæus, quonam tempore Ioannes Discipulos ad Christum immiserit; sed ex Luca colligo, post miraculum filij viduæ ad vitam reuocatum, immissos fuisse. *Nunciauerunt Ioanni Discipuli de omnibus his*, nempe de filio viduæ in vitam reuocato. Discipuli ergo Ioannis, cum Christi miracula audissent, vel etiam vidissent, Ioanni vincto renunciarunt. At ille duos ad Christum immisit, qui interrogarent.

2. *Dui interrogatione Discipulorum. Num Ioannes dubitauerit? Prima sententia Tertul.* *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?*] Græcè, ὁ ἐρχόμενος, id est *tu es ille veniens*; Scilicet Messias, qui venturus erat. Interrogatio hæc difficilem excitat quæstionem. Dubitauitne Ioannes Christum esse Messiam? Tertul. lib. de Baptismo cap. 10. pessimè existimauit, Ioannem spiritu prophetiæ destitutum interrogasse Præcursorem. *Spiritus prophetiæ, post totius spiritus in Dominum translationem vsque adeo defecit, vt quem prædicauerat, quem aduenientem præsignauerat, postmodum, an ipse esset, miserit sciscitatum.* Iustinus Mart. qq. à Gent. propositis q.

3. *Sententia secunda. Iustin.* 38. putat, Ioannem dubitasse, an quæ nunciabantur miracula, à Christo facta essent, an verò ab aliquo alio Propheta. *Quoniam diuersi rumores de miraculis Christi spargebantur. Cum alij dicerent, Elias est, qui hæc fecit, alij Ieremias, aut quidam alius ex Prophetis. Audiens hos rumores Ioannes in carcere, mittit Discipulos suos, qui scirent, num is, qui signa faceret, is esset, cui ipse testimonium dixisset: An aliquis alius, qui a multis diuulgaretur.*

4. *Tertia sententia. Gregor.* Gregorius autem hom 6. in Euang. arbitratur dubitasse Baptistam non quidem an Christus Messias esset, sed an ad inferos esset venturus, hoc sensu: *Tu es qui venturus es* ad inferos, *an alium expectamus*, qui eò sit descensurus, Patrúmque animas liberaturus? *Quærit*, ait Doctor, *vt sciat, si is, qui per se venerat in mundum, per se etiam ad inferni claustra descendat.*

5. *Quarta sententia. Hieron. Beda.* Ait Hieronymus, quem sequitur Beda, indicat dubitasse Ioannem, num Christus mortem esset perpessurus. *Manda mihi, vtrum te & inferis debeam nunciare, qui nunciaui superis? An non conueniat filio Dei, vt gustet mortem, & alium ad hæc sacramenta missurus es?* Et epist. 151. ad Algas. idem scripsit. Druth. hæsit satus, *Tu es, qui venturus es, sicut credebam, per mortem tuam ad liberationem hominum qui tanta facis: An alium debes mittere, qui debeat mori pro nobis?* Huius sententiæ Chrysost. hom. 37. in Matth. & Ambros. Luc. 7. meminere. *Druth. Chrysost.*

6. *Quinta sententia. Chrysost.* Porro Chrysost. citatus, & alij Patres arbitrantur interrogationé non à dubitatione Ioannis, sed à Discipulorum cœcitate esse profectam. Magistri enim amore, & æmulatione aliqua obcœcati, Christum Messiam esse, maioremque Ioanne non videbant. Quamobrem morti propinquus Ioannes, ad Christum duos misit, vt Medicus summus, eorum reliquorumque Discipulorum cœcitati mederetur. *Rogat ergo, tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Es ne tu Messias ille promissus, an alius est venturus? Non dubitans, sed Discipulorum dubitationem in se transferens, & ignorantiam in se recipiens.* Hilar. *Non sua sed Discipulorum ignorantia Ioannes consulit.* Imperf. Haymo, Cyril. lib. 2. Thes. cap. 4. & alij contestantur. Et Hieron. citatus scribit, *Ioannes mittebat Discipulos, vt sibi quærens, illis disceret. At in* præsenti, *quomodo Saluator interrogat, vbi sit positus Lazarus Ioan. 11. vt qui locum sepulchri indicabant, saltem sic pararentur ad fidem, & viderent mortuum resurgentem: Sic & Ioannes interficiendus ab Herode Discipulos suos mittit ad Christum, vt per hanc occasionem videntes signa, ac virtutes, crederent in eum: Et Magistro interrogante, sibi discerent.* *Hilar. Imperf. Cyril. Hieron.*

7. *Auctoris mens.* Profectò Tertul. sententiá penitus à veritate, ac pietate alienam existimo. Opiniones Iustini, Gregorij, Bedæ, ac Druthmari minimè probabiles duco. At Chrysostomi, Hilarij, ac Hieronymi sententiam veram, & receptam approbo. Addens, fortasse Ioannem Christum interrogasse, quia id facere voluit, quod Iudæi facere debuerant. Meminerat, Iudæos ad se legationem misisse, vt interrogarent eum, num Messias esset: Ad Dominum verò qui verus Messias erat, non misisse. Id igitur, quod Iudæi non præstabant, cum gerere maximè debuissent: agere voluit; vt Christus interrogatus, Messiam se esse apertè populo indicaret.

8. *Obiectioni responsio.* Obiicis, cur non dixit: Messiam te esse noui, idque testor, vt iam sæpè testatus sum: Sed *tu es, qui venturus es*, &c. Respondeo, ne videretur adulari Christo, testimoniumque eneruaret. Vel potiùs vt Christum interrogationi respondere, seque Messiam esse demonstrate,

strare, quodammodo cogeret. An Ioannis interrogatio scandalum attulerit? Verùm Ioannes spiritu prophetico interrogauit sic, quoniam sciebat, verba hæc nullum scandalum allatura: imò occasionem Domino præbitura exponendi populo, quisnam esset.

§. II.

De euidentißima Domini ex operibus responsione.

9. *Rebus Christus se Messiam probat.* E*Untes, renunciate Ioanni, quæ audistis, & vidistis.*] Cognouit is, cui omnia sunt aperta, quid sibi vellet Ioannis interrogatio: nimirum vt se Messiam esse aperiret. Aperuit multis tunc miraculis editis, fante Luca, cap. 7. *In ipsa hora multos curauit a languoribus, & plagis, & spiritibus malis, & cæcis multis donauit visum.* Cyrillus lib. 2. Thes. cap. 4. *Cum Discipuli Ioannis venissent, multo magis tunc, quam antea miraculis Christus effulsit illaque dispensando faciebat, quæ Prophetæ scribunt tunc futura, quando Christus veniret. Ideo interrogatus, an ipse esset venturus, non statim respondet, neque dicit: Ego venturus sum. Sed miraculorum magnitudine ostendit, se ipsum esse.* Quam pro dignitate Deifica respondet operibus pro verbis vlus! Chrysostomus hom. 37. in Matth. *Testimonium, quod à verbis trahitur, certius est, quam verborum, & absque vlla suspicione.* Excitatis ergo tot miraculis, mox Discipulis Ioannis respondit: *Ite, renunciate Ioanni, quæ audistis, & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant*, &c.

Luc 7.

Cyrill.

Chrysost.

10. *Quanâ Discipuli Ioannis audierant?* *Quæ audistis, & vidistis.*] Viderant miracula; quidnam autem audierant? Auctor Imperf. respondet, *Qui curati fuerant, gratias agebant: & quidam dicebant, Nunquam sic factum vidimus in Israel. Alij autem dicebant, Gloria Deo, qui talem potestatem dedit hominibus. Alij, visitauit Deus in bono plebem suam. Discipuli ergo Ioannis & oculis, & auribus patiebantur, mirabilia sanitatum videntes: gratias agentium voces audientes.* Addit Doctor, *Aut certò mirabilia Christi videntes, & doctrinam eius audientes. Aut sanitates infirmorum videntes, & confessiones eiectorum dæmonum audientes.* At Cyrillus, *Renunciate, quæ audistis à Prophetis, & vidistis, per me consummata.* Porrò haud existimo de Prophetis, intelligendum locum.

Imperf.

11. *Auctorum sententia.* *Caiet. & alij.* Sentio cum Caietano, Iansenio Toleto, Maldonato, ac Barradio, fantibus: *Renunciate, quæ audistis, id est, miracula, quæ me fecisse auditu percepistis: & quæ vidistis, id est miracula, quæ vestris oculis conspexistis.* Vidistis planè ea miracula, quæ Lucas recenset, *Multos curauit à languoribus, à plagis, & spiritibus malis, & cæcis multis donauit visum.* Audistis autem mortuos suscitatos, pauperesque euangelizari.

12. *Pauperes euangelizantur.*] Sic Lyranus exponit, Nunciantur habere Regnum cælorum; beati prædicantur, iuxta illud: Beati pauperes spiritu: Existimo Dominum innuisse Isaiæ vaticinium impleri: *Ad annunciandum mansuetis misit me.* Cap. 61. LXX. *Ad euangelizandum pauperibus misit me. Pauperes* ergo *euangelizantur*, hoc est, lætissimum Euangelij nuncium audiunt, vt Isaias prædixit, illud recipiunt, & viua voce credunt. Etenim paupertas est ad recipiendum Euangelium aptissima, quod omnia humana Dei præceptis præcepit postponenda. *De pauperibus euangelizatis.* *Isa. 61.*

Mortui resurgunt.] An Christus tunc temporis mortuos aliquot excitarit? Negatiuè respondent. Nec enim Lucas tam egregium miracula præteriret. Cum Iansenio, & aliis opinor. Quomodo ergo illa est particula intelligenda: *Mortui resurgunt?* Certè Dominus non solum iubet renunciari visa miracula; sed audita: *Quæ audistis, & vidistis.* De mortuis ergo loquitur, quos Ioannis Discipuli audierant à Domino excitatos, viduæ filium, & Archisynagogi filiam, & forsitan alios. 13. *Num viderint Discipuli Ioannis mortuorum resurrectionem.*

Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.] Mitto eorum falsam omnino sententiam, qui verba hæc contra Ioannem prolata arbitrantur. De quo Tertullianus lib. 4. cont. Marc. cap. 18. legendus. Existimóque cum Hieronymo epist. 151. ad Algas. quæst. 1 contra Ioannis Discipulos dictam sententiam Saluatoris. *Non Ioannem*, (ait Doctor) *Sed Discipulos eius percutit.* Et Chrysostomus. *Cum Discipuli Ioannis scandalum propter Christum paterentur, passionem mentis eorum detexit.* Theophylactus, & alij contestantur. Hic sensus, vos in me scandalizamini, quod credere non vultis, me esse Messiam Ioanne maiorem. Ne scandalizemini, credite; etenim *beatus est, qui in me non fuerit scandalizatus*: infælix qui fuerit. 14. *An taxetur Ioannes, an Ioannis Discipuli?* Tertull. Hieron. Chrysost.

Profectò non displicet alia nostri Barradij interpretatio. Postquam Christus miraculis probauerat, se esse Messiam, quoniam sciebat, multos id minimè credituros, sed scandalo percutiendos, addidit: *Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.* Simeon profatur. *Ecce hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel.* Luc. 2. Beatus ergo, qui crediderit me esse Messiam, nec in meam humilitatem veluti in lapidem offensionis, & in petram scandali per incredulitatem impegerit. Credendum etiam est, Dominum hisce verbis suam indicasse passionem, quæ Iudæis, ac Gentibus scandalum peperit, Paulo fante, Prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. Ipsis autem vocatis Iudæis, atque Græcis, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Hilarius, *Quia futura erat Crux plurimis scandalum, beatos eos professus est Christus, quorum fidei nihil tentamenti deferret crux, mors*, &c. 15. *Probabilis aliorum solutio.* Barrad. Hilar.

IN

IN
IESVM COLLOQVENTEM
PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS
CIRCA LITERAM.
EX IOANNIS NVNCIO.

Observat. I.

Ad illa verba:

Cum audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti.

Ioannem eximium Prædicatorem veritas vinculis illigauit.

Pulcherrima enim veritas horribiliter deſæuit in Diuos.

16. *Quantum odium veritas pariat.* Haymo.

CVR Ioannes vinculis illigatur? Haymo, *Ioannes Baptiſta propter veritatem, quam prædicabat, miſſus eſt ab Herode Tetrarcha in carcerem veluti latro, & ſacrilegus. Dicebat enim ille: Non licet tibi habere uxorem fratris tui. Ob nullam aliam cauſam miſſus eſt in carcerem, niſi quia prædicabat veritatem.* O pulcherrima Veritas, quam fœdum filium peperiſti! Benè Auctor illius Prouerbij: *Veritas odium parit.* (Terent.)

17. *Nullus ſeculi filius audit à facie veritatem, ſed à tergo fugitans.* Iſa 30.

Nullus ſeculi filius gratas aures veritati præſtitit. Fatur Iſaias: *Erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum. Et aures tuæ audient verbum poſt tergum monentis: Hæc eſt via, ambulate in ea.* cap. 30. Si auditor videt ſuum Præceptorem, quonam modo poſt monentis tergum exaudit? Quia tam ingratos veritatis ſermo, vt vel incohoatus mox cogat auditorem poſt tergum accurrere, faciéque terga dare receſſurus. Loco confirmationis ad memoriam reuoco Pilatum, qui videns Præceptoris faciem requiſiuit, *Quid eſt veritas? Et cum hoc dixiſſet, iterum exiuit ad Iudæos.* Ioan. 18. Cur ô inurbane non expectas Domini reſponſionem? Dixerat Dominus, ſe in hoc veniſſe, vt teſtimonium perhiberet veritati. Pilatus autem dum Chriſtus amariſſima veritatis dogmata præparat aperire, veritatis oſor terga vertit, vt *poſt tergum monentis* verbum exaudiat. (Ioan. 18.)

18. *Samaritana monitoris IESV faciem declinat, poſt tergum auditura.* Ioan 4.

Teſtor Samaritanam illam profantem, *Patres noſtri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Ieroſolymis eſt locus, vbi adorare oportet.* Ioan. 4. Quare ineruditа fœmina extra chorum ſaltat, & impertinentem attexit quæſtionem? Exiſtimo, vt terga vertat veritatis aſſertori. Dixerat Dominus, *Benè dixiſti, Quia non habeo virum; quinque enim viros habuiſti: & nunc quem habes, non eſt tuus vir.* Curat ergò mulier veritatis ſermonem interſecare, & quaſi à facie monentis ad terga accurrere, vt fugiat horribilia vulnera veritatis. Pulchrè noſter Toletus, *Mulier reſolutionem controuerſiæ petit, vt colloquium de ſua incontinentia inceptum interrumperet. Sæpè enim accidit, quando aliquid non admodum libenter audimus: aliquam ſolemus excitare diuerſam quæſtionem, de qua, dum fit ſermo, qui erat auditui minus gratum, relinquatur.* (Tolet.)

19. *Ideo in auerſionem veritas facta dicitur: auertitur enim, auditur, à veritate velut à peſte.* Iſa 59. Ioan. Cluni. Forer.

Euangelicus Propheta præfatur *Facta eſt veritas in obliuionem.* cap. 59. Ex Hebræo, *In auerſionem.* Audientes enim faciem auertunt, ad terga accurrunt. Ioannes Cluniac. tom. 1. ſerm. 102. *Sumpta eſt metaphora a cane in plateis mortuo, quem omnes prætereuntes, vt rem fœtidam auerſantur.* Forerius autem pro verbo illo, *Facta eſt in obliuionem*, legit, *Et colliſa eſt veritas.* Liceat vulgariter exponere, *Recogioſe la verdad, vie a zoque nadie la querria.* Cum Dominus Ieroſolymam triumphans intraſſet, nullum in tanta vrbe ſaltem vnius noctis hoſpitium habuit, vnde colligi cogitur in Bethaniam: *Relictis illis, abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam.* Mat. 21. Vbi D. Hieronymus, *Ita veritatis præco nulli adulatus eſt, vt in Vrbe maxima nullum hoſpitem, nullā inuenerit manſionem; ſed in agro paruulo apud Lazarum, ſororeſque eius habitaret.* Inibi amatores veritatis excipiunt Concionatorem, Maria audit illius verba, Martha licet reprehenſionis vulnere affecta. *Turbaris erga plurima*, tamen non à tergo verba monitoris exaudit, ſed oculi eius perſiſtunt *videntes Præceptorem.*

Colligit ſe veritatis Præco, quia veritas à nullo excipitur. Mat. 21. Hieron.

20. *Nemo pro veritate audienda, ſeu pro vulnere accipiendo, dat pretiū. Ideo Concionatores improbè curant, venales ſermones exponere ſine veritate.* Matth. 10. Abul.

Diſcipulos Dominus admonet, *Euntes prædicate, infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eiicite. Gratis accepiſtis, gratis date.* Matth. 10. Quidnam gratis dandum? Miracula ne, an prædicatio? Reſpondet acutè admodum Abulenſis quæſt. 61. *Gratis date, intelligitur de miraculis; quia cum ſanarent omnes à quibuſcumque morbis, poterant colligere infinitam pecuniam.* An non etiam pro veritatis prædicatione poterant etiam pecuniam recipere? Nequaquam. Quis enim pretio compararet vulnera? *Pro doctrina veritatis nemo daret eis pecuniam. Quia prædicatio eorum non erat aliquid delectabile hominibus, pro quo pecuniam darent.* Exiſtimo plures Concionatores huiuſce tempeſtatis à veritatis abſtinere ſermone, delectabiliaque adulationis ingerere proloquia, vt homines mundiales pro delectabili ſibi ſermone pecuniam impendere alliciantur.

21. *Induebat Dominus veritatē parabolis ſiſtu, vt amatoribus ſiſt eam præpararet, audiretque à facie.* Matth 13. Oleaſt.

Fatur Matthæus de concionibus Saluatoris, *ſine parabolis non loquebatur eis.* Cap. 13. quare concionator cœleſtis parabolarum inuolucris veritatis dogmata obuelabat? Reſpondet Oleaſter ad cap 23. Exod. *Conſiderabat, quam ægrè ferrent homines veritatem audire, quam torno vultu, & hirſuto naſo eam aſpicerent. Et conſiderans, quam neceſſarium hominibus ſeret veritatem audire, veritatem parabolis, & ſimilitudinibus inuoluebat, & velabat; vt qui veritatem nudam faſtidiebant, & ad mendacia arrectas*

aures habebant, saltem fictis vestibus tectam audiant. Hinc approbo concionatores, qui veritatis sententias non nudè exponunt, sed decenti excogitationum ornatu induunt, & aliquando humanarum literarum ex penu (vasa quidem Ægyptiorum aurea, & argentea) petunt comparationes, descriptiones, fabellam, apophthegmata, vt præparēt veritati vestimenta. Non vt vestimenta ipsa pro veritate auditoribus obiiciantur. Veritas aptè fabella nonnunquam, vtiliterque obuelatur. *Vt qui veritatem nudam fastidiebant, & ad mendacia arrectas aures habebant: Saltem fictis vestibus tectam audirent.* Ne scilicet à facie veritatis ad monitoris tergum aufugerent auditores.

22. Porro veritas non solum tostuit mundialibus affectionem, sed & odium tam vehemens, vt non solum vincula præparent Ioanni prædicanti, sed & necem horribilem meditentur. Fatur egregius imitator Ioannis Stephanus, *Dura ceruice, & incircumcisi cordibus, & auribus; Vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut patres vestri, ita & vos.* Quinam huiusce veritatis prolatæ partus? Tam intestinum odium, vt ad lapides accurrerent vulneraturi exitialiter concionatorem. *Dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum. Et eiicientes, cum extra ciuitatem, lapidabant.* Act 7: vndenam lethalia vulnera Stephano? Ex veritatis prolatione. Augustinus serm.94. de diuer. *Mori vis, festinas lapidari, ardes coronari.* Vndenam colligit Doctor, Stephanum ardeto coronari? Quia veritatis assertor se euidentissimè exitiali vulneri litabat.

Pro ꝑ ulceribus veritate affecta neco faciū. Act 7.

August.

Observat. II.

Ad illa verba:

Cùm audisset Ioannes in vinculis opera Christi.

Ioannes, id est Gratia, seu sanctitas in vinculis aptè obiicitur.

Quia quò sanctior quis, eò durioribus laboribus assolet agitari.

23. Datur honor coruo, (cum pacta sermonem instituo) *vexat censura columbam?* Ioannes quem Angelus *Magnum coram Domino* futurum prædixerat. Luc. 1. vinculis obstringitur Herode soluto, & alligante? Profectò quia Magnus est magnis laboribus addicitur excruciandus. Vinculum vnum fragile vni virtuti mediocri præparatur in exercitamentum, aut præmium: Virtutibus autem pluribus, & eximiis Ioannis vincula multa & extitialia præparanda fuere: *Ioannes in vinculis.* Chrysostomus hom.8. in Matth. *Viriliter vincula sustineas, sciens, tribulationes maximas inseparabiles quasdam comites se virtutis* maximæ.

Luc 1.

Chrysost.

24. Quemadmodum Reges fortioribus ducibus periculosiora certamina: Sic Deus illustrioribus diuis difficiliora prælia committit. Vnde Origenes lib.3. de Principiis, cap.2. *Sicut qui agonibus præsunt, eos, qui ad certamen veniunt non vtcumque, neque fortuito inter se sinunt inire certamina; sed diligenti examinatione, pro vt viderent corpora, vel ætates æquissima comparatione iungentes illum cum illo: Verbi causa, pueros cum pueris, viros cum viris, qui sibi vel ani, vel roboris propinquitate conueniant. Ita intelligendum est etiam de diuina Prouidentia, quod omnes, qui in hos humana vita descenderit agones iustissima moderatione dispenset, secundum rationem vniuscuiusque virtutis, quam ipse agnoscit.* Qui ergo pateris plura, existima te fortassè ex benignitate diuina inter fortes cœlestis exercitus adnumerari.

For tiori ac sanctiori Rex cœlestis difficiliora laborum certamina committit. Origen.

25. Cherubinos illos, qui in sanctis Sanctorum nobilissima Templi portione collocandi erant, iussit Deus ex auro, opere malleatoris fabricari. Sic ad Moysem Dominus, *Duos Cherubim aureos, & productiles facies,* Exod. 25. Saa, *ex auro ductili.* Barradius, *productiles erant, hoc est, ex auro ductili, & mallei opera extenuato fabricati.* Sic Cherubini fabricantur, homines nempe virtutis egregiæ in sanctis Sanctorum, in potissimo cœli vertice collocandi. Vbi meritorum vis obiicitur, malleorum vulnera replicantur, in pulcherrimam vtique auri extensionem.

Qui Cherubinorum sanctitatem æmulantur, malleatorum vulneribus, instar auri, producuntur. Exod 25. Saa Barrad.

26. De Paulæ sanctitate egregia documentum Hieronymus exhibuisse laborum sustinentiam testatur in Epitaph. *In tribulationibus, & angustiis Isaiæ replicabat eloquia, qui ablactati estis à lacte, qui abstracti ab vbere, tribulationem super tribulationem expectate.* (Cap.28. iuxta lectionem L x x.) *Et scripturæ testimonium in consolationem suam edisserebat: Ablactatorum esse, eorum scilicet, qui ad virilem ætatem peruenissent, tribulationem super tribulationem sustinere.* Vt laborum multiplicatio sit perfectionis augustissimæ documentum.

Paula sanctissima tribulationibus fortissima agitur. Isa 28. Hieron.

27. Post Abrahami tentamina horribilia fatur Dominus, *Nunc cognoui, quod timeas Deum.* Gen. 22. Sanctus Abrahamus à Domino agnoscitur, cum ei imperat filij vnigeniti immolationem: Quomodo ergo verè proloquitur, *Nunc scio?* Hilarius, *nunc cognoscitur, nunc probatur, nunc dignus est, qui non ignoretur.* Ac si Deus morem gerens humanum profaretur: *Agora conezco eres mas de lo q'yo pensaba.* Nam laborum multiplicatio hominem augustioris sanctitatis esse manifestat.

Aperitur Abrahami sanctitas egregia ex horribilium tolerantia laborum. Gen 22. Hilar.

28. Vt Deus ostenderet veracissimam Iobi sanctitatem tentandum diabolo commisit. Nam & ipse humani generis hostis obiiciebat, *Numquid Iob frustra timet Deum?* Cap.1. vbi D. Gregorius, *ac si apertè dicat: Qui tot bona in terra recipit, quid mirum si pro eis innocenter se gerat? Innocens verè esset, si bonus inter aduersa persisteret.* Vel diabolus pleno ore virum sanctum profitetur, quem videt laborum vinculis illigatum.

Vel diabolus profitetur sanctū, quem videt vinculis laborū adstrictum. Iob.1. Gregor.

29. Deus Iobi sanctitatem deprædicat, *Considerasti seruū meum Iob, quod non sit ei similis in terra, vir simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam;* At diabolus laudationem audacter elusit, præconio indignum iudicans cuius corpus tentaminis nullius vincula colligarant. Vnde *Tange,* inquit *os eius, & carnem.* cap.2. Quid si tactus Iob, innocens perseueret? Tunc credam viri veracissimam sanctitatem. Tam firmum nẽ argumentum sanctitatis laborum sustinentia, vt diabolus plus quodammodo fidem præster sustinentiæ

Vel Deo asserente Iobum sanctum, abnegat diabolus vsque ad laborum documentū. Iob.2.

sustinentiæ laborum, quàm veracissimis Domini elogiis, vt credat Iobum conspicuum sanctitate? Hieronymus ad Iulian. *Audacter diabolus Dei renuit prædicationem, & dicit, nequaquam eum debere laudari, qui nihil de se, sed totum ex se dederit; qui pro corio suo coria filiorum obtulerit, deposuerit marsupium, vt fruatur corporis sanitate.*

Hieron.

30\. Saulum Ananias lupum esse audierat Christicolarum vulneratorem. Immissus autem à Domino ad Saulum, cunctatur, *Domine, audiui à multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Ierusalem.* Act. 9. Postquam Deus Sauli elogia peruulgauit: *Ecce enim orat*, adhuc de illius dubitas sanctitate? Domine, *Et hic habet potestatem a Principibus Sacerdotum alligandi omnes, qui inuocant nomen tuum.* Difficile adducitur ad credendum sanctum esse Saulum Ananias, donec Dominus addidit, *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum, &c. Ego enim ostendam illi, quanta oporteat, eum pro nomine meo pati.* Ibid. Tunc Ananias dubium omne deposuit. Ac si diceret, Talis ille, quem Dominus promittat vinculis illigandum? O sanctitatis egregiæ virum?

Ananiæ nō sibi omnino persuadet sanctum esse iam Saulū, donec tentandum esse laboribus Christus promittit. Act. 9.

Observat. III.

Ad illa verba:

Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi, misit duos ex Discipulis suis, dicens.

Ioannes vinculis hominum perditissimorum cinctus, non peruertitur: sed velut in deserto constitutus cœlestia negotia gerit.

Edocens Religiosos Euangelij ministros, posse securitate frui, dum inter peccatores commorantur.

31\. Diuus Basilius Seleuc. orat. 34. *Vide, ait, mihi primum, vbi Ioannes agat, quæstionem habeat? Vbi? In vinculis.* An eremi cultor, solitudinis amator, constitutus in carcere inter profligatos vinctos peruertitur? Minimè planè, quia Euangelij incumbit ministerio. Discipulos enim immittit, vt Christi gloriam possit ignorantibus manifestare. Mihi credite recessus amatores, haud peruertemini, imò minimè ab eremi, seu cubiculi requie, & securitate recedetis, dum ex obedientiæ prætextu inter peccatores, gerendi ministerij gratia commorati fueritis.

Basil. Sel.

32\. Cecinit Dauid, *Deus Deus meus ad te de luce vigilo, sitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. In terra deserta, inuia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi.* Psalm. 62. Quænam terra inaquosa? D. Ambrosius ad illud: *Cum immundus spiritus exierit de homine ambulat per loca inaquosa.* Luc. 11. asserit inaquosam terram esse Gentiles iniquitatibus innumeris pressos. Ergo Dauid in terra inaquosa, id est agens inter peccatores, dum eos curat reducere de Regis officio, sic in cordis cubiculo securus commoratur, ac si apud Templum contemplationi studeret. Theodoretus ad hæc, *In terra deserta inuia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi; id est, nullum damnum a mundo* (seu à mondiali consuetudine) *percepi: sed vt ille, qui tuo Tabernaculo assidet, sic tibi laudes offero.*

Dauid inter peccatores agens, quasi in Templi adyto contemplatur securitate fruens. Psalm. 62. Ambros. Theod.

33\. *Descendit Deus cum Iosepho in foueam, & in vinculis non dereliquit eum.* Sap. 10. Innocens Hebræus adolescens inter vinctos ostenditur profligatos: interque vnum & alterum delinquentem Pincernam & pistorum Magistrum, Christum inter latrones refert Hugo Victor. auctore. Vndenam Iosepho tanta inter peccatores innocentia? suo munere fungitur, aperit ostia, claudit, vinctis ministrat, somnia edisserit. Qui ministerio fungitur Euangelico, dum vinctos curat aut soluere, aut illigare, dum prophetat, dum concionatur: tanta securitate fruitur, ac si in cellulæ recessu moraretur. Pulchrè D. Basilius Const. Monast. cap. 6. *Qui verè Philosophus est, is cum corpus suum curarum suarum domicilium, & animi sedem firmissimam habeat, licet casus illum in forum attulerit, licet in maxima conuentus alicuius celebritate versetur, licet in media multitudinis peccatorum frequentia sit: stabilis tamen in naturali suo Monasterio manet. Quippe qui mentem suam introrsum ad se ipsum recollectam habeat: & de rebus* (attende) *ad officium suum pertinentibus philosophetur.*

Iosephus in carcere inter vinctos iniquos innocens, quia ministerio suo incumbit. Sap. 10. *Religiosus inter peccatores velut in cellula commoratur, dum de rebus ad officium suum attiat ibus differit.* Basil.

34\. Dauid gregis paterni ductor apud eremum dulcissima Domino carmina dirigebat. Quàm innocens inter agnos, inter oues. Ad militiam à Domino aduocatur, cum profligatissimo Goliath certamen singulare instituit, eius caput amputare non renuit. An à carminibus decantandis recessit? *Dabit*, inquit, *te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te.* 1. Reg. 17. Non existimetis, Dauidem quia à deserto properauit in aciem, quia militibus plerumque haud probè morigeratis socius addicitur, quia cum perditissimo Goliath colloquitur: à Prophetiæ carminibus recessurum: prophetauit in acie. Theodoretus quæst. 40. *Prophetat autem, cum esset in acie, & prædicit vniuersi orbis terræ Dei cognitionem*, Principe tenebrarum superato.

Dauid inter peccatores in acie prophetat, sicut in recessu agri. 1. Reg. 17. Theodor.

35\. Quis sit Arca mystica mysteriorum eleuatissima abstractissimaque custodia, Numinis prætextu mittatur ad vndas: an peribit? an salsis mundi fluctibus exitialiter quatietur? *Multiplicatæ sunt aquæ, & eleuauerunt Arcam in sublime à terra.* Gen. 7. Ad quæ Basilius Seleuc. Orat. 5. *Arca ferebatur super aquas, velut curriculo vndis inuecta: non proscindens fluctuum profunda: sed equitans in salo velut in solo.* Mox exclamat, *O Arca paradiso firmior! Illic namque nauigabat serpens, illic lignum mortis fuit instrumentum; hic lignum salutis fuit gubernaculum; illic Adamum præuaricari docebat, hic perfugio Noemum petit.*

Religiosus inter vndas seculi velut Arca equitans in salo velut solo. Gen 7. Basil. Sel.

36\. Audiendus Vates experimento affectus, *Dominus regnauit, exultet terra: lætentur insulæ multæ.* Psalm. 95. Quænam insulæ ad exultationem inuitantur? Nyssenus tract. 2. in Psalm. cap. 9. *Pulchrè animas, quæ licet tentationibus agitata, stabilitatem, & firmitudinem retinent: insulas appellauit. Quas vndique quidem circundat malitiæ salsugo: sed tantum à lapsu suo non potest, vt æstu aliquo virtutis constantiam labefactet.* Ioannes

Velut insula pelago circundata, sine periculo. Psalm 95. Nyssen.

vinculis

vinculis circundatur, mediis in peccatoribus versatur; sed instar Insulæ, quam vndique circundat maltiæ salsugo, haud labefactari potuit.

37. Existimas te in cellulæ recessu augustiori securitate frui? An non vidisti apud paradisum commoranti, quia suo contemplationis muneri Adam non studebat, lignum mortis instrumentum extitisse? Aptè Basilius citatus, *Fieri etiam potest, vt & qui se intra priuatos parietes contineat; is si negligenter se gerat, mentis agitatione circumuagetur foras*, &c. Legi D. Ignatium P. meum apud carcerem versantem, ex profligatorum homuncionum blasphemiis philosophiæ cœlestis sibi gymnasium præparasse. *Sol per fenestras carceris* (cum Ausonio loquor) *ad vinctos intrans velute in eleuatissimo currum auratum frontibus puris ostenditur.*

Haud frui- tur securi- tate apud cellulam de- gens, si quan- do mete de- uagatur. Basil.

I. natius apud carce- rem fuit.

38. Eleganter Tertullianus lib. ad Martyres. Sic eos inter flagitiosos degentes extollit sanctitate conspicuos. *Non vides, ô fidelis Miles, alienos Deos, non imaginibus eorum incurris, non solemnes Nationum dies ipsa commistione participas, non nidoribus spurcis verberaris, non clamoribus spectaculorum atrocitate, vel furore, vel impudicitia celebrantium caederis: non in loca libidinum publicarum oculi tui impingunt. Hoc præstat carcer Christiano.* Tantum abest carcerem noxium esse Christicolæ, vt eum à periculis plurimis excipiat innocentiæ custos. Obiicies pericula huiuscemodi à cellula ablegari, ab eremo longè abesse. At cum D. Hieronymo respondebo Romæ choreas ad deserti claustra irrumpere non vereri. Ibi securitas, vbi ex obedientiæ prætextu, tuo muneri incumbis.

Carcer fa- ctus Di- uus. Tertull.

Observat. IV.

Ad illa verba:

Tu es, qui venturus, es an alium expectamus?

Ioannes à carcere nuncium ad Dominum immittens, velut præsenti loquitur.

Quia laborum sustinentia haud potest à Dei præsentia separari, Deum trahit ad vincula.

39. PReme particulam, *Ait illi: Tu es*, &c. Si Ioannes in carcere commoratur, & Christus absens erat; vnde necessarium fuit nuncium ad eum immitti: quonam modo Ioannes *ait illi*? quonam modò tanquam præsenti loquitur: *Tu es, qui venturus es?* Respondet Anselmus, *Ait illi scilicet per Discipulos missos.* Admitto, sed aptius eruditioni mentis respondeo iustum vinculis illigatum adeò Domino præsentem hærescere, vt non possit ab ipso separari. Vel è vinculis prosilit Ioannes ad Dominum absentem, vel ipsum ad carcerem adducit, vt valeat profari ei: *Tu es, qui venturus es?*

Anselm.

40. Paulus, & Silas vinculis constringebantur. *Hos certè cùm misit in interiorem carcerem, & pedes eorum strinxit ligno.* Act. 16. Quid tunc? *Media nocte Paulus & Silas laudabant Deum.* Carcer contremiscit, aperitur, eorum vincula soluuntur, custos attonitus ad IESVM conuertitur, lauacrum accipit, Paulo mensam apponit. Ad rem nostram Chrysostomus hom. 7. in Acta. *Carcerem ingressa Pauli catena, & omnia, quæ illic erant Ecclesiam effecit, & corpus Christi attraxit, & mensam spiritualem apposuit.* Nam qui vinctus laudat, aut orat, necessario *ait* Domino; *Tu es?* Et vt absens in præsentia orantis obiiciatur attrahitur velut à carmine incantatoris.

Paulus vin- ctus non po- terat non Christum præsentem alloqui. Act. 16. Chrysost.

Fatur sapiens, *Iustum venditum non dereliquit, descenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum.* cap. 10. Ergo illigatus iustos licet Dominus absens existere videatur, potes *ei* tanquam præsenti loqui: *Tu es, qui venturus es?* Ambrosius. *Quid mirum, si visitat Deus Iosephum in carcere positum, qui se ipsum in suis in carcere inclusum esse memorauit?* Ergo locututus Dominum, non absentè internuncij ore compellat; sed præsenti *dicit ei Tu es*, &c. Porrò Tertullianus ad Mart. *Nolite contristare Spiritum sanctum, qui vobiscum introiit carcerem.* 41.

Iosepho pote- rat loqui præsenti Do- mino, qui necessariò illigatos co- mitatur. Sap 10. Ambros. Tertull.

Sponsa proclamat, *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino.* Cant. 1. Vbi adnoto, priùs tanquam absenti locutam: *Osculetur me osculo oris sui.* Mox autem velut præsenti profatur; *Quia meliora sunt vbera tua vino.* Cur tam citò præsentem videt, quem absentem anxia contemplabatur: & tanquam præsenti *dicit ei Tu es?* Profatur Honorius, spõsam se vincolis legis illigatam exponere, dum inquit: *Meliora sunt vbera tua vino* hoc, quo potati cogor. *At vnguentum pietatis Christi vinculis legis, & ratione naturæ melius, ac deliciosius est animæ.* Dum igitur Sponsa vinculis laborum constringitur, necessariò præsenti Sponso loquitur, quia vbi vincula illigant, inibi comes vinctis aspectatur; vt possit vinculis qui addicitur proclamare, *Tu es, qui venturus es?* 42.

Sponsa ab- sentem con- templatur Sponsum. At postquam se illigatam agnoscit, præsentem intuetur: & ait illi. Cant 1. Honor.

Olim hostes *ceperunt Manassem, & vinctum catenis, atque compedibus, duxerunt in Babylonem. Qui postquam coangustatus est, orauit Dominum Deum suum. Deprecatusque est Deum, & obsecrauit immensè: & exaudiuit orationem eius, reduxitque eum Ierusalem in Regnum suum, & cognouit Manasses, quod Deus ipse esset Deus* 2. Paral. 33. Preme illud: *Dominum Deum suum.* Cur *suum* addidit? An non sufficeret, Dominum Deum? Ex Lorino respondeo addidisse *suum*, vt orantis deuota attentio exprimeretur; neque enim tanquam absenti loquitur Numini, sed velut præsentem cogitur compellare, *Deus meus.* Porrò, quia vinctus catenis necessariò præsenti Domino *ait: Tu es*, &c. 43.

Manasses constrictus vinculis, mox Numi- nis entem, præsentem vi- det, & illi profatur. 2. Par. 33.

Quàm amabilia vincula carceris, aut ægritudinis, si hominem in Domini constituunt aspectu!

OBSERVAT. V.

Ad illa verba:

Euntes renunciate Ioanni, quæ audistis, & vidistis.

Non solum quæ audierant, sed quæ viderant miracula, vult Dominus à Discipulis Ioanni renunciari.

Vt doceat, quàm fallaciter testari soleat, qui vnico sensu teste, audet proximorum flagitia peruulgare, aut saltem credibilia esse putat.

44. *Duplicis sensus testificatione falsò debet stare veriti iudicij verbum.*

CVr Dominus, cum dixisset, *Renunciate Ioanni, quæ audistis*, addidit, *& vidistis*? Certè quia non leuiter de proximi actionibus loquendum, vt credibiles exponantur, sed vno & altero sensu contestante exponendæ. Si ad proferenda Christi miracula sine calomniæ periculo requiritur duplicis sensus testificatio, nempe visus & auditus: apparet, quàm temeraria plerumque prolatio delicti, quæ vnius solummodo sensus testificatione firmatur. Peccato ille contaminatur. Vndenam nosti? Ego audiui. Vidisti simul? Minimè. Et audes vnius testis affirmatione fallaci quidem, hominem condemnare, famamque eius mortis ream esse proferre?

45. *Sicut in ore duorum testium, seu sensuum stat omne verbum.* Matth. 18.

In ore duorum, vel trium testium (Veritas ait) *stat omne verbum*, Matth. 18. Ergo duo saltem testes requirendi, ne proximus temerariè iudicatus credatur. Audiui, & vidi. Licet enim (vti alibi ostendi) cuncti sensus facilè decipiuntur, & falsi testes aliquando deprehensi fuere: tamen non asseram temerarij iudicij reum illum, qui duplicis testis assertione iudicauerit, id est, auditus & visus testimonio crediderit. Vnde vt Dominico vtar eloquio: *Renunciate, quæ audistis, & vidistis.* Quæ autem vnius, & alterius sensus non nituntur testimonio, falsa omnino esse iudicate. Nec enim damnandus capite honor proximi vita corporis angustior; si ad ciuilem seu corporis, seu diuitiarum damnationem duplicis saltem testis assertio requiritur.

46. *Noluit credere Iosephus visus testimonio, ex cum esset iustus quæsiuit, quid simul auditus testaretur.*

Videt Iosephus Mariam prægnantis exhibere perspicua documenta. Haud tamen ausus est omninò iudicare, nec sponsam contaminatam adulterio tradere interneccioni. *Ioseph autem cum esset iustus, & nollet eam traducere.* Matth. 2. Vndenam hic Iosephus se iustum ostentauit? Certè ex eo, quod non ausus est condemnare sponsam ob singularis sensus, nempe visus testificationem. Nec enim probatio plena vbi duo sensus simul non contestantur. Ideo acutè

Paschas.

Paschasius Iudicis Iosephi sollicitudinem describit, vt videas, an alter sensus, scilicet auditus Mariam deliquisse manifestet. E domo, ait, egressus Sponsus, aures applicat vicinorum, ac propinquorum ostiis, cum per rimulas voces iniuriæ testes proferantur. Hic audit. *O Mariam Iosephi sponsam! quàm facie pulchra, quàm pulchrior moribus!* Illic percipit: *Quo tempore Iosephus absens extitit, nunquam Mariæ ostium reseratum. An ab Angelis nutrita virago?* Alibi resonat augustius adhuc Virginis elogium. Crediderim Salomonem Patrem nostrum procul dubio propter Mariam scripsisse: *Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius. Confidit in ea cor viri sui.* Prou. 31. Porrò Iosephus rubore perfusus, quod ipse non confidat: ad cubile se recipit, haud audens sine auditus exitiali testimonio singulari credens visui Sponsam condemnare. Nam si proferenda, *quæ audistis & vidistis*; quæ videntur, & non audiuntur quonam modo iustè proferentur.

Prouer. 31.

47. *Discipuli iusti noluerunt condemnare Iudam ob visus testimonium, ideo quærunt & auditus sententiam.* Matth. 26.

Vide, an famæ auditio tuæ visioni respondeat, vt sumas documentum, visum tuum haud te fefellisse. Fatur Dominus Discipulis cœnantibus, *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me traditurus est.* Matth. 26. vbi asserunt Patres sufficiens indicamentum datum Discipulis, vt de Iudæ proditione iudicarent, dum viderent ipsis manus abstrahentibus, solum Iudam impudenter manus in paropsidem immisisse. Porrò illi credentes vnicum oculorum testem posse falli, haud se *voluerunt* (loquor cum Cyrillo Alex.) *dare coniecturis*; quia dum non conueniunt duo testes visus & auditus, non est probatio, sed coniectura. Ideo vt alter sensus testetur Iudæ iniquitatem ad Dominum accurrunt, & Ioannis dilecti Discipuli interuentione requisiere, quisnam eum esset traditurus. Vt asserente Christo, Iuda est, & videntibus ipsis manuum in paropsidem immissionem, ex testificatione visus, & auditus possint haud temerè indicare. O perfectio Apostolica!

Cyrill. Alex.

48. *Paulus credit ex parte non ex toto, scissuras esse inter Corinthios, quia audiuit, & non vidit.* 1. Cor. 11.

Paulus scripsit, *Audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo. Cum autem venero*, &c. 1. Cor. 11. cur non credit ex toto? Quia solummodò audiens scissuras esse inter Christicolas, nec videns: licet indicamenta adessent scissurarum, existimabat Apostolus causam illam semiplena probatione niti. Vnde haud credit ex toto, donec ad ipsos veniens, videat, an veritas scissurarum malæ auditioni respondeat.

49. *Zizania nõ condemnantur ob visus testimoniũ, sed expectatur auditus testificatio.* Hieron.

Cùm Patrisfamilias serui proclamarunt, *Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? Inimicus homo hoc fecit. Vis, imus, & colligimus ea?* Paterfamilias respondet, *Non, ne colligentes Zizania eradicetis triticum.*

Quonammodo triticum eradicabitur pro zizaniis, si agricolarum visu sola zizania condemnantur? D. Hieronymus, *Inter lolium & triticum, quandiu herba est, magna similitudo est.* Vnde si solo visus testimonio damnantur zizania, fortè Iudex deceptioni erit obnoxius: immeritóque zizania exilio afficientur. Quid ergo? *Sinite vtraque crescere vsque ad messem; tunc dicam messoribus.* Dicam vtique, en zizania. Tunc autem vos videntes, & audientes iustè poteritis zizania condemnare.

50. *Cum Deus morem generis humanum quasi non fecit, quod vnius visus, nempe auditus, testimonio probatur.* Gen. 18. Saa.

Cum puniendi essent Sodomitæ Dominus inclamat, *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatũ eorum aggrauatũ est nimis. Descendã, & videbo, vtrum clamorẽ, qui venit ad me opere cõpleuerint; an non est ita, vt sciam.* Gen. 18. Vulgarem locum non vulgariter explicabo. Emanuel Saa noster ait, *Sciam, quomodo res habeat, vel qua pœna puniend sint. Loquitur Deus*

humano

humano more, nam ab æterno omnia scit. Ergo cùm loquitur humano more singulariter restanti non credit auditui: *Clamor Sodomorum,* sed requirit alterius sensus nempe visus contestationem: *Descendam, & videbo.* Preme illud: *An non est ita?* Post tot clamorum multiplicationem potest ita non esse? Potest planè, imò ferè semper ita non est, quod vulgi murmure affirmatur. Ideo addendum est alterius sensus visus scilicet testimonium.

51. *Sæpe duplici sensu, auditus & visus testificanto fallimur: quid singulorum?* Gen. 27. Adam.

Profectò vidimus, & audiuimus plura, quæ falsa existere comperimus visu & auditu falsitatis reis. Cum Iacob vestibus Esaü ornatus patris cæci ambiret benedictionem, vt posset pater dignoscere, an esset Esaü, fatur: *Accede huc, vt tangam te fili mi, & probem, verum sit filius meus Esau, an non?* Gen. 27. Audierat senex, *Ego sum primogenitus tuus Esau.* Curat videre. *Accede, vt tangam te.* Nam vt notat Adamus, *Tactus cæco pro oculis vivacior addicitur. Accessit ergo ille ad patrem, & palpato eo, dixit: Vox quidem vox Iacob est, manus autem manus sunt Esau.* En falsum testem vtrumque. Vox fallax asserens Esau esse qui Iacob erat: Ego sum Esaü. Tactus, seu cæci visus fallax, dum indicat manus esse Esaü, quæ verè Iacob manus erant. Si ergo vnus & alter testis falsus competitur: quomodo audes ob vnius sensus testimonium tuum proximum condemnare? Ergo *renunciate quæ saltem audistis, & vidistis;* ne improbi iudices videamini.

Observat. VI.

Ad illa verba:

Cæci vident, surdi audiunt, claudi ambulant, &c.

Non tam verbis, quàm operibus respondet Dominus, se Messiam verum.

Testimonium enim à rebus, ab operibus credibilius existit.

52. Anselm. Chrysost.

FAtur Anselmus, *Renunciate Ioanni quæ vidistis: Cæci vident,* &c. *Cessent verba, loquantur opera.* Et Chrysostomus, *A miraculis vult discant; testimonium enim à rebus credibilius est.*

53. *Christus nō tam verbis, quàm miraculis se Messiā professus est.* Ioann. 10.

Porrò Christus rarò verbis perspicuis se esse Messiam affirmauit. Vnde Iudæi, *Quo vsque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.* Ioann. 10. Operibus, & miraculis tem tantum curat confirmare. *Loquor vobis & non creditis: opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* Non creditis verbis operibus fidē exhibete. *Testimonium enim à rebus credibilius est,* vt aiebat Chrysostomus.

Chrysost.

54. *Regnū Dei non in sermone, sed in miraculis.* 1. Cor. 4.

Quid Paulus? *Veniam, & cognoscam non sermonem eorum, qui inflati sunt; sed virtutem. Non enim in sermone est Regnum Dei, sed in virtute.* 1. Cor. 4. *Virtutem, & virtutes* Græcè est. *δυνάμεις,* id est, *potentia ad miracula facienda.* In huiusmodi potentia Dei Regnum esse ait; quoniam per potentiam miraculorum Christi confirmatum est Chrysostomus, *Quasi dicat Paulus, Per*

Chrysost.

signa, non per facundiam vincimus. Et propterea quod diuina est doctrina nostra, & cælorum Regnum annunciamus: maximam certitudinem præbent signa, quæ facimus.

55. *Christianus rogatus, an Christicola? respondeat operibus expressis.* Prou. 31. Iacob 2. Interlin.

Vtinam Christicola Dei æmulator existat! Christianus ne es? *Cæci vident, claudi ambulant. Oculus enim* (vt cum Iobo loquaris) *eram cæco, & pes claudo.* Sapiens adhæc, *Laudent eum in portis opera eius.* Prou. 31. Et Apostolus, *Dicet quis: Tu fidem habes, & ego opera habeo, ostende mihi fidem tuam sine operibus; & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.* Iacob. 2. Interlinearis, *Ego per opera, quæ habeo possum probare fidem meam,* & eis respondere roganti: *Fidem habes? Cæci vident, claudi ambulant:* opera scilicet misericordiæ expono.

56. *Stultæ Virgines verbis, nō operibus responderunt.* Matth. 25.

Clamant stultæ Virgines, *Domine, Domine aperi nobis.* At sponsus respondet, *Amen dico vobis nescio vos.* Matth 25. Quonam modo nescit eos, si ex vocibus illis: *Domine, Domine,* constat illos esse Christicolas? Certè Deo non benè respondes interroganti: *Christianus ne es? Domine, Domine,* id est Christianus sum; sed opera Christiano conuenientia exhibeo: Pauperes subleuantur, ieiuno, exoro, &c. Ideo alibi Dominus, *Pulsate, & aperietur vobis.* Luc. 11. Pulsate manu, non vocis clamore: *Domine, Domine.* Druthmarus. *Pulsate operibus.* Et cum apertius quæritet quisnam es? possis respondere: *Cæci vident, claudi ambulant,* &c.

Druthm.

57. *Respondeat Christianus Dei se esse: vt respondent aliæ creaturæ, operibus scilicet.* Hilar.

Rogita creaturas, mare, cœlum, terram: an ad Dei ditionem pertineant? Num voce respondebunt? *Pertinemus?* Minimè, sed operando respondent: benedicunt, dum bene agunt. *Benedicite omnia opera Domini Domino.* Dicite Domino: Ad tuam ditionem pertinemus. Quonammodo dicunt? Certè dum operantur. Sic Christianus Numini debet respondere. Hilarius ad Psalm. 146. *Deo non tam sermone, quam re, & gestu obedientia respondeamus. Vt mare, & terra, & cælum Deum non tam voce, quàm officiorum suorum vicissitudine, atque obseruatione laudent.* Augustini ex ore Dominus serm. 150. *Mores volo, non voces. Responde viuendo, non sonando, sed consonando.*

August.

Observat. VII.

Ad illa verba:

Mittens duos ex Discipulis suis, ait illi, Tu es, &c.

Curat Ioannes Discipulos mittere ad Saluatorem, studens illorum vilitate.

Præclari enim Præsulis, Domini, ac Patrisfamilias est, subditos, ac filios suos ad Dominum adducere.

AN dubitauit Ioannes? Minimè. Cur ergò Discipulos immisit ad Dominum quæsiturus: *Tu es, qui venturus es?* Respondet Hilarius, *Non sua, sed Discipulorum ignorantiæ Ioannes consuluit.* Quàm probus Præsul! Auctor Imperf. *Quasi Pædagogus alienos filios, quos ad* 58.

Hilar.

tempus

tempus acceperat, vt erudiret: eruditos quærebat Christo reddere, quasi proprio Patri ipsorum. Præsules satagere debent subditos suos Domino hærescere.

59. *Regina Ecclesia addu[c]it ad Dominum subditos.* Cant. 1. Rupert.

Ecclesia sponsa fatur, *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Cant. 1. Sola trahi postulat: *Trahe me.* Cur non addit, *Curram in odorem*: sed *Curremus*? Certè quia Regina verax parum esse iudicat se solam Domino sisti, nisi secū subditos adduceret. Dominóque offerret obsequentes. Audi Rupertum, *Qui veraciter diligit trahi cupit. Ait itaque, Da vires, vt te per tua vestigia sequar. Te oportuit multa pati, & ita intrare in gloriam tuam. Iter arduum est, via difficilis, & aspera. Gratia tua me attrahat; hortabor & monebo: & te iuuante, adducam mecum subditos plures; curabo comitata venire, & simul curremus.*

60. *Curat Ioannes suos Discipulos affectos esse magis in Dominum quàm in se.* Chrysost. Hugo.

Profatur Chrysostomus hom. 37. in Matth. *Discipuli Ioannis non poterant æquo animo ferre, crescere in dies IESVM. Ioannem verò minoris æstimari.* Prædixerat Baptista, *Illum oportet crescere, me autem minui.* At Ioannes sollicitudine afficitur se se videns proximum neci, vt prius subditos Domino addicat. Hugo Card. *Videns Ioannes proximam mortem suam, voluit Discipulos suos Christo coniungere, antequam decederet.*

61. *Prælatus in subditis sitim excitat Saluatoris requirendi.*

Dominus Prælatis indixit *Vos estis sal terræ.* Matth. Cur Doctores, Magistros, ac Prælatos Ecclesiæ sali comparauit? Chrysostomus, *Monstrat, quod necessaria hæc iniungit. Non enim pro vestra vita, aut pro vna gente; sed pro vniuerso mundo subdito vos mitto.* Cuiusnam sal Euangelicum mundo subdito emolumenti est. D. Thomas, *Eritis subditorum saliteres ad sitim æternorum.* Audisti Dauidem proclamantem? *Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.* Præsulis ergo probi est huiusmodi sitim in subditis excitare, vt anxij instar sitientis properent ad Deum, accurrant ad fontem. Matth. 5. Chrysost. Thom.

62. *Petrus Præsul debebat subditis amare, ad tabernaculum Christi adducere.* Matth. 17.

Apud Thaboris verticem Petrus, transfigurato Domino proclamauit; *Domine, bonum est, nos hic esse: Faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum.* Matth. 17. Asserit alter Euangelista Petrum haud opportunè fuisse locutum. *Nesciens, quid diceret.* Quare Petrus taxatur? Bernardus epist. ad fratres de Monte Dei, *Non quia gloriam postulabat: sed quia communitatis suæ gloriam ad particulares reducebat.* Præsules, & curas de non subditis adducendis ad Dominum, dum sui subditi longè à tabernaculo recedunt? *Nesciens, quid diceret.*

63. *Improbus Præsul non curat oues ad Christū pergere.* August.

Augostinus corripit Præsules mundiales. *Quod errabat, non reuocatis: quod periit non inquisistis; & dispersæ sunt oues meæ eo quod non sit Pastor.* Sic Doctor lib. de Pastor. tom. 9. Quàm reprehensibile in Præsule, ad Dominum oues non reuocare! Licet non auaritiæ studeat Pastor ... lacte, ac lana frui; sed manus abstineat ab omni emolumento: haud suo muneri satisfaciet, dum oues abstractæ à Domino diuagantur; quas deberet totis viribus expressis ad ipsum adducere.

SECTIO SECVNDA.

Ioannis Elogium.

TEXTVS.

VERS. 7. ILlis autem abeuntibus, cœpit IESVS dicere ad turbas de Ioanne: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? 8. Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. 9. Sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plusquam Prophetam. 10. Iste est enim de quo scriptum est, Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Cur Dominus abeuntibus Discipulis, Ioannem laudibus extulerit?

1. *Cur in laudes Ioannis Dominus prorupit.* Hilar.

ILlis autem abeuntibus.] Coram hominum ingenti multitudine Dominus Ioannis legationem accepit. At postquam legati recessere, Ioannem laudibus extulit. Cur abeuntibus legatis, prorupit in laudes? Asserit Hilarius, ne Ioannes ipse scandalizatus videretur. *Ne istud* (id est, verba illa: *Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me*) *referri ad Ioannem posset: tanquam aliquid scandalizatus esset in Christo; abeuntibus Discipulis, ad turbas de eo locutus est.* Et Hieronymus, *Quia turba circumstans interrogationis mysterium nesciebat, & putabat, Ioannem dubitasse de Christo: vt intelligerent, Ioannem non sibi interrogasse; sed Discipulis suis: Quid, inquit Dominus, existis in desertum videre? &c.* Profectò, tanti Patris venia, non admittam turbam existimasse Baptistam de Christo dubitatione affectum aliqua. Quomodo enim concedi potest Ioannem de fide Messiæ visum fuisse dubitare: fecisseque aliquid, propter quod id à populo crederetur? Hieron.

2. *Cur non extulit laudibus, Ioannem, priusquàm legati abirent?* Euthym. Chrysost.

Cur autem non priùs laudatur Ioannes, quàm Discipuli recederent? Existimo, nè adulatoria Panegyride videretur elatus. Euthymius rogitat, *Quare Discipulis præsentibus, non est locutus Dominus de Christo?* Et respondet, *Ne ei videretur adulari.* Et Chrysostomus, *Cœpit dicere Christus, Discipulis abeuntibus, ne*

multitudo putaret, assentatiunculis gratiam Ioannis Christum colligere. Hæc et Theophylactus.

Theoph.

§. II.

De Laudibus Ioannis.

3. *Laudatur constantia Ioannis.*

QVid existis in desertum videre? &c.] Laudat Dominus Ioannis constantiam, & Messiam se esse probat ex constantis testimonio Ioannis. Ne, inquit, existimetis Ioannem ab antiqua mutatum sententia, qua Messiam me esse asseruit: in eadem persistit. Neque enim arundinis æmulator in hanc, vel illam partem, vento flante, mutatur. Profectò Ioannis constantiam vos vestro ad illum concursu comprobastis. Quid enim existis in desertum videre cum ad Ioannem, antequam carcere clauderetur confluebatis? Numquid ad hominem arundini in deserto natæ similem perrexistis? Minimè verò. Haud ad leuem arundinem, sed ad proceram confluxistis arborem firmissimis hærentem radicibus; quam nulli vnquam ventorum turbines à iusta sententia poterunt dimouere.

4. *Vita eius asperitas commendatur.*

Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum, &c.] Vitæ commendat asperitatem ex vestitu. An in desertum properastis vt hominem mollibus, pretiosisque vestibus, affluentem deliciis cerneretis? Minimè. Huiusmodi etenim homines non in deserto, sed in Palatiis Regum reperiuntur. *Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt.* Ioannes verò apud desertum commorabatur.

5. *Prophetis Ioannes effertur.*

Sed quid existis videre? Prophetam? &c.] Ioannem effert à Prophetis. *Et plusquam Prophetam.* Cur Ioannes plusquam Propheta sit appellatus? Hilarius, *Plusquam Prophetam vocat, quia ipsi soli licuit, & prophetare Christum, & videre.* Gregorius hom. 6. in Euang. *Prophetæ ministerium est, ventura prædicere; non etiam demonstrare. Ioannes plusquam Propheta est, qui eum, quem præcurrendo prophetauerat, etiam ostendendo demonstrabat.* Et Hieronymus, *In eo Ioannes Prophetis omnibus maior est, quod quem illi prædicauerant, esse venturum, hic venisse digito demonstrauit. Et quia ad priuilegium prophetale etiam Baptistæ accessit præmium, vt Dominum suum baptizaret.* Lege Cyrillum lib. 2. Thesau. cap. 4. Profectò rationem reddit Dominus illicò, cur Ioannem Prophetis præposuerit.

Hilar.

Gregor.

Hieron.

Cyrill.

6. *Quare Ioannes fuerit Plusquam propheta appellatus, reddit Iesus rationē Mal. 3.*

Ecce ego mitto Angelum meum, &c.] Dico vobis plusquam Prophetam esse Ioannem. *Hic est enim, de quo scriptum est. Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam; qui præparabit viam tuam ante te.* Mal. 3. Particula enim rationem indicat, cur Ioannes plusquam Propheta vocitetur, videlicet, quia non solum Propheta Christi fuit, verum etiam Præcursor & Angelus, id est, nuncius aduentui propinquus, viæque præparator. Chrysostomus, *Cum dixisset Christus Ioannem Prophetis maiorem esse, quare maior sit ostendit. Cur igitur maior Prophetis Ioannes? Quoniam propinquior erat Christo venturo. Mittam enim, inquit, Angelum meum ante faciem tuam. Qui autem ante faciem est, is proximus est. Nam quemadmodum maiore dignitate ij sunt, qui proximè Regibus deambulantibus ordinantur; sic & Ioannes in ipso aduentu constitutus, maiore gratia fuisse.* Auctor Imperf. *Omnes Prophetæ ante solum Christi transmissi sunt, solus autem Ioannes sic missus ante faciem Christi, vt penè cum ipso Christo veniret. Quantum præcesserit Prophetas Ioannes in tempore iuxta Constantinum instituta præ illis proximior erat Christo. Multa quidem stellæ ante solem præcedunt, nunciantes lucis aduentum: nulla tamen earum Luciferi nomen habere meruit, nisi vna, quæ cum ipsa luce procedit. Sic omnes Prophetæ ante faciem Christi præcedunt nunciantes aduentum eius; solus autem Ioannes Præcursor est appellatus, quia non solum aduentum eius nunciauit; sed illum digito suo ostendit.*

Chrysost.

Imperf.

7. *Ioannes naturâ Angelum esse aliqui falsò asseruere.* Cyril.

Ecce mitto Angelum meum.] Hebraicum, מלאך, *Malac* non solum pro nuncio, sed etiam pro cœlesti spiritu sumitur. Vnde nonnulli (quod expressit Cyril. in Ioan. lib. 1. c. 7.) Ioannem natura Angelū asseruere. *Iam, inquit, nonnulli fuerunt non natura hominem, sed de numero sanctorum Angelorum Baptistam fuisse: ac humano corpore vsum prædicasse. Quod inde affirmabant, quia dictum est, Ecce ego mitto Angelum meum. Ignorantes videlicet nomen Angeli ministerium magis quam substantiam significare Angelus Baptista nuncupatus est, non quia natura Angelus esset; Sed quia ad annunciandum, clamandumque venit, præparandam esse Domino viam.* Contestatur Hieronymus.

8. *Angelus vocatus Ioannes ob vitæ puritatem.* Theoph. Euthym.

Attamen, qui Hebraicum vocabulum *Malac* Angelum scilicet, non solum pro nuncio, sed pro cœlesti spiritu accipiendum asserui: existimo Ioannem dictum Angelum ob Angelicam vitæ puritatem. Theophylactus, *Angelus vocatus est Ioannes, & propter Angelicam vitam, ac ferme materia expertem, & propter hoc, quod nunciauit Christum.* Et Euthymius, *Ioannem Angelum suum Deus nominauit, siue quia Malac dicitur nuncius, & Ioannes quæ sibi dicta erant de Christo, annunciauit populo. Siue quasi Angelicam degentem vitam, eo quod super terrenam eleuabatur, ac cœlestia sapiebat.*

9. *Cur tribuit Iesus Patri Ioannis immissionem.* Mal. 3.

Apud Malachiam Filius Dei loquutus, *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* cap. 3. In præsenti autem Christus Patri eandem missionem attribuit: *Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam: qui præparabit viam tuam ante te.* Quare precor? Quia Ioannes à tribus sanctissimæ Trinitatis Personis immissus. Misit illum Filius ante faciem suam, misit & Pater ante faciem Christi.

IN
IESVM COLLOQVENTEM
PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS
CIRCA LITERAM.
EX IOANNIS ELOGIO.

OBSERVAT. I.

Ad illa verba:

Illis autem abeuntibus, cœpit dicere ad turbas de Ioanne.

Coram Discipulis Ioannis Christus Præcursoris elogia non prædicat, fugiens adulator haberi.

Nam qui adulatur, magis persecutor, quàm laudator ostenditur. Ideo Domino adulationis vitium maximè inuisum.

10. RECOLE Chrysostomi sententiam, *Cœpit dicere Christus Discipulis abeuntibus, ne multitudo putaret assentatiunculis gratiam Ioannis Christum colligere.* Porrò non gratiã colligeret adulatione, sed potius in Ioannem persecutor insurgere videretur sapientibus.

Chrysost.

11. Aduenranie olim Sisara, *egressa Iahel in occursum eius, dixit ad eum: Intra ad me Domine mi, intra, ne timeas.* Judi. 4. Particula, *Domine mi* blandum exprimit amantis affectum. Rogantibus in cœna Discipulis, *Numquid ego sum Domine?* Solus Iudas amari ac perfidi cordis, dixit: *Numquid ego sum Rabbi?* Matth. 26. Cur non dixit. *Domine*: Rupertus, *solum hoc dicere, Magister, siue Rabbi: & non dicere, Domine, cordis est longe remoti a familiaritate dilectionis.* Ergo Iahel huiusmodi vsa est assentatiunculis, vt Sisaræ caput infringeret, clauoque facilius transfigere posset.

Iahel assentatiunculis Sisaræ caput transfixit.
Iudi. 4
Matth. 26.

12. Dauid expressit, *Auertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi: Euge euge.* Psalm. 69. Cur auertendi statim? Quia in conspectu meo audent me collaudare. At laus in facie, alapa est, grauis est persecutio. Pulchrè Augustinus. *Qui dicunt mihi*, id est, in conspectu meo, *Euge, Euge. Plus persequitur lingua sic adulantis, quam manus percussoris, interfectoris.*

Auertatur qui laudat, quia laus in conspectu exitialis est, ...
Psalm 69.
August.

13. Præsentium Rex prudentissimus adulatorum timebat, cum proclamabat: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Psalm. 140. Si fortè absentem me celebret, liberabor haud exaudiens elogium. Si autem oleo præsens meum caput impinguat: velut Sisara coget depetire. Adulatoris namque elogium malleus & clauus est magis contundens, quàm illustrans. Quidam apud Genebrardum, *Non impinguet, id est, non franget caput meum. Id est, ne lædas, ne obtundas caput meum*, vt ipse exposuit.

Capitis malleus, & clauus est præsens adulatoris lingua capiti eius, qui laudatur.
Psal 140.
Genebr.

Pharisæi sæpè conuiciantur, & Dominus obticet: adulantur in facie, & irascitur: *Magister*, inquiunt, *volumus a te signum videre.* At Dominus videntes laudatores in facie verè esse persecutores, inclamat, *Generatio mala, & adultera signum quærit.* Matth. 12. Ad quæ D. Chrysost. *Cum illi asperè, ac contumeliosè interrogãt: mansuetè, ac leniter respondet; dum verò assentantur, non mediocri vtitur acrimonia, omni se perturbatione superiorem ostendens.* Profectò horribiliores illos hostes reputat, dum assentatiunculis vtuntur in præsentia, quam dum acriter persequuntur. 14.

Irascitur Dominus in assentatores, qui in præsentia laudant, quia hostibus diriores.
Matth. 12.
Chrysost.

Conqueritur sponsa, *Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem: percusserunt me, & vulnerauerunt me.* Cant. 5. O inurbani Custodes, Martis alumni non recordamini Martem Veneri obsequium præstitisse? Pulcherrimam fœminarum vulneratis sponsam? Profectò crediderim vulnera illa assentationis extitisse sermonem. Laudant sponsæ pulchritudinem, & verius eam vulneribus afficiunt. Porrò Philo Carpat. vera illa corporis vulnera reputans, asserit satius fuisse Virgini Ecclesiæ à crudelibus vulnerari, quàm ab adulatoribus Militibus deliniri. *Hi sunt, qui sanctissimè cadunt, & salubèrrimè vulnerant. Ab iis enim satius est, ad tempus occidi, quam ab adulatoribus ad gehennam exosculari.* Homerus pulchrè in Illiad. 15.

Vulnerat, qui in præsentia adulatur, exitialiter quidem.
Cant. 5.
Philo Carpat.
Homer.

Exosus mihi ille velut inferni portæ,
Qui aliud occultum habet in mente, aliud ore profert.

Seneca, *Hominem in conspectu blandè loquentem, agnosce tuum laqueum esse. Habet enim suum venenum blãda oratio.* Aristoteles lib. Rhet. *Laudare præsentes, adulatoris est. Amatores adulationis stulti sunt. Quia venena non dantur nisi melle circumlita.* Tullius autem l. 1. Offic. *Cauendum, ne assẽtatoribus pateamus aures, & ne adulari nos sinamus: in quo falli facilè est, tales enim nos esse putamus, vt iure laudemur. Ex quo nascuntur innumerabilia peccata.* En vulnera vera, en clauum vsque ad animum penetrantem. 16.

Vulnera dira adulãtis in præsentia.
Senec.
Arist.
Tull.

Audiendum Dauidicum carmen. *Dedisti eum, Pharaonem, escam populis Æthiopum.* Psal. 37. Porrò Pharao, qui Moysem, & Aaronẽ monentes salubriter respuebat: suos Magos crudeliter adolantes auscultabat. Sed qui apes dulciter pungẽtes abegit, in coruos immaniter laniantes incurrit, Lyranus, *Dedisti eum escam populis Æthiopum, hoc est, coruis eum deuorandum tra didisti.* Vnde Pharao suo malo confirmauit paræmiam illam inter Græcos celeberrimam: *Præstat incidere in coracem, quam in colacem. Hoc est, in voracem coruum, quam in fallacem adulatorem.* Sic Prouerbiũ Frãciscus de Mendoza exposuit. 17.

Præstat incidere in voracẽ coruum, quàm in os adulatoris.
Psalm 37.
Lyran.
Mendoz.

OBSERVAT. II.

Ad illa verba:

Illis autem abeuntibus cœpit dicere ad turbas de Ioanne: Quid existis, &c.

Christus Ioannem laudatorem mirificè commendat.

Edocens nobilitate conspicuos longè debere superare laudatores, benefactorésque suos in laudum, ac beneficiorum retributione.

18. *Anselm.* CVr de Ioanne Dominus cœperit ad turbas proclamare? Anselmus, *Turba nesciebant mysterium interrogationis Ioannis: Tu es, qui venturus es? Ne ergo suspicentur, Ioannem liuore motum; & vt sciant, illum non sibi, sed Discipulis quæsisse: cœpit dicere ad turbas de Ioanne.* Profectò aptiùs reor, Dominum ad turbas de Ioanne dixisse; quia Ioannes ad turbas de Domino dixerat: *Ecce Agnus Dei.* Ioann. 1. (*Ioann. 1.*) Vt ergo Dominus gratitudinem exhiberet, ad turbas de Ioanne profatur: *Quid existis in desertum videre? &c.* Suum superauit Dominus laudatorem.

19. *Ioannes Christum vocauit Agnum, Christus autē vberrimo gratitudine Angelū appellauit.* *Chrysost.* Preme singula elogij verba, præcipuè ponderans illud: *Hic est, de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum.* Ioannes vocat Agnum IESVM; IESVS autem autem Angelum Ioannem appellat. Chrysost. hom. 27. in Matth. *Ioannes quidem testificatus erat de Christo: Ecce Agnus Dei. Sed amplius recepit à Christo, quàm præstitit. Ioannes enim Christum glorificans humanam illi contulit laudem. Christus autem Ioanni diuinam contulit gloriam. Nam iste illum Agnum ostendit, ille autem istum Angelum prædicauit. Iste minus laudauit in Christo, quam erat: Nam non solum peccata mundi abstulit, sed etiam vitam æternam mundo donauit. Ille autem istum supra quā videbatur, erexit: vt qui homo erat, Angelus diceretur.*

20. *Centurio laudat IESV Diuinitatē, IESVS eundem Gentilem super Israelitas cunctos superstites extollit.* *Matth. 8.* *August.* *Anselm.* Centurio Christi naturam Diuinam efferebat, dum ait, *Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* Matth. 8. Vbi Augustinus ser. 6. de verb. Dom. *Dicendo se indignum, dignum præstitit, in cuius cor Christus intraret: nec tanta fide, & humilitate diceret, nisi Christum iam corde gestaret.* Ergo de recens credente, in quem tunc Christus ingressus erat, ipse profatur: *Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israël.* Hieronymus, *De præsenti loquitur Israelis fide.* Anselmus, *Mira fides in Gentili.* En Domini profluentiam, vt vincat suos vbertim admodum laudatores. Centurio diuinam Christi odoratus potestatem, se solum postposuit potestati Diuinæ; à minori enim arguens, ait: *Et ego homo sum, & dico huic: Vade, & vadit.* suum solùm imperium confert cum Diuino, vt inde Diuinum extollat. Quàm largior Dominus respondit fidem Centurionis Gentilis præferens non vnius hominis, sed omnium Israëlitarum existentium fidei. *Non inueni tantā fidem in Israel.* Sic semper nouit Dominus suos vincere laudatores.

21. *Christus* Petrus Dominum egregiè laudat, *Tu es Christus Filius Dei viui.* At Dominus se se in Petro effudit commendando: *Beatus es, Simon Bariona; quia caro, & sanguis non reuelauit tibi; sed Pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi: Quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Matt. 16. *laudatus à Petro vicissim obsequium eius eximiè commendando.* *Matth 16.* Qui breui sermone suam Diuinitatem Petri ex ore percepit, laudum incrementis Petri exprimit excellentiam D. Leo serm 3. *Leo.* *Ego dico tibi, hoc est: sicut Pater meus tibi manifestauit Diuinitatem meam: ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam.* In quo possum te excedo, dum qui laudes per hominem accepi Deus cum sim, hominis fio laudator egregius.

22. *Nauicula, quæ dedit Domino suggestum, piscium copia exuberanti munerauit.* *Luc 5.* Petri nauiculam Dominus concionaturus reddidit in suggestum, *& sedens docebat de nauicula turbas.* Post paruum interstitium Piscatores Discipuli *impleuerunt ambas nauiculas, ita vt penè mergerentur.* Luc. 5. Quæ laudando Domino ex IESV prædicatione nauicula seruierat, piscibus repletur: vt domino nauiculæ copiosa merces ex exiguo impendatur obsequio, Deo equidem largitore. Theophylact. in Cat. D. Thom. *Theoph.* *Quia turbam de nauicula instruxerat, non sine mercede nauicula dominum dereliquit.*

23. *Pro panis particula, bonorū vim incredibilē Deus expēdit.* Propheta mōnet, *Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagósque induc in domum tuam. Si videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.* Quoniam fructu? *Tunc erumpet quasi manè lumen tuum, & sanitas tua citius orietur.* Isa. 58. Preme verbum, *Erumpet.* Vbi Chrysostomus, *Isa. 58.* *Chrysost.* Quid igitur hoc significat. *Erumpet lumen tuum: celeritatem, & largitatem nobis declarat, & quomodo quasi parturiat, vt bona ab ipso procedant, & vrgeatur. Ita, vt dictum est, vocabulo Erumpet, ipsam bonorum copiam, & abundantiam, & infinitatem facultatum, quibus præditus est, ob oculos ponit.*

24. *Citò dat bonorum huiusmodi abūdantiā: quod præstāt verè reddi elargitionem.* Preme particulam *Celeritatem* Profectò licet non tanta esset redituum copia, ipsa celeritas munerandi pro copia sufficeret. Bis enim dare dicitur, qui citò largitur. *Erumpet ergo, Declarat celeritatem.* Post diurnum operariorum laborē, *cum serò factū esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedē.* Matt. 20. *Matth 20.* Ad quæ Caiet. *Caietan.* *Cum serò factum esset. In fine diei, mercedis tempus describitur: vt non maneat opus mercenarij apud Patremfamilias vsque mane.* Denarium pro opere vnius diei diurnum largitur: sed tamen vincit operariorum merita, non solū ex mercedis qualitate; sed quia citò reddidit, quod duplicatæ solutionis locum gerere quis non profiteatur?

25. *Magdalenā plorantē lacrymisque rigantē pedes IESV, facit Euangelistam apostolorū pedum pulchritudine.* *Ioann 20.* *Cyrill.* *Isa 52.* *Luc 7.* Lacrymas profundens requirit Magdalena Christi cadauer, vt possit ei iusta soluere. Dominus autem vberrimus munerator, *Vade*, inquit, *ad fratres meos*, & dic eis: *Ascēdo ad Patrē meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum* Ioa. 20. O augustissimum lacrymarū præmium! Cyrill. l. 12. in Ioa. c. 55. *Largitur illi Dominus primū, ne ploret: neuè dolori animū subiiciat; deinde mirabilē quandam pedum pulchritudinem. Pulcherrimi enim sunt (vt Propheta dicit) pedes euangelizātium bonum.* Isai 52. Cur specialissima afficiuntur Magdalena pedum pulchritudine? Certè quia aliquandò *lacrymis cœpit rigare pedes eius* Luc. 7. Rigantur pedes Domini lacrymis peccatricis: pedes autem peccatricis Euangelica pulchritudine decorantur. Quam vber Christi ad munerandum obsequia misericordia: quàm se Dei Filium ex gratitudinis ingenio ostentauit!

OBSERV.

OBSERVAT. III.

Ad illa verba:

Quid exiftis in defertum videre? arundinem vento agitatam?

Ioannis auguftiffima conftantia à Domino prædicatur.

Æterna etenim falutis negotium viros expetit conftantia præditos: Agnati damnationi inconftantes.

26. Anfelm. EXiftis nè (cum Anfelmo loquor) *videre in deferto hominem, qui, inftar arundinis, omni vento agatur, vt leuitate mentis de me ambigat, quem prædicauit?* Haud iuftus inconftans. Nec non equidem mutabilitate oftentatur arundo. *Carnalis animus* (loquit Gregorius) *fauore, & detractione tactus, in partem quamlibet flectitur.* Mihi credite, falutis negotium animos conftantes requirere: animum mutabilitate preffum damnationi obnoxium.

27. *Ioannes firmamentum cœlefte, ab arundine præmonitum.* Gregor. De fanctiffimo Ioanne Gregorius hom. 6. in Euang. *Arundinem mox vt aura contigerit, in partem alteram inflectit. Sed arundo agitata vento Ioannes non erat; quia hunc nec blandam gratia, nec cuiuflibet detractionis ira afperum faciebat. Neque profpera hunc erigere, neque aduerfa nouerant inclinare. Arundo ergo vento agitata non erat, quem ab ftatus fui rectitudine nulla rerum varietas inflectebat.* Erat igitur *firmamentum* æternitati cœlefti ignatum.

28. *Peccator inconftans canis, & iam à cœli expellendus interitum.* Arundines multas fluuij Babylonis exponunt, inconftantes multos, quos leuis aura mouet, leuis mutat tentatio? hodie peccatis nuncium remittunt, cras ad illa redeunt. Turpiffimis hi canibus fimiles oftentantur ad vomitum redeuntibus. *Sicut canis, qui reuertitur ad vomitum fuum, fic imprudens, qui iterat ftultitiam.* Prou. 26 *Contigit eis* (loquor cum Apoftolo) *illud veri prouerbij; Canis reuerfus ad vomitum fuum, & fus lota in volutabro luti.* 2. Pet. 2. Ex Græco, *Et fus lota ad volutabrum reuertitur.* Nofter Barradius fapientiffimus tom. 2. lib. 8. cap. 10. *Imprudens eft peccator & cani fimilis, qui ftultitiam, feu peccatum repetit, quod per pœnitentiam euomit; fimilis immundis fuibus è lauacro ad luti volutabrum repedantibus.* O inconftantiam arundinis. Si *foris canes* (ait Ioannes) quid fues?

29. *Saul inconftans tandē damnatur, erat arundo quolibet fpiritu inclinata.* Saul à Deo per Samuelem eligitur, & vix à Samuele electus, incipit viam capere, *& ecce cuneus Prophetarum obuius ei, & infiluit fuper eum Spiritus Domini, & prophetauit in medio eorum.* 1. Reg. 10. Acceffit Saul ad eos, qui fpiritu Domini agebantur, & fimili fpiritu actus eadem opera edebat. Afcendit Regale folium, cœpit inuidiæ patere, & mundialibus tempeftatibus expoui: *Spiritus Dei malus arripiebat Saul.* 1. Reg 16. O arundineam mentem! Tertullianus lib. de Ani. cap. 4. *Saulem tam Dei fpiritus vertit in alium virum, id eft, Prophetam: quàm malus fpiritus poftea euertit in alium virum, apo-*

Ant. de Efcob. & Mend. Tom. III.

ftatam fcilicet. Mifere is tandem damnationi ex inconftantia addictus eft. Iam enim arundinis in morem à bono fpiritu inclinatur ad dexteram, iam flante malo fpiritu ad finiftram abftrahitur.

Calamos leuitate nitens igni, lignum, *quod plantatum eft iuxta decurfus aquarum*, cuius vel *folium non defluit*, fœliciffimæ æternitati præparatur. Quod ponderofum eft cœlo, quod leue, & mutabile tartaro referuatur. De Chrifto Ioannes nofter illud proclamabat: *Cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream fuam: & congregabit triticum in horreum fuum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Luc. 3. Affolet agricola triticum & paleas referuare, quia lucrum percipit ex vtrifque. Cur ergo Dominus agricolam agens folum triticum æftimat, & cuftodit? Cur palearum non aliqualem gerit æftimationem, fed igni committit? Certè quia quod leue eft & mutabile igni æterno eft agnatum. Cœlefti horreo folida folum grana apta confpiciuntur. Nazianzenus Orat. ad Loca locum *Ventilabrum habet, quia repurgat aream; & quidquid leue eft, ac vento obnoxium, reiicit; quidquid vero graue, in horrea reponit.* Conftans animus, qui à nullis reflantibus ventis auerti poteft à dextera fœlicitatis æternæ, ipfi addicitur. At paleæ fimiles homines quolibet vento mobiles igni interminabili præparantur.

30. *Quod leue eft igni agnatum, quod fundatū fuperis.* Luc. 3.

Nazianz.

Ego vidi (ais cum Periandro Græco comico) *cedrum a ventorum rabie contritione adfectum, calamum integritate frui.* Profectò cedrus conteri potuit à ventorū vi, fed ipfis noceffit. Calamos autem ideo cōtritus non eft, quia cedere fciuit, & quam in partem perflabant venti, protinus inclinare. Vidi ego Ioannem Herodis flatibus exitialibus contritum cedrum vtique Saulem lignorum. Nam *inter natos mulierum non furrexit maior Ioanne.* Matth. 11. At fi potuit confringi, amputato vertice, cedere non potuit. Quàm appofitus Guillielmi Parif. lib. de Morib. tract. de fpe Apologus inftituto! *Cum quercus confracta effet impetu venti, arundo illæfa permanfit. Admirata quercus confractionem fuam, & euafionem arundinis: interrogauit arundinem, qualiter hoc factum effet: & refpondiffe fertur arundo, Quia tu præfumens de fortitudine tua voluifti refiftere vento, qui fortior erat te; ficut euidenter oftendit confractio. Ego autem ceffi, & euafi; & euado fimiliter ab omni vento; quia vnicuique vento cedo. Sic & multi omni tentationi cedunt, & poft omnem concupifcentiam fuam abeunt.* Pulchrè. Haud fic proceriffimæ arbores. Furentibus obnitentes tempeftatibus poffunt confringi fed non cedere. Dum autem arundo ex deferto rapiatur in ignem, procerè conftantes arbores æternum transferuntur in hortum, refumpta vtique integritate corporis, quæ confracta non ceffit.

31. *Conftantia affolet frangi, vti Ioannes; fed non cedere ventis Calamus inconftans cedit, nè frangatur. Differ exi no.* Periand. Matth. 11. Guilliel. Parif.

* * *

Observat. IV.

Ad illa verba:

Sed quid existis in desertum videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.

Ioannem asserit Dominus mollibus non indui vestimentis, vt eius adstrueret inocentiam.

Porrò quia molles vestes culpa sunt argumenta.

32. QVarè Dominus tot verbis ostendit, Ioannem minimè vsum mollitudine vestimenti? Profectò vt eius innocentiam illibatam ostenderet. Vestimentorum enim luxus animi arguit inquinamentum. Appositè D. Gregorius apud Saa. *Si in studio pretiosarum vestium culpa non esset, non laudasset Dominus Ioannem de vestimenti austeritate.*

Gregor.

33. Opportunè Propheta popularem expressit errorem circa vestimenta. *Apprehendet enim vir fratrem suum, domesticum patris sui. Vestimentum tibi est, Princeps esto noster.* Isa. 3. Vndenam colligis aptum illum Imperio? Ex vestium elegantia, ex purpureo indumento, ex ornatus mollitudine. *Nam qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt.* Proh stultitia vulgaris! Imò quia molli vtitur vestimento arguitur iniquus ineptus vtique ad Principatum. Basilius ad Isaiæ locum, *Qui miserabili iugo voluptatum premitur, ac seruit variis concupiscentiis, cum seruus sit peccati, inidoneus est, nec accommodatus obeundo Principatui.* Vndenam ô Doctor egregie, colligere possumus cum voluptatibus deseruire, variisque concupiscentiis! O stulti, dum eum videtis fratrem vestrum Regio amictu, molli vti vestimento, colligere poteratis animi inquitatem. Molli vtitur, cum sit vulgaris, vestimento? *Iugo* (probabiliter) *premitur voluptatum, ac variis concupiscentiis seruit.*

Stul è curat Principem fieri, qui vestium mollitudine vtebatur, quem molles vestes arguunt animum vitiis seruientem.

Isa. 3. Basil.

34. Vestium mollitudo nunquam non influit iniquitatem. Rogo, an ipsi Reges vestimentorum mollitie taxabiles? Certè vestimentorum luxus non solum in vulgaribus arguunt iniquitatem; Sed & in Proceribus sunt criminis argumenta. Pulchrè D. Synesius lib. de Regno: *Quantum Imperatoribus superbi, ac arrogantis cultus accessit: tantum decessit veritatis.* Quid cultui accessioni cum decessione veritatis? Porrò qui verus Rex ostenditur, virtutibus ornandus Regalibus. D. Basil. ad cap. 3. Isaiæ. *Verus Princeps non per hæc insignia externa internoscitur, cuiusmodi purpura, torques, seu amiculum pertenue, & diadema; sed per id quis verè obtinet virtutem Principe dignam.* Preme particulam, *Verus Princeps, verè obtinet virtutem.* Ergo *si verus Princeps ille est, qui verè obtinet virtutem*: tantum decessit veritatis Imperatori, quantum accessit cultus arrogantis. Quia scilicet mollitudo vestium eum arguunt mendacem, quippe vitiis seruit, voluptatibus inquinatur, eum deberet vt subditis, animi affectibus imperare.

Quantum Imperatoribus arrogantis cultus accessit, tantum decessit veritatis.

Synes.

Basil.

Reum mendacij aliqui conantur Iacobum ostentare, cum *vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum Rebecca.* Gen. 27. Illud enim Esau vestimenta gerere, idem esse asserunt, ac mentiri, *Ego sum Esau.* O valdè bonæ vestes fragrantiæ luxu sanctum arguitis mendacem: Quidnam precor, efficient vestes valdè malæ, hoc est prophanitate plenæ? Haud mendax Iacob, sed alienis vestibus valdè bonis mendax indicatur. 35.

Vestes valde bonæ ob fragrantiæ luxum arguunt sanctum mendacem? quid valde malæ?

Gen. 27.

Post Adæ peccatum Moyses ait: *Cùmque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* Gen. 3. Vbi Albinus apud Lipom. *Quia ergo gloriam simplicis castitatis amiserunt primi parentes nostri duplicem libidinis pruriginem confugerunt.* Perizomata Doctor duplicem pruriginē libidinis appellauit. Quare? Quia perizomatibus hisce ait signati vestimenta vanitatis, quæ sibi luxus humanus accommodat. Deus induit homines tunicis pelliceis, *Fecit quoque Dominus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Ibid. Ad quæ Rupertus apud eundem Lipom. *Fecit tunicas pelliceas eo modo, vt flere debeant.* Ex vestimento occessatio luctus, ex prophano, ac superfluo luxus exoritur: *Ad duplicem libidinis pruriginem confugerunt.* 36.

Vestimenta vanitatis idē sunt, ac libidinis duplicata prurigo

Gen. 3. Albin.

Rupert.

Clemens Ro. lib. de Aposto. Const. cap 3. de prophanis indumentis profatur, *Sunt omnia meretricia consuetudinis indicia.* Clemens autem Alexand. lib. 2. Pædag. cap. 6. *Laudo, & admiror Lacedamoniorum Ciuitatem, quæ solis meretricibus floridas vestes, & aureum mundum gestare permisit.* Fœminam meretricem sic Ioannes expressit, *Et mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis.* Apoc. 17. Profectò vestium mollitudo non solùm libidinem arguit in fœmina; sed & animum cunctis vitiis addictum ostentat. Ideò insidet mulier bestiæ de qua Ambrosius, *Bestia verò diabolum significat, eo hortante per diuersa vitia currit.* Dionysius Carthus. asserit indumentis prophanis ornata fœmina huius seculi filios, peccatores scilicet designari. Nam *filij huius seculi quærunt vestimentorum ornatum.* 37.

Vestes prophanæ sunt meretriciæ.

Clemens Roman. Clemens Alexan.

Apoc. 17.

Ambros.

Carthus.

Demùm Clemens Alex. lib. 2. Pædag. c. 10. *Superflua,* inquit, *vestis nihil aliud habet, quàm alia vestis, nisi solum vituperium.* Quia qui te superfluo indutum amictu aspexerit, haud ineptè animi arguet probabiliter inquinamentum. Pulchrè Ausonius, *Te meretricio amictu ornatam aspecto, & te non æstimabo meretricem?* Hugo igitur Cardinalis rectè ex Gregorio concludit, *Nemo existimet in studio pretiosarum vestium peccatum deesse.* 38.

Vestis superflua solum habet vituperium, specialē scilicet luxuriæ indicamentum.

Clemens Alex. Auson.

Observ.

OBSERVAT. V.

Ad illa verba:

Sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plusquam Prophetam. Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum.

Angelici Præcursoris elogia perstringo.

Super omnes Diuos Ioannem ascendere, ad spirituum properare naturam, Deifica quodammodo decorari, ostendo.

39. *Saa.* EXponit Emanuel Saa Christi sententiam. *Plusquam Propheta Ioannes appellatur, quia Christi Præcursor, Regni cælorum Prædicator, Baptismi institutor illius in Iordane, Angelus Dei.* O Baptistæ supra cunctos Prophetas excellentiam!

40. *Ioannes plusquam omnes diui?* August. Damian. Plusquam Prophetam appellatum miraris? Plusquam omnes Diui Ioannes ostentatur. D. Augustinus ad Psalm. 29. *Ad eos peruenit terminos quo humana natura peruenire non potuit. Ideo Dominus: Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Petrus Damianus serm. 1. de Bapt. *Vnus est, & secundum non habuit. Extitit enim totius iustitiæ Principatus.*

41. *Ioannes post Christum, & Mariam primus prædestinatus.* Ier. 1. Innocent. Tantus equidem Ioannes, tam singularis obiicitur, vt per Christum, & Deiparam primus prædestinatus sit appellandus. Ideo accommodat ei Ecclesia illud propheticum: *Priusquam te formarem in vtero, noui te.* Ier. 1. Explicat Innocentius serm. de Ioan. *Nouit enim Dominus, qui sunt eius, id est, prædestinauit suos;* Nouit Dominus Ioannem? Ergo post Christum & Mariam singularis prædestinatus exurgit. *Quando quod pluribus communiter conuenit, vni specialiter attribuitur, antonomastice debet intelligi de Ioanne. Quia prædestinauit ei maiorem gratiam in præsenti, & maiorem gloriam in futuro.*

42. *Magnus coram Domino, & medius totius est Trinitatis.* Luc. 1. Damian. Quantus Ioannes, qui Magnus coram Domino nuncupatus est? Angelum testor, *erit magnus coram Domino.* Luc. 1. Stellæ quædam in firmamento aspectantur, quas Astrologi primæ magnitudinis appellant. Quæ tamen oriente Sole extinguuntur. At Ioannes Lucifer in Solis ardet aspectu. Perbellè Damianus serm. 2. de Bapt. *Pater auditur in voce, filius baptizatur in flumine, spiritus in columba specie adest; Ioannes totius medius est Trinitatis.* Tantus fulgor Ioannis, vt lucis inaccessibilis Personarum diuinarum medius appareat. O veraciter primæ magnitudinis sydus!

43. *Filius est gratiæ, potius quam naturæ.* Luc. 1. Miraris Angelum appellatum à Patre, ac Filio? Plusquam Angelum recognosco, si potius gratiæ, quam Elisabethæ filius potest nuncupari. *Elisabeth impletum est tempus pariendi, & peperit filium.* Luc. 1. Cur non additur, *suum*, sicut cum de Maria asseritur, *Peperit Filium suum?* An quia Ioannes haud est quodammodo fœminæ filius, sed gratiæ? Ambrosius serm. 63. de Ioan. *Ioannem Zacharias magis orando genuit. Concepit Ioannem non natura, sed gratia.* Guarricus serm. de Bapt. *Ioannes natiuitatem gratia operatur, natura miratur.* Et Innocentius citat. *Fuit magnus in conceptione, quia conceptus est, non exigente natura, sed gratia operante.* Ambros. Innocent.

44. *Commissus fuit à Deo Ioanna partus gratiæ, vt Angelus ex hominibus nasceretur.* Chrysol. Et quomodo ex hominibus Angelus nasci potuisset, si fœtus, ac partus gratiæ à Deo commissus non esset? Eleganter de more Chrysologus serm. 89. *Ergo in Zacharia, & Elisabeth stupet sexus, frigescit caro, membra sopiantur, tempus præterit, ætas transit, abolescit totum quidquid est & humani ordinis, & negotij coniugalis: Vt diuino munere, non partu, ex hominibus Angelus nasceretur.*

45. *Ex vtero ipso, ministerio Præcursoris singulariter dedit operam.* Luc. 1. Damian. Chrysol. Damian. Audisti ne aliquem Diuum ex vtero Deo obsequium præstitisse? Ieremias sanctificatur in vtero, sed non inibi Deo propheticum litauit ministerium. At Ioannes ex vtero Præcursoris munus expleuit. *Exultauit* (inquit Elizabeth) *infans in vtero meo.* Luc. 1. Quare exultat? Petrus Damian. serm. 3. de Ioan. *Nutibus exultauit.* Vt scilicet de Christo testimonium proferret. Vnde vti adnotauit Chrysologus serm. 91. *Ante cœpit viuere Deo, quam sibi.* Ergo Ieremiam superauit. Damian. inibi, *Ieremias in matris vtero sanctificatus, Ioannes Spiritu sancto repletus. Ibi enim sanctificatio emundationem, hic repletio inundationem significat.* In vtero Ieremias fons paruus ostenditur, Ioannes autem pelagi obiicitur inundatio.

46. *Ioannes à Deipara nascitur, & ut Euangelista sit speciale priuilegium filiũ Mariæ extitisse.* Ioan 19. Damian. Profectò augustiori adhuc elogio Ioannes è Deipara nascitur homo, quam ex Zacharia ac Elisabetha Angelus. De Ioanne Euangelista illud egregium prædicatur, quod Deiparæ filius Christo asserente, eiusque verbo efficiente exurgit: *Ecce filius tuus, ecce mater tua.* Ioan. 19. Ioannes etiam noster Virginis filius debet appellari. *Abiit Maria in montana, & tanto tempore* (loquor cum Petro Damian. serm. 1.) *manet cum Elisabeth virginalis integritas, & nunc dulcioris colloquio, nunc amplexu feliciori Ioannem puerum consecrat, & insignit.* Quid plura? *Ipsa Deigenitrix fælicem puerum primum de terra leuauit.* Leuatur Ioannes à Deipara? Ergo verè eius mater appellanda. Sterilis Rachel curauit maritum Iacobum ex Bala ancilla suscipere prolem. Peperit illa Dan, proclamante Rachele: *Dominus exaudiuit vocem meam, dans mihi filium, & idcircò appellauit nomen eius Dan.* Genes. 30. Vbi Pereira asseruit Dan à Rachele leuatum, & ideo tanquam proprio filio ei nomen imposuisse. Vulgatus tie, *Habeo famulam Balam, ingredere ad illam, vt pariat super genua mea, & habeam ex ea filios.* Ex Hebræo, *vt pariat filios, quos possim ego adoptionis lege quasi meos collocare super genua mea.* Si ergo *Virgo* Deiparens *fælicem infantem prima de terra leuauit*, Ioannes quidem Virginis filios est meritò appellandus. Gen. 30. Pereir.

47. *Ioannes gratiæ filius matrisauit.* Ambros. Arist. Strab. Quid de gratia humani huiusce Angeli attexam? Ambrosius serm. 63. *Concepit Ioannem non natura sed gratia.* An non (Aristotele assertore) *filij matrisant?* Gratiæ filius totus gratia exoritur. Quidnam Ioanni ex Deiparæ mora gratiæ addicitur? Strabus, *Si in primo aduentu Mariæ Spiritu sancto est repletus Ioannes, multum*

Maria aliq̃ ſeß in montana perrezit, vt incrementis Ioannis operam daret.

Beda. Ambroſ.

eſt illi ſuperadditum tanta mora manſionis. Præcipuè cùm ad id ſolum Maria venerit ad montana, vt Ioannis ſtuderet incrementis. An ſuo defuit muneri? Beda, *Tandiu manſit Maria, donec videret Præcurſoris natiuitatem, propter quam maximè venerat.* Propter quam, ſcilicet meritis plenam. Ambroſius ad Lucam, *Non enim ſola familiaritatis eſt cauſa, quod diu manſit Maria in domo Eliſabeth: Sed etiam tanti Vatis profectus. Vngebatur itaque* oleo Mariæ, *& quaſi bonus athleta exercebatur in vtero matris Propheta. Ampliſſimo enim virtus eius certamini parabatur.*

Chryſoſt. Ideo naſcitur *ſpecie homo* (loquor cum Chryſoſtomo hom. 27.) *gratia Angelus*: Nihil carnis erat in eo niſi viſio ſola.

48. Vis Baptiſtam deſcribam? Eſt cunctorum Diuorum facilè epilogatio, quia omnium præcipuas ſeu primarias virtutes expreſſit. E Petro fidem, ex Ioanne puritatem, ex Paulo prædicationem, ex Heremitis pœnitentiam, &c.

Ioannes omnium Diuorum primarias virtutes expreſſit.

Cyril. Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 34. *Quis maior Baptiſta, qui ad apicem virtutis peruenit; qui nulli fuit præcipua, & ſpeciali pietate ſecundus?* Lucas ait, *& non erat eis filius, eo quod Eliſabeth eſſet ſterilis.* Cap 1. ad quæ Chryſolog ſerm 89.

Chryſol. *Beata ſterilitas, quæ vnum ſeruabatur ad partum, & expectabat Ioannem; cui, quia prima omnia debebantur, primogeniti dignitas non periret.* Quænam iſtæ primariæ omnium in Ioanne virtutes?

Damian. Petrus Damian. vbi ſup. *Verbum pœnitentia dulce, & glorioſum verbum Regni cœlorum latum & adorandum illi ſoli primario conuenit. Quis ſic puer eremum concupiuit? Quis ita legitur ſublimiter conuerſatus? Quis pœnitentiam, & Regnum cœlorum primus oſtendit? Quis baptizauit Regem gloriæ? Cui ſe primum Trinitas reuelauit? Cui tale teſtimonium perhibuit Deus.*

49. An elatum ſe oſtentauit Ioannes primariis ex meritis? Humilitas eius merita ſuperauit? Audias precor. *Inter natos mulierum*; ait Dominus, *non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta. Sed qui minor eſt in regno cœlorum maior eſt illo.* Matth. 11. Si maior omnibus omnes ſuperat Diuos, quonammodo minor omnium illum ſuperauit? Quia ſe poſt tam auguſtam magnitudinem minorem omnibus ipſe reputabat.

Cum eſſet maior omnibus, ſe minorẽ omnibus reputabat. Matth. 11.

Rupert. Pulchram do Ruperti ſententiam, *Ioannes ita iudicando, ita non quæ ſua ſunt: ſed quæ aliorum erant conſiderando; & ſuperiores ſibi futuros Apoſtolos arbitrando, regulam cuſtodiebat ſancta, & vera humilitatis, ſemetipſum depriments, tanquam minor eſſet omnibus illis. Sed nunquid ita iudicabat Dominus iudicij? Nequaquam, ſed amen dico vobis, ait, inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta.*

50. O quàm vtilis hominibus Ioannes, qui docuit vim inferre cœlorum Regno, nobiſque clauſtra cœleſtia aperuit! *A diebus Ioannis Baptiſtæ vſque nunc Regnum cœlorum vim patitur.* Mat. 11. Vbi Petrus Damian. citat *Totus adſtupeo baptizanti, & hominem video violentiam ipſis cœlis inferre.* Aſſeritur Ioannes venturus *in ſpiritu, & virtute Eliæ.* Luc. 1. Ex hoc Eliam longe Ioannes ſuperauit, quia Propheta cœlum clauſit, at Ioannes cœlus aperuit, vt cœleſtes theſauros hominibus impertiret Theodorus Stud. orat in Ioan. *Nunquid ergo, ô Ioannes, ſuper terram aſcendiſti, ad cœleſtia prouectus es, Angelicos, & primo operantes ornatus tranſcendiſti? Et quod eis eſt a ſeculo obſcurum, & quod minimè didicerunt, ſtatim tanquam poſt Deum traiециſti, & nobis annunciaſti?* Guarricus ſerm. 2. *Accingimini ergo viri virtutis, & ſequimini ducem ac Magiſtrum Militiæ, Ioannem loquor, à diebus cuius cœlum nobis cœpit eſſe expugnabile.*

Docuit homines, vim ſuis cœlis inferre. Matth. 11. Damian. Luc. 1. Theodor. Studit.

Parum dixi? Portò Ioannes eſt quidquid præſtantiſſimum, ſeu auguſtiſſimum excogitaueris. *Quis putas, puer iſte erit?* Luc. 1. Erit quidquid eſſe putaueris. Contemplari lubet ſolummodo Ioannis vocem. *Vox clamantis, in deſerto.* Iſai. 40. Volo, hanc vocem omnia muſicorum genera Dauidis referre. Audi Euſebium Emiſſ. ſerm. in Domin. 4. Aduent. *Hanc Ioannis ſolam vocem ſignificabant omnia illa muſicorum genera, quibus Dauid cantare conſueuerat.* Tubis celeberrimis hæc vox exprimatur. *Hanc vocem ſignificabant illa tuba, quibus canentibus, capta eſt Iericho. Lege in Apocalypſi, & ſeptem Angelos inuenies tubis canentes, per quos omnes Eccleſiæ Prædicatores ſignificantur ab ipſis Apoſtolis vſque ad finem Eccleſiæ. Omnes igitur iſta tuba, omnes iſtæ voces vnam illam vocem ſignificant, quo loquitur dicens: Ego vox.* Quid erunt geſta, ſi vox tantum eſſe conſpicitur? 51.

Ioannes eſt quidquid præſtantiſſimum eſſe volueris. Luc. 1. Iſai 40. *Præconium eius commendatur.* Emiſſ.

Volo Ioannem eſſe Filio Dei ſimilem. *Eliſabeth impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium.* Luc. 1. Legit ex Græco Chryſoſtomus, *Eliſabeth impletum eſt tempus pariendi, & genuit filium.* Meritò Ioannes dicitur à matre genitus, vt ex hoc eius natiuitas oſtendatur ſupra naturam creatam, & valde ſimilis generationi increatæ Filij Dei. De quo quidem in Symbolo aſſerimus, *Genitum non factum.* Chryſoſtomus hom 2. de Natiuit. Ioan. *Cur autem Eliſabeth peperit, & genuit? Quod illud eſt quidem opus naturæ; hoc vero ſupra naturam. Quandoquidem peperit quidem, vt mulier; ſed ſuperuenit gratia ſancti Spiritus, & genuit ſupra naturam. Erat enim miraculum, quod fiebat à Ioanne, & non tantum habebat paterni generis, quantum Dei Verbi.* Quid illuſtrius? Panegyridem hanc de Ioanne meo obſecro adiicias libro ſecundo voluminis ſexti de Sanct. vbi latè de Baptiſtæ elogiis. 52.

Ioannes quodãmodo genitus, nõ factum, Verbũ, Luc. 1. Chryſoſt.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

COLLOQVIVM CVM DOCTORIBVS IEROSOLYMÆ.

PARAPHRASIS, ET COMMENTARII literales ad caput secundum Lucæ:

Panegyrici Morales circa literam in Iesum colloquentem.

PROLVSIO.

CVM Dominus ætatis suæ annum duodecimum ageret, & à parentibus sacrorum gratia ex more Ierosolymam duceretur ad diem festum Paschatis, nescientibus illis remansit Ierosolymis, Patris cœlestis negotia acturus. Triduo requisitus ab eis diuinæ legis Doctorum cœtui permixtus in Templo repertus est. Diuinam quoque voluntatem causatus, quia se paullulum subduxerat, & à parentibus declinauerat, cum ipsis domum rediit: Eisdemque morigerus in omnibus, ætate, sapientia, & gratia apud Deum, & homines profecit: *Et erat subditus illis.* Subditus ne Mariæ? Ita planè. Quonammodo Deus se ancillæ submisit? Porrò cum Maria fatur, *Ecce ancilla Domini*, tam celsa obiicitur, vt IESVS vel illi subditus maximè reuerendus exponatur. D. Ildephonsus lib. de Virg. Mar. cap.12. *In illo spiritu humilis excelsa loquar de* IESV *in quo, ô Domina, confiteris, esse te ancillam Domini. Tam verè timeam hunc Iesum, quàm verè idem cum esset Deus, erat subditus tibi Parenti.* Ineffabilis enim celsitudo Mariæ quæ Dei Filio sibi subdito præcipere potest, Parce ô Nate, peccatoribus.

Dominici vitalis ligni FRVCTVS SECVNDVS.

Ildephon.

LVCAS CAP. II.

Vers. 42. ET cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi,

43 Consummatisque diebus, cum redirent, remansit Puer Iesus in Ierusalem: Et non cognouerunt parentes eius.

44. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos, & notos.

45. Et non inuenientes, regressi sunt in Ierusalem, requirentes eum.

46. Et factum est, post triduum, inuenerunt illum in Templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos.

47. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia, & responsis eius.

48. Et videntes, admirati sunt. Et dixit Mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.

PARAPHRASIS.

42. CVM *iam, accedentibus annis, firmior esset pueritia, ac parentes de more Ierosolymam adiissent. Ad diem Paschæ puero* IESV *comite. Porrò puer sub Matris ac Nutritij ductu, iam ad nostram exemplum assuescebat Religioni, parentes sui officij admonens, quos oportet prognatos statim à cunabulis pietatis studiis assuefacere.*

43. *Peractis itaque diebus, quibus rei diuinæ dabatur opera, Matre, & Iosepho domum reuersis, puer* IESVS *Ierosolymæ remansit: iam tum velut prægestiens ad Patris sui peragenda mandata, ob quæ missus erat in mundum. Porrò ea res latebat Parentes.*

44. *Verum vbi non rediret* IESVS *Nazareth parentum anxia sollicitudine, mirati sunt, quid accidisset. Suspicabantur in æqualium, & cognatorum comitatu hæsisse, & ob hoc venire serius. Proinde remensi sunt viam ad iter diei vnius, quærentes eum inter notos, & cognatos.*

45. *Verum hic non est inuentus* IESVS, *qui iam tunc docuit parentum, & cognatorum affectibus renunciandum ei, qui velit cœlestis doctrinæ suscipere professionem: Hic igitur frustrati spe, reuersi sunt Ierosolymam.*

46. *Cum autem & hic inter cognatos, & notos frustra quæsitus esset, post triduum accidit, vt præter spem Parentes, illum inuenirent in Templo, non otiosum, aut lusitantem: Sed sedentem in medio Doctorum; quos puer vicissim & audiebat docentes, & interrogabat: Ac vicissim ab illis interrogatus respondebat; vt prudenter interrogando, discipuli specie Magistros erudiret.*

47. IESVS *autem quamquam ignotus esset Doctoribus, & populo circumstanti, tamen omnes in sui vertit admirationem; quod tantillus puer dictis, ac responsis suis senilem sapientiam declararet. Ætas sapientia immatura ea promebat, quæ prouectæ ætatis viros non pigeret ediscere.*

48. *Doctores ergo, quibus cum disputabat, & hi, qui circumstabant testes disputationis, vehementer obstupescebant. Porro, tacente Iosepho, qui sibi conscius erat, se nihil habere iuris in sponsæ partum: Mater pro auctoritate sua expostulat: Cur ad istum modum tractas nos? Ecce Pater tuus & ego iam dies aliquot anxij te requisiuimus, omnia metuentes tibi, quæ parentum pietas amatis filiis metuere assolet.*

49. IESVS

49. Et ait ad illos: Quid est, quod me quærebatis? Nesciebatis, quia in iis, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?

49. Iesvs *autem respondit: Quid erat causa, car me tam anxiè solliciti quæreretis? An non veniebat vobis in mentem, quod in negotio Patris mei oportet me esse, quoties ille ad munus aduocat delegatum? Habet parentum auctoritas limites suos, cui renunciandum est, quoties salutis æternæ negotium geritur.*

50. Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos.

50 *Hæc oratio* Iesv *quid sibi vellet, non satis intellectum est à Parentibus. Præferebant enim quiddam homine maius, præsertim in ætate tam tenera. Obticescunt tamen, qui & non intellectum Dei Filij sermonem reuerentur.*

51. Et descendit cum eis, & venit Nazareth: Et erat subditus illis.

51. *Hoc videns* Iesvs, *dimisit se se, morigerumque præbuit Matri, & Ioseph nutritio, reliquit Templum, ac Ierosolymam, ac morem gerens Parentibus, reuersus est Nazareth.*

52. Et Mater eius conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.

52. *Mater autem quidquid ab initio acciderat circa Puerum, quidquid ab ipso diceretur, fieretque simul collectam suo recondebat in pectore; nec quidquam sinebat inobseruatum, ut Discipulis postea narraret euulgaturis.*

53. Et Iesvs proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.

53. Iesvs *autem supra modum humanum, quemadmodum proficiebat corporis statura, viribus, ætatis accessu: Ita uberius in eo se se promebat cælestis illa sapientia, reliquaque dotes diuinæ, quibus ut erat commendatissimus Deo, ita quotidiè magis, ac magis hominibus commendabatur.*

SECTIO PRIMA.

Iesv *Pueri Amißio.*

TEXTVS.

Vers. 42. Et cum factus esset Iesvs annorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi. 43. Consummatisque diebus, cum redirent, remansit Puer Iesus in Ierusalem: & non cognouerunt Parentes eius. 44. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei: Et requirebant eum inter cognatos, & notos. 45. Et non inuenientes, regressi sunt in Ierusalem requirentes eum.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De profectione Iesv *Ierosolymam; remansionéque in Templo.*

1\. *De profectione in Templū [illegible] anno.* Ascendentibus *illis Ierosolymam.*] De Saluatoris pueritia vsque ad annum eius duodecimum nihil aliud Euangelista narrat, præter hoc, quod parentes eius de Galilæa in Ierosolymam ad celebrandum Pascha ascendebant. Præceptum extabat Exod. 23. & Deut 16. tale. *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei in loco, quem elegeris: in solemnitate Azimorum; in solemnitate Hebdomadarum; & in solemnitate Tabernaculorum.* Tenebantur ergo iter in anno Iudæi in Templum ascendere. De primo ascensu Euangelista meminit, quando in Paschate ad celebrandum festum Agni, & Azimorum ascendebant. Exod. 23. Deut. 16.

An Virgo ascenderet cum Iosepho? Quamuis 2.

An virgo ascenderit. uis præceptum non obligaret fœminas, sed solos masculos, haud tamen illæ prohibebantur gratia deuotionis ascendere. Vnde asseto piissimam, ac deuotissimam Virginem cum Iosepho, ac Puero IESV ad Templum singulis annis ascendisse.

3\. *Num Puer?* Puer ne semper cum parentibus in Templum ascendit? Non Lucas expressit, sed insinuauit. Nec verosimile, vtroque parente eunte ad Delubrum, Puerum solum remansisse. *Beda. & alij. Iuuenc.* Sic Beda, Toletus, Maldonatus, & alij. Iuuencus cecinit,

Ad Templum lætis Puerum perducere festis
Omnibus annorum vicibus de more solebant.

4\. *An in duobus aliis festis ascenderint?* Cur in duabus aliis solemnitatibus non dicantur ascendisse? Aliqui respondent, quia longè à Ierosolyma distabant, trium nempe dierum itinere; quo casu in hisce duabus solemnitatibus dispensabantur, non tamen in tertia Paschali, quæ maxima erat, lege prohibente, nè extra Ierosolymam Agno Paschali vescerentur. Deut. 16. Affirmarim tamen Euangelistam non negare Parentes IESV aliis in festiuitatibus ascendisse: Sed solum exprimere, ascendisse quidem in festo Paschæ; quod ea de causa meminit, quia quæ narraturus erat, hoc tempore, & hac occasione accidisset. *Auctoris sententia affirmans.* Crediderim profectò sanctissimos legis obseruatores priuilegio eiusdem tenuenciantes trinam annuis singulis solemnitatum iura soluisse.

5\. *Quomodo ausi fuerint in Ierosolymam toties ire, Archelao superstite. August. Tolet.* Quonammodo ausi sunt, toties ad Ierosolymam properare, Archelao superstite: si reuersi de Ægypto, timentes Archelaum in Iudæa regnantem, in Galilæam recesserint? Duplicem solutionem exhibet August. lib. 2. de Conf. cap. 10. Facilius autem responderim cum Toleto, reuertentem Iosephum de Ægypto timuisse pergere in Iudæam habitandi causa; nunc autem diei in Ierosolymam ascendere, non vt habitaret, sed vt paucis diebus moraretur. In continua habitatione, si innocentis IESV sanguinis sitis Regia haud esset extincta, facilè ab Archelao posset deprehendi: Non autem in tam breui mora, præsertim in tanta Iudæorum vndique multitudine confluente.

6\. *Mora, ac reditus.* *Consummatisque diebus, cum redirent, remansit Puer IESVS in Ierusalem.*] Suspensa est sententia vsque ad particulam *remansit*. Cum esset annorum duodecim, & Parentes ascenderent in Ierusalem, & perfectis omnibus, redirent, remansit IESVS solus parentibus ignorantibus. Septem dies erant Azimorum vt habetur *Leuit. 23. Deut. 16.* Leuit. 23. & Deut. 16. nec ante redierunt, quàm omnes pro insigni religione, ac pietate sua celebrassent. Cumque iter festi celebrandi causa tantùm, susceptum esset: eo peracto tempore, in Galilæam redierit.

§. II.

Quonammodò IESVS haud cognoscentibus Parentibus, Ierosolymæ remanserit.

7\. *Cur, inconsultis Parentibus, in Templo remanserit Iesus. Euthym.* ET *non cognouerunt Parentes eius.*] Remansit IESVS in Ierusalem non errore, aut casu; sed certo consilio. Quare autem inconsultis Maria, & Iosepho? Euthymius factum asserit diuina prouidentia, *ne, si scirent, prohiberent eum quasi puerum, & sine literis (remanserat enim vt Doctoribus colloqueretur.)* Improbanda responsio, sciebant enim Parentes Puerum esse Deum, & de Spiritu sancto conceptum plenum gratiæ, & veritatis. Alter Beda, *Remansit, ignorantibus illis, vt ostenderet Christus, se alium Patrem habere verum in cœlis.* *Beda.* Haud omnino placet, Maria enim, & Ioseph illum Filium Dei credebant. Crediderim igitur remansisse non ex inobedientia, sed vt ostenderet, quale esset officium, ad quod peragendum, à Patre erat immissus. Operationum enim Christi quædam cum aliis hominibus communes, quædam Redemptoris propriæ erant. Voluit ergo insciis Parentibus, remanere, vt qui communibus hactenus Parentibus obediebat: significaret, se habere quædam alia, in quibus non ipsis subdebatur, sed Patri cœlesti, à quo Redemptor fuerat immissus.

Quonammodò autem Parentes ignorare potuerint, remansisse Puerum in Delubro? 8. *Quomodo Parentes potuerint ignorare, Puerū in Templo remansisse. Beda.* Ait Beda consuetudinem tunc fuisse, vt ad solemnia pergentes sic gererent iter, vt viri viris, fœminæ fœminis iungerentur: Pueris vero tam his, quàm illis hærescere liceret. Putabat Maria IESVM cum Iosepho venire: Ioseph existimabat cum Matre properare. Asserta nullo probabili fundamine nititur Doctoris sententiam: Cum expressè Lucas affirmarit, haud cognouisse Parentes Pueri remansionem, quod putassent illum venire *in comitatu*, id est, viæ sociis, notis, & cognatis adhæsisse.

Existimantes autem, illum esse in comitatu, venerunt iter diei.] Remanente IESV in Ierosolyma; Parentes inde profecti, iter vnius diei confecerunt, existimantes illum cum sociis, & comitibus eiusdem itineris pergere. Miror Virginem, quæ summè Filium diligebat per integrum diem eius priuari dulcissimo conspectu sustinuerit? Maximè cum ille in ætate tam tenera esset, & in itinere extra Patriam, quod vix communibus matribus esset tolerabile. Profectò ad diuinam prouidentiam accurro, quæ sic disposuit. Addo Mariam Diuinitatis Filij non ignaram eius arbitrio multa permittere securam, nihil inde præter illius voluntatem euenturum. Secuta ergo de euentu absentiæ delectissimi mortificationem libentissimè Numini litauit. 9. *Quomodo per diem integrū Deipara potuerit priuari Iesu dilectissimi conspectu.*

§. III.

De Maria, ac Iosephe IESVM requirentibus.

ET *requirebant eum inter cognatos & notos.*] Supplen, quod Euangelista non expressit, sed innuabit, nempe non inuentum esse à Parentibus *in comitatu*, siue apud viæ comites, & socios. Ideo requirebant eum inter cognatos, & notos, si forsan cum eis venisset. Quanto dolore, & timore cor Virginis incipit contundi, quando in comitatu Filium non Inuenit? Quantaque sollicitudine ad cognatos, & notos recurrit. 10. *Requiritur Iesus.*

Et non inuenientes, regressi sunt in Ierusalem, requirentes eum.] Quanam mente Christum Parentes requisierunt? Censet Origen. hom. 19. non ideirco quæsiisse, quod putarent illum à 11. *Quanam mente Parentes Iesum requisierint. Origen.*

via aberrasse, aut periisse. *Seu quaerebat eum, inquit, ne fortè discessisset ab eis, ne relinquens eos, ad alia transmigrasset; aut, quod magis puto, nè reuertisset ad cœlos, cum illic placuisset, iterum descensurus. Nec enim poterat accidere, vt Maria, quæ sciebat se de Spiritu sancto concepisse, quæ & Angelum loquentem, & currentes Pastores, & Simeonem audierat prophetantem, timeret, nè Puerum perderet oberrantem.* Hæret Theophylactus eorumque sententia placet recentioribus.

Theoph.

12. *Authoris sententia Origenem impugnat.* Ego quidem vix contextui posse accommodari affirmo. Si parentes existimassent, Christum eos deseruisse, & in alia transmigrasse, aut in cœlos reuertisse: doluissent quidem, sed non requisissent eum; nemo enim quærit sine inueniendi spe. Addo, eam existimationem, & cogitationem cum Virginis fide perfectissima non colligari. Si Christus discessisset, eosque reliquisset, cum promissionibus factis per Gabrielem, cum Elisabeth verbis cum prophetia à Virgine ipsa decantata non congrueret; Virgo de iis omnibus nullatenus dubitauit, ea omnia fide constanti credidit; ergo de Filio suo non potuit existimare, quæ Doctores præfati asseruere. Timotheus Ierosol. Orat. de Simeonis prophetia profatur, *Quando Mater visa esset, eum perdidisse, quærens tribus diebus clamabat, dicens: O calamitatem! Quando expectaui felicitatem, tunc damnum sensi. Heu mihi! quis thesaurum surripuit? quis pretiosas opes mihi abstulit? quis me mea spe est frustratus? Heu mihi! non dicar amplius benedicta in mulieribus, non amplius dicent, Beatus venter qui te portauit. Ex tabui, non autem beata euasi.* Hæc & alia Presbyteri reiicienda plane vt contraria integerrimæ fidei, qua Virgo fuit prædita, quæ nec in Filij passione, nec morte vel minimũ titubauit.

Timoth. Ierosol.

Assero igitur Mariam filium quæsisse scientem illum sponte vel à via aberrasse, vel abs se, & Iosepho discessisse. Firmiter illa credidit Christum Dei Filium esse omni scientia, & sapientia plenum, cui nihil à casu, nihil accidere poterat ex errore. At ex altera parte erat experta, eum ab infantia humano more processisse, & sicut cæteros adoleuisse puerulos. Neque enim in infantia loquebatur, nec firma membra corporis, vt ambularet, accepit: Nec propriis manibus induebatur, sed auxilio Matris et vsus reliquasque infantibus, & pueris fragilitates communes habuit: patiebatur sitim, famem, lacrymas, vagitus. Nouerat itaque Virgo Filium Dei non ex infirmitate, sed sponte, & voluntate hæc pati, vt nobis similis esset, quos saluare venerat. Ex hoc factum, vt cogitaret, etiam more puerorum illum aberrare voluisse à via, præ tanta tunc multitudine confluente, vt assolent sæpe pueri à parentibus aberrare; non quidem vt cæteros, qui nolentes errant infantili pressi infirmitate: Sed volentem, sicut & cæteras hominis infirmitates huiusmodi volens assumpsit. Doluit ergo Virgo, sicut & matres dolent; nam & in morte illius doluit, quam tamen voluntariam esse non ignorabat; & Filium quærebat voluntariè aberrantem, sicut aliis puerilitatis voluntariis egestatibus occurrere assolebat. 13. *Exprimitur Authoris mens.*

IN
IESVM COLLOQVENTEM
PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS
CIRCA LITERAM.
EX PVERI AMISSIONE.

Observat. I.

Ad illa verba:

Ascendentibus illis Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi, &c. Cum redirent, remansit Puer Iesus in Ierusalem.

Iesvs à Parentibus sanctissimis abstrahitur, & ab eis absconditur cum impensè Deo litant obsequium.

Ergo non iræ, sed amoris documentum est, Deum nonnunquam simulare recessum, animumque iustum absentia distorquere.

14. Tolet. Fatvr Toletus Cardin. *Non caret admiratione, quod beata Virgo, quæ summe diligebat Filium, sustinuerit per integrum diem sine priuari præsentia.* At Doctor non patitur Virginem sese querulam ostendisse fatam ex ore Timoth. Ierosol. *Heu mihi! quis thesaurum surripuit?* Quare ergo tam feruens amatrix in recessu dilecti non conqueritur? Certè quia prudentissima sciebat sponsa recessus aliquando ab sponso cœlesti simulari in vberiorem dilectæ profectũ.

Timoth. Ierosol.

15. *Cum puer Dauidis occiditur, non recedit Dominus iratus, sed benignior.* David actus supplicio conqueritur, *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus?* Filius ex adulterio moritur, indicente Natano, *Verumtamen filius, qui natus est tibi, morte morietur.* 2. Reg 12. ad quæ Saluian. lib. 2. de Prou. Cõqueteris ô Rex, Deum à te recessisse, quia puer filius abripitur? Simulatus est illo Dei recessus, estque amoris ardentissimi in te documentum. *Filius enim, qui ex te natus est, morietur. Præter pœnam acerbæ orbitatis, etiam hunc addi piissimo patri intellectum summi supplicij Deus voluit: vt dilectissimo filio causa mortis pater ipse existeret, qui doleret; cum vtique natum ex crimine puerum, crimen ipsum occideret, quod creauit.* Vis agnoscere, ô Dauid, istum Dei recessum esse benignitatis, non iracundiæ? Postquam

2. Reg. 12. Saluian.

quam Propheta apetuit te venia donatum, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*, mox adiecit, *Filius, qui natus est tibi, morte morietur.* cum abscedit amicus, ob vtilitatem quidem amati se discedere, aut potius recessum aperit simulare.

16. *Recedere videtur Dominus ab accedente Chananæa, vt ad incrementa fidei excitaret.* Matth. 15. Origen.

Accedit Chananæa ad Dominum corde fidelis, & quò magis illa appropiat, eò Iesus magis fugere ostenditur. *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Mat. 15. An abscessio Domini fuerit odij documentum? Absit, abscōditur vt requiratur, vtque absentiæ simulatio, ac recessus species in corde fœminæ fidem ac charitatem excitaret. *O mulier,* ait, *magna est fides tua.* An non Christi recessu tot incrementis actam fateamur? Origen. perpulchrè, *Fugiens velociter Medicus non aufert, sed differt magis curam: & exulceratum vulnus, & potestatem suam arte quadam abscondit, vt latentia pandat sacramēta.* Vtque fœminæ fidem ad tantam afferat magnitudinem.

Recedit Dominus à tentandis, vt proficiant ad victoriam. Iob 7. Imperf.

Iob ait, *Militia est vita hominis super terram.* Cap. 7. vbi Chrysost. Imperfect. hom. 13. *Omnis vita nostra tentatio est. Quod si omnis vita tentatio est, omnis vita nostra & lucrum est.* Porrò cum iusti tentandi sunt, Deus assolet abscedere, seu abscondi. Tentandus erat Iacob, *& recessit Dominus ab eo.* Tentandus erat Antonius, & querulus proclamat, *vbi eras, Domine Iesu?* Præsens adest, licet simulare recessum videatur augustissimum animi in lucrum; quia vel absentiæ Domini tentatio *nostrum est lucrum.*

17. *Expetit Propheta Iesum fugere, vt commodis Ecclesiæ spiritualibus cura impendatur.* Isai. 16.

Ad augustissima Ecclesiæ commoda Propheta Messiam aduentare precabatur. *Emitte Agnum, Domine, Dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion, & erit sicut auis fugiens.* Isai. 16. Si expetis ô Propheta Messiæ Regis aduentum natum vtique ex Virgine ad Ecclesiæ vitalia commodasque eum fugientem desideras? An non aptius suæ sponsæ Ecclesiæ commodis studebit adhærens, quàm fugiens? Proh fugæ Dominicæ vtilitatem! Non fugit iratus, sed fugæ simulatione sponsæ exercitamento, & profectui assolet operam impendere,

18. *Fugientem ideo eum expectabat sponsa.* Cant. 8.

Edocta experimento ipsa clamat sponsa. *Qui habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam. Fuge, fuge dilecte mi, assimilare capræ, hinnuloque ceruorum* Cant. 8. LXX. *Qui sedes in hortis.* O sponse, te expeto ad meos profectus non sedentem semper veluti habitatorem: sed aliquando fugientem, & recedentem. Nec enim iratus absconderis: sed amaos, simulas abscessum ad dilectæ exercitamenta. Beda, *Hoc loquitur sponsa, eius voluntati se conformando, memor consuetudinis suæ.* Assolet enim à dilectissima sponsa recedere, vt ipsa exerceatur: vt ploret, vt requirat, vt precibus eum curet reuocare.

Beda.

19. *Christus in Ægyptum pergit, vt fugiat à suis probandus absentia ac incrementis afficiendus.* Matth. 2. Chrysost.

Iosepho Angelus, *Accipe Puerum, & Matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Mat. 2. Quæsierim, cur Domino indicitur fuga? An vt declinare possit Herodis crudelitatem? Certè poterat apud Israëlitas abscondi, poterat rabies Principis infrænati, poterat inuisibilis apud Nazareth, aut Bethlehemum commorari. Ideo igitur existimo fuga voluisse vitæ consulere, vt simul sanctorum Israëlitarum profectibus studeret. Nam ab illis fugiens, eos mirificè exercebat. Pulchrè Chrysost. *Fuge ô Iesu, in Aegyptum, fuge à suis, fuge à Sanctis, fuge ô regione Sanctorum.* Vt videlicet Sanctis fuga & recessus tuus pariat virtutum incrementa.

20. *Pulsat Iesus, & fugit, vt accenda sponsa desiderio.* Cant. 4. Diogo.

Audisti ne sponsum pulsantem, & clamantem, *Aperi mihi sponsa mea, columba mea.* Cant. 4. surgit illa, & te minimè inuenit. Diogo lib. de Sacr. Passion. *Domine Iesu fenestram habes, per quam dilectus mittit manum suam, & columbam suam excitas: Surge, inquiens, columba mea, & amica mea, & veni; & cum euolat post te, vt apprehendat, tu effugis, & ascendis super Cherubim, & volas super pennas ventorum.* Quare obsecro fugisti à qua cupiebas recipi? Porrò vt ploret, vt satagat, vt per vicos & plateas requirat, vt ad Ierosolymam æmulatrix Mariæ ac Iosephi properet inuentura.

OBSERVAT. II.

Ad illa verba:

Et non cognouerunt Parentes eius.

Potuit remanere Iesus, insciis Parentibus, quia de more seorsum viri seorsim fœminæ incedebant.

Quàm prouidè lex curauit viros à periculosissima animi peste ex fœminarum collocutione liberare! Qui non est Deus, liber non est vulnere.

21. Strab. Haym.

VTor ad Panegyridem sententia, quam in commentario non admisi. Quærit Strabus, *Quomodo Dominus potuit obliuiscendo relinqui in Templo, qui tanta cura à Parentibus nutriebatur?* Ex Haymone respondet, *Quia consuetudo fuit Iudæorum, vt Ierosolymam confluentes, vel ad propria redeuntes, seorsim viri, seorsim mulieres choros ducentes incederent: infantes verò, & paruuli cum quolibet parente, siue cū patre, siue cum matre indifferēter ire poterant.* Quam prouidè lex viros ac fœminas ab extialibus vulneribus ex cōuersatione mutua liberauit! Quàm vitæ spiritualis tuendæ deses, qui fœminarum consortia non fugit.

22. *Quasi Deus debet esse quò vel fœditatē mulierum contemplatur: quid pulchritudinē?* Auson. Hippoc.

Ausonius scripsit, *Qui obiecta fœminarum pulchritudine, vulnus non accipit, ad Diuorum pertinere cœtum, quis non videat?* Expressurus quidem non fœminarum pulchritudinem, sed fœditatem, nempe ægritudines. Hippocrates lib. de nat. muli. fatur, *Oportet autem eum, qui hæc rectè tractare velit, primum ex Diis oriri.* Id est, ex Deitate nasci. Profectò *qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis; sed ex Deo nati sunt*: non autem fœminarum vel ægritudines fœdissimas contemplari: quid pulchritudinem aspicere? Ante Deitate condecoratum putas, qui tàm incautè fœminarum consortio implicaris?

23. *Nunquam homo non perit ex congressu fœminarum.* Climac.

Ergo qui se hominem, siue carnem esse recognoscit, debet fugere fœminorum consuetudinem; quæ quidem carneo cuilibet exitialis est, Ioannes Climac. grad. 15. *Summam circa nos Deus in hoc prouidentiam gessit; procacitatem fœminæ, quasi fræno quodam, pudore restrinxit. Nam si hæc ad marem spontè accurreret, non fuisset salua omnis caro.* Quomodo ergo tu, qui te carnem, non spiritum recognoscis, præcipuè postquam à te Spiritus sanctus recessit, *quia caro es*: audes ad fœminas properare, eas alloqui, vt fræno soluto, miserè cogaris deperire?

Te

24. Te eleuatiori natura constitutum existimas, cum huiusmodi periculis implicaris. Periander apposité *Rabidus canis solos Diuos non mordet.* Homines autem reliquaque animantia exitialibus afficiunt vulneribus. Ac si diceret Comiteus, qui Deum te non esse conspicis, fuge rabidi canis societatem. Paulus Æginetus lib. 5. cap. 3. *Exordium sermonis à rabiesi canis morsu capere, quam ab aliis maluimus; quod animal & fœcundum prouentu, & contubernale homini existat, rabieque sæpius corripiatur, & ægre caueri possit, ac periculum sit ineuitabile: nisi multis aliquis & conuenientibus vsus fuerit præsidiis.* Postquam autem indicata ab illo remedia adnotaui, nullum adeo efficax comperi, nisi è domo canem prius quàm rabiem ineat, exturbare. Pergit Periand. *Nunquam non fœminæ pulchritudo, canis rabidæ instar, morsibus vulnerare petit.* Incuitabile igitur erit vulnus fœmina homini contubernali.

Te Deum putas, si fœmina, ab rabida cane non times. affici morsibus incuitabilibus quidem ex contubernio. Periand. Æginet. Periand.

25. Ergo te Diuum iactas, cum à morsu canis rabidi liberandum existimas. Bellè Basilius in Constit. Monast. cap. 4. *Quod si quis dicat, ex assiduo se cum mulieribus colloquio congressuque, & conuictu non admodum lædi: Hic sine dubio mortis* (seu hominis naturæ) *particeps non est.* Ad Diuorum cœtum se pertinere iactat. *Et portentum est quoddam insolentissimum, & præter omnium opinionem admirabile, & in vtriusque sexus confinio* (*vt ita dicam*) *positum.* Ac si diceret, qui ex assidua cum fœminis collocutione non admodum læditur, aut homo non est, aut insolito portento hominum exuitur proprietatibus.

Qui ex congressu & assiduo colloquio cū fœmina non vulneratur, homo nō est, ad Diuorum cœtū se iactat pertinere. Basil.

26. Cum Dominus colloquium cum Samaritana texit, *Discipuli mirabantur, quod cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit: Quid quæris, aut quid loqueris cum ea?* Ioan. 4. Quare non interrogarunt? Chrysostomus, *Filium Dei timebant, & venerabantur.* Ac si diceret Doctor acutiss. cum vidissent Christum cum fœmina colloqui, nè scandalo pungerentur, ad diuinam Christi naturam accurrerunt. Securè agit cum cane, quia Deus est. Nec enim non Deus cum tali fœmina loqueretur. Solus cum fœminæ Magister tantus adest? Deus proculdubio est.

Cum Christus Samaritanam alloquitur, Discipuli eius Deitatem venerantur. Ioan. 4. Chrysost.

27. Apud desertum turbas refecturus Dominus *accepit panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus.* Ioan 6. ex Græco. *Distribuit Discipulis: Discipuli verò accumbentibus.* Aderant proculdubio fœminæ multæ admodum reficiendæ. Quæris, num Discipuli eis panem porrexerint? D. Bonauentura tom. 1. Opusc. lib. de vita Christ. cap. 34. *Numquid ibi fuit Domina nostra, vt & ipsa de panibus libenter mulieribus porrigeret, & de ipsarum recreatione gauderet? Scriptura de hoc non loquitur.* Attamen Doctor piè existimat, panes fœminis Deiparæ ministerio fuisse appositos. Ne scilicet Discipuli homines gererent munus, à quo vel Dei Filius tunc voluit abstinere, cum nondum turbis eius Deitas esset comperta.

Vel Dei Filius Matris ministerio in deserto distribuit panes fœminis discumbentibus. Ioan. 6. Bonauent.

28. Scio, homines Deitate illa hic condècorati, de qua Deus, *Ego dixi Dij estis.* Virtutum enim exercitamentis potest quis ad huiusmodi Deitatem eleuari. Rogo an Deitate huiusmodi decoratus possit ad colloquia fœminarum diuertere? Minime quidem, quia eleuatio illa hominem efficit sanctiorem, sed non exuit naturam. *Videntes filij Dei filias hominum*, quod essent pulchræ miserè periere. Gen. 6. Adamus filios Dei explicat virtute egregia conspicuos viros è sancto parente, instar aquæ purissimæ ad cœlos eleuatæ, abstractos à periculis. Descendant aquæ ad terrenas filias hominum fœminas, proculdubio inficientur. Quid si terra bona sit, hoc est, fœminæ ab omni cœno abstractæ? Audi venerabilem Iordanem Seraphici Ordinis Generalem autore Figuer. in tit. ad Psalm. 50. *Terra bona est, & similiter aqua bona, & tamen ex vtraque se coniungente fit lutum.* Pulchrè.

Licet ex virtutibus te Deum contemplere, haud vnde cum Diua fœmina assidue loqui post filiorum Dei casum. Gen. 6. Iordan.

29. Ioanni ostendenda erat fœmina aliquando non quidem verè, sed phantasticè? Et mulier erat circundata purpura, coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis. Vt autem Ioanni virgini purissimo ostentaretur. *Et abstulit*, loquit ipse, *me in spiritu in desertum.* Apo. 17. Hugo Cardin. *Abstulit me Angelus in Spiritu sancto.* Id est, me Spiritu sancto informatum, & quodammodò Deificum. Nec enim qui Deitate non condecoratur potest securè ad fœminæ vel pictæ adferri conspectum.

Vt Ioannes virgo impunè videat vel fœminā pictam, spiritum in Deum conuertit. Apo 17. Hugo.

30. Ex incendio Sodomæ eripiendi Loth, & familia eius Angelis committuntur. Qui quidem *apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, ac duarum filiarum eius.* Gen. 19 Ex Hebræo Oleast. sic verbum *apprehenderunt* transfert: Angeli *roborati sunt, fortificauerunt se.* Quasi ad apprehendendas fœminarum manus Angeli spirituali natura præditi adhuc se se quodammodò fragiles recognoscant, & eleuatiori, augustiorique fortitudine roborari satagant. Sola enim quodammodo diuina natura potest impunè ad fœminarum diuertere contuberniū. Hinc Hebræorum *cōsuetudo, vt seorsum viri seorsum mulieres incederent.* At soli puerulo innocēti licebat siue cū patre, siue cū matre indifferēter ire. Licuit puero Iesu fœminarū eligere cœtum. At qui puritatis gerebat Magisteriū vel Dei Filius non eligeret Matrem pergentem cum fœminis sequi. Vnde Parentes eius sollicitudine minimè sauciantur, quia *putabant, eum de more virorum comitatu vberrime abscondi*, vti Guislandus adnotauit.

Angeli ipsi roborantur speciali vigore, vt contingant manum fœminarum? Gen. 19. *Quamuis licebat cum fœminis, puerū pergere, Virgo Deum in comitatu virorum putabat venire.* Guisl.

OBSERVAT. III.

Ad illa verba:

Existimantes autem, illum esse in comitatu, venerunt iter diei.

Deipara à dilectissimo Filio passa est vna integra die separari, vt comites queis hærescere putabat, eius prosicerent societate.

Nec enim laudabilis aliquorum spiritus (*seu aptius vocitem auaritiam*) *qui sibi satagunt Deum, seu cælestia dona retinere, proximorum non curantes vtilitatem.*

31. QVæris Toletus, *Quomodo Maria sustinuerit, per diem integrum à summe dilecti Filij præsentia separari?* Et respondet *Deum Filium esse sciebat, & noluit pijssima Virgo* abstrahere Filium à comitatu. Cui quidem suā præsentia tantum solatij, præsidij, ac vtilitatis adferebat. Sciebat fidelium Mater pro filiis adoptiuis suis anathema esse à Christo. Tolet.

32. Non laudo illorum spiritum, (si nun aptius caro sit appellandus) qui sibi solummodò ambiunt Deum acquirere, aliorum negligentes vtilitatem. Vt sponsa dilectum amplius sibi colliget, proclamat, *Qui habitas in hortis, amici auscultant, fac, me audire vocem tuam.* Cant.8. Quare sponsi purissimi curas vocem profundi, moneos, amicos exaudire? Tuæ voluptati spirituali curam impende: Quid de aliorum vtilitate te sollicitam obiicis. Profectò vt sponsa propriis commodis fructuosè studeat, scit sponsum afficiendum amplius erga se, dum viderit dilectam sic propriæ vtilitati vacare, vt simul amicorum, seu proximorum haud negligat commoda. Pulchrè Rupertus, *Fac me audire, ò Domine vocem tuam, vt lex tua semper in ore meo sit, nunc prædicando, nunc operando. Et vt amplius, & magis sollicitè id facias, ecce dico tibi: Amici auscultant.* Nihil etenim sic Deum excitat, vt nobis existat salutaris, quàm dum nos aspicit de commodis proximorum sollicitos exhiberi. Ex illorum mente, qui sponso conuenientia verba etiam aptant sponsæ, locum explicaui.

Putat Deipara, sibi amplius Deū colligare, dū iuvat simul, proximum fidelibus communicare. Cant 8. — Rupert.

33. Alibi sponsa beatissima Deiparæ morem gerens (dum Filium IESVM se cunctis curat exponi in cunctorum vtilitatem) proclamat: *Trahe me, post te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Cant.1. Vbi Guillelmus, *Non dixit, trahe me tecum, sed trahe me post te, & curremus. Quo charitatem suam erga genus humanum clarissime manifestat. Non petit cum Filio sola esse, sed volebat Filium ad omnes Ecclesiæ filios rades venire.* Ideo non clauditur cum illo in superis, sed remanens post Filij Ascensionem in terris cogit Filium ad omnem Christianorum familiam venire.

Deipara non vult cum Filio claudi in cœlo, sed remanet in terra, cum ad fideles allatura. Cant 1. Guillel.

34. Propinqua illa Virginis Salome non hoc principali spiritu informabatur, cum petebat. *Dic, vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram, & alius ad sinistram in Regno tuo.* Mat.20. At Dominus, *Nescitis quid petatis.* Qualis Discipulorum ac matris inscitia, ob quam reprehensione afficiuntur? Respondet Ambrosius lib.5 de fide, cap.2. *Meritò reprehenditur hæc mulier, quæ speciale quoddam priuilegio à Domino postulabat ea, quæ sanctis iudicauit esse donanda: non duobus Apostolis; sed omnibus Discipulis.*

Taxatur Salome, quod curet Deum ad filios solos adducere. Matth 20. Ambros.

35. Huiusmodi auaritia Iudæ est proditoris, non Apostolorum Diuorum studium. *Quid vultis,* inquit, *mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Mat.26. An tuus est Christus, vt venalem exponas? Tibi adiudicas? Haud vis toti hærescere communitati? Totum, quod existimas, pretium IESV tibi soli adscribis, tuis commoditatibus aptas. Exclamat Rupertus ad cap.11. Ioan. *O magnifica supplantatoris peruersitas, qui vniuersalem nostræ salutis hostiam faciens suam, sic quasi suum peculium possessorem mundi venalem proposuit!*

Hæc Iudæ auaritia. Matth 26. — Rupert.

36. Non ait ille, *curremus*. Sed ad hostes Domini solus currit, sibi rapturus totum thesaurum. Quam aptè Dominus, *Vnus vestrum diabolus est.* Cuius quidem proprium non *in odorem vnguentorum* currere cum sponsa sodales admittens: *Curremus in odorem.* Cant.1. sed totum sibi vnguentum, totam ad scribere Deitatem. Abbas Cellens. lib de Panib cap.24. *Si portionem, quæ sibi competebat Lucifer moderatè expeteret, & non totam vnguenti vbertatem, tanquam musca moriens rapina vsurparet. Fortè adhuc in odore eius cum sodalibus sponsi viueret.* Preme particulam, *cum sodalibus sponsi viueret.* Curam de sodalibus gerit, bono communitatis fruitur.

Imò diaboli, totū vnguētum sibi soli expetentis. Cant.1. — Cellens. Abbas.

OBSERVAT. IV.

Ad illa verba:

Et requirebant eum inter cognatos, & notos.

Prouidentissimè Virgo adiudicabat, IESVM inter cognatos, & notos commorari.

Vt Magister cœlestis edoceret, speciali studio propinquis benefacere.

37. ANselmus pulchrè, *Prudenter Parentes quærebant IESVM inter cognatos & notos, seu vicinos.* Quia non dedecet Iesum omnibus natum, speciali studio cognatis hærescere ad labo iosæ huiusce vitæ subleuationem. Haud à Iesu spiritu alienum, cognatos fouere indigentes: Imò aliis eorum præponere indigentiam. Cognati enim vicini, queis prius debet attingere pietatis diffluens vnguentum. — Anselm.

38. Salomon appositè, *Considerans reperi aliam vanitatem sub Sole, vnus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem.* Ecclesiast 4. Ac si diceret, Vanissimus ille, & alienus admodum à Iesu spiritu, qui tam Melchisedech sine genealogia se reputat, vt de filio, seu de fratre, aut cognato non curet: *Non habet filium, non habet fratrem.* Autor Catenæ Græcæ. *Si quis fratrem non habet, id est, fratri indigenti non subuenit: hic spiritum adoptionis filiorum Iesu non accepit.* Iesus enim prudenter inter cognatos requiritur.

Vanus est, qui fratri, aut propinquo speciali studio non subuenit. Eccles.4. Catena Græca.

39. Agnus Iesus *pascitur inter lilia.* Cant.2. LXX. *Qui pascit in liliis.* Quosnam pascit in liliis? Quænam precor lilia? Iustorum planè communitas. Bernardus serm. de Natiu. Virg. *Etsi in hiis germinet sicut lilium; sed non ad lilium Iesus pascitur, neque in singularitate complacet sibi.* Quem ergo pascit, seu reficit sponsus Iesus, cum in communitate commoratur omnes reficiens? Certè speciali studio, ac cura reficit eos, qui peculiari ex capite ad Iesum videntur pertinere. Vnde Guillelmus putat *in liliis omnium fidelium Iesum specialiter pascere Deiparam, Iosephum, Ioannem, Didacum, Apostolos.* An non esset Præsulis tanti desidia non prius cognatos, & vicinos reficere spirituali, aut materiali cibo indigentes?

Iesus omnibus dat bonorum copiā, sed præcipuè cognatis. Cant.2. Bernard. — Guillel.

40. Perbellè D. Athanasius Epist. de sent. Dion. *Nos cognata cum Domino corporis sortiti, incrementum ex eius plenitudine accepimus.* Preme particulam *incrementum.* Fatur Ioannes Baptista, *De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Ioan.1. Accepimus omnes de plenitudine, sed qui gratia speciali cognationis, & propinquitatis donati sumus accepimus *pro hac gratia* vberiorem ex Christi benignitate & nostra cooperatione gratiam. Testor ipsum Ioannem, qui os fonti misericordiæ admouit, Iesu pergente recens nato ad propinquorum domum muneribus cœlestibus opplendam.

Plus receperë cognati de Iesu plenitudine, quàm alij Israelitæ iusti. Ioan.1. Athan.

Ergo

Ergo cognata corpora sortiti cum Domino non solum ex eius plenitudine accipiunt vt omnes, sed incrementis specialissimis donantur.

41\. O vanitatem, quam *reperi sub sole!* Quia fortunæ ope quis sublatus ad verticem aspicitur ad pedem propinquum spectare non dignatur! D.Chrysostomus hom. de terræ motu. *Vt si calcaneo spina sit infixa, deorsum oculus se inclinat, quod membrum sit corporis. Nec dixit quandoque: In altis sedeo, membrum, quod deorsum est, nihil facio: sed inclinat se, suamque deserit altitudinem; tametsi quid calcaneo vilius? quid oculo nobilius? sed inæqualitatem cognatio natura correxit.* Deseris pedem laborantem egestatis spina, & ad caput, aut pedes aliorum accurris subsidium laturus? Cur deseris propinqui pedis egestatem?

Quam ī. anus qui pedem propinquum sibi, non pluris æstimat, quā alienum caput. *Chrysost.*

42\. Nihil planè incorruptius iudice cœlesti, nihil immutabilius suprema illa sententia: *Venite benedicti. Discedite maledicti* Matth. 25. Attamen homines ex cognationis propinquitate afficimur admodum, vt speremus, specialissimo Iudicis affectu donandos. Theodorus Ancyræ Præsul hom. de Nat. *Cum Deus esset, voluit homo fieri propter suam in nos clementiam, que nos creatorem, & iudicem perinde ac cognatum deinceps complecteremur. Et qui propriarum actionum laude destituebamur: pro ipsum propinquum fiduciam conciperemus. Et tamen cum ad tribunal abstrahuntur, qui propriarum virtutum præsidiis confidenter niti non possunt, fit interdum, vt cognatorum suorum meritis qualemcumque confidentiam sibi aucupentur.* Merita ne cognatio? Quodammodo à nobis cognatis Dei reputari possit meritum esse apud Deum eadem humana natura præditos esse. O quanta est cœlesti Principi erga cognatos affectio specialis! Quam Domini æmulator, qui speciali studio curat egenti subuenire propinquo!

Ob propinquitatē sperāmus, iudicem cælesti emollire quodāmodo. *Matth. 25.* *Theodor.*

OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

Requirebant eum inter cognatos, & notos: & non inuenientes, regressi sunt in Ierusalem.

Dum cognati, ac noti non indigent subsidio, IESVS inter cognatos, & notos non inuenitur.

Edocens spirituales viros, à cognatis recedere, si perfectionis viam velint in offensopede percurrere.

43\. ORigenes hom. 10. in Luc. *Parentes requirunt Christum inter cognatos, & notos, & non inueniunt.* Addit Toletus *Præterea Parentes, amici, familiares secundum carnem non raro à Christo auertunt; vixque Christum inuenit, qui eorum affectui indulget. Vnde Ambrosius lib. de fuga seculi cap. 2. valde necessariam docet maximè Sacerdotibus abdicationem amoris erga cognationem, & amicos secundum carnem, explicans illud: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Mat. 12.

Origen. *Tolet.* *Ambros.* *Matth. 22.*

Intelligendum planè, cum Mater, aut fratres filij, aut fratris auxilio non indigent. An non qui tunc, *Quæ est Mater mea, & qui sunt fratres mei?* quæsitauit: Cruci illigatus de Matris, ac fratris commodis speciatim sollicitus proclamauit: *Ecce filius tuus, Ecce Mater tua?* Ioan. 19. Porrò extra hanc cognatorum indigentiam, cognati, qui assolent planè à Christo auertere, fugiendi, quia fugit & IESVS, qui quidem inter cognatos non inuenitur.

Cum necessarij sunt, Iesum specialem de Matre, ac fratre curam gessisse. *Ioan. 19.*

44\. De filiis Iosiæ Matthæus profatur, *Iosias autem genuit Iechoniam, & fratres eius in transmigratione Babylonis.* Cap. 1. Cur fratrum Iechoniæ meminit Matthæus in præsenti, cum ad Christi progeniem non attineant? Variè Ambrosius, Anselmus, Paschasius, D Thomas, Caietanus, & Abulensis respondent. Ego autem ex particulæ illius: *Genuit in transmigratione Babylonis.* expositione satisfaciam quæstioni. Cum nunquam transmigrauerit Iosias, quo pacto filios in transmigratione asseritur genuisse? Paschasius. *Non quod Iosias in transmigratione filios suos genuerit, qui nunquam legitur transmigrasse; sed quia non secuti eum filij eius, dicuntur quasi ex prædestinatione Dei geniti ad transmigrandum. Non itaque geniti in transmigratione, sed ad transmigrationem.* Horum igitur generatio voluntariæ peregrinationi à domo paterna destinata adeo grata fuit Domino qui apud patriam peregrinus extitit: vt voluerit eos ad sacerrimum Progenitorum IESV adferri catalogum.

Fratres Iechonia in catalogo generationis Iesu annumerantur, quia patria, & propinquorum osores. *Matth 1.* *Ambros. & alij.* *Paschas.*

45\. Paritura Virgo à Nazaretha abstrahitur. *Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de Ciuitate Nazareth in Iudæam in Ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem.* Inibi partus tempore instante, reclinauit Maria Puerulum *in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio.* Luc. 2. Preme particulam, *Ei*, cuinam non erat locus in diuersorio? IESV filio Dauid. Vt nascatur Dominus à Nazareth Matris Ciuitate exoritur pergens ad ciuitatem patriam Dauidis, ei locus non datur. Quare? Vt agnatum sit IESV apud consanguineos locum non obtinere. Augustinus in Apend. serm. 26. de diuers. *Nascens Christus non inuenit locum in diuersorio, per quem omnis creatus est locus: & velut peregrinus à suis nascitur, qui totius orbis est Dominus.* Nec enim vult ab sponsa requirente vt pacis osculo donetur, inter cognatos reperiri.

Nascitur Iesus in domo Dauid, & non est ei locus inter cognatos: vt agnatum sit ei, inter cognatos non inuenari. *Luc. 2.* *August.*

46\. Formauit olim Deus *hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. Plantauerat autem Deus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem, quem formauerat.* Gen. 2. Vix homo viuens anima exurgit, cum à Deo ad paradisum aduocatur. Quare, precor? Vt discat Deo sacratum virum à patria recessurum, à cognatione separandum? Certè patria, & cognatio ad id admodum bona ostenditur, vt ab studiosis perfectionis deseratur. Liceat vulgariter expendere, *La patria, y los parientes solo son buenos para dexados por Dios.* D.Bonauentura 2. senten. dist. 17. *Debuit homo extra paradisum produci, ad ostendendum, quod homo non erat factus ad ibi habitandum.* Sed ad pergendum à patria in paradisum.

Spiritualis vir à cognatis, à patria separandus. *Gen. 2.* *Bonauent.*

47\. Abrahamum testor pefectionis Magistrum, cui indixit Dominus, *Egredere de terra tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam mon-*

Perfectus vir in patria peregrinus.

Gen. 12. *strauero tibi.* Gen. 12. Quicumque perfectionis studiosus IESV imitator exurgit, debet cum Abrahamo propria in patria peregrinari. IESVS apud Nazareth patriam habitat, sed ita à propinquis abstractus, vt inter cognatos non inueniatur. Sic Religiosus animus in patria peregrinus obiicitur. D. Irenæus lib. 4. adu. hæres. cap. 12. *Iuste igitur Abram derelinquens cognationem omnem sequebatur Verbum Dei cum Verbo peregrinans, vt cum Verbo moraretur.* Quonam modo peregrinatur, dum moratur cum Verbo? Quia sicut Verbum dum manet in Nazareth, ita abstrahitur à cognatis, vt in patria peregrinus possit appellari: Verbi imitator peregrinari debet in propriis. Difficile planè morari cum propinquis, & peregrinari; hoc tamen Dominus perfectionis studiosis indicit. Pulchrè Philo lib. de Migrat. Abrah. *Ceterùm illud: egredere, non est idem, quod seiunge te ab eorum præsentia; hoc enim mandatum mortem imperaret. Sed perinde ac si diceret; aliena tuum animum vt a nullo ex his detentus, emergas super omnia.*

Irenæi.

Quam difficile id!

Philo.

48. Requiritur Isaacco sponsa Dei parens futura. *Pone,* (inquit Abraham famulo) *manum tuam subter fœmur meum, vt adiurem te per Dominum Deum cæli, & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito; sed ad terram, & cognationem meam proficiscaris, & inde accipias vxorem filio meo Isaac: Sin autem mulier noluerit sequi te, non teneberis iuramento.* Gen. 24. Cur expetitur Isaacco sponsa, quæ perueniat, quæ egrediatur: & quæ noluerit egredi despicitur? Certè quia parens IESV, qui inter cognatos non inuenitur, ea debet esse animi abstractione ornata, vt facillimè sciat cognatos derelinquere. Porrò cum fratres profari fuissent, *Maneat puella saltem decem dies apud nos, & postea proficiscetur,* ipsa renuens ait: *Nolite me retinere, quia Dominus direxit viam meam; dimittite me, vt pergam ad dominum meum.* Ibid. Expetit propinquos dimittere? Ipsa est sponsa à Domino Isaacco præparata. Abulensis, Abraham posuit istam conditionem, quia ex ea *probare volebat.* Num scilicet apta ad Dei maternitatem pararetur sponsa? Ambrosius pulchrè. *Abraham coniugem sequentem deduci admonuit: residentem non expeti.* Ac si diceret, si facilè propinquos relinquit; ipsa est agnata Isaacco; si renuit à propinquis separari: illam dimitte ineptam planè, vt IESV cognatos fugientis mater exurgat.

Rebecca Dei Iesum parentis, debebat à cognatione fugere, vt Iesum emitteretur, qui inter cognatos non inuenitur.

Gen. 24.

Ambros.

OBSERVATIO VI.

Ad illa verba:

Et non inuenientes, regressi sunt in Ierusalem requirentes eum.

Edocent nos Parentes Iesu, amissum Dominum requirere.

Nullus lapis non amouendus, vt Deum per crimina amissum, inueniamus.

49. TOletus fatur, *Cum primum nouerunt Parentes Christum secum non habere, reuersi sunt in Ierusalem quærentes eum.* Nullum lapidem non mouent, nullam viam non arripiunt, vt amissum inueniant: cognatos adeunt, notos interrogant, redeunt Ierosolymam omnia lustraturi, donec inueniant.

Tolet.

Vox illa est Deiparentis, & Ecclesiæ sponsæ, amisso IESV: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam &c.* Cant. 1. Rupertus de Virgine exponit IESVM amissum requirente toto animi affectu. At Del-Rio noster ex Patribus texit de anxia sponsa vt amissum Dominum inuenire possit, expositionem. *Sexus, & verecundia quodammodo oblita, statuit ipsa quærere. Absentem quasi coram alloquitur. Grato quodam animi errore, & mentis abalienatione excæcatam ista apprimè decent, cui vna nunc curatio scire, vbi sponsus versetur, vt ad eum aduolet, & sub vmbella dilecti ambrurentes radios deuitet. Tot afflictionibus pressa Ecclesia cernens à sola absente Pastorum Principe remedium expectandum, ardet eum reperire, quærit vbi meridietur. Nec sistit, donec inueniat proclamantem: si ignoras te, &c.* 50.

Anx è quærentis Deipara & Ecclesia Iesum amissum.

Cant. 1.

Rupert.

Del Rio.

Adbuc sponsa, *In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni.* Cant. 3. Vbi ex Patribus idem Del-Rio pulchrè fatur. *Num immemores estis tridui quo IESVS in templo remansit? Filium Maria in comitatu esse putarat, vespere illum inter cognatos, & amicos quæsiuit: & non inuenit. Quanta sollicitudo, desiderium & discursatio huius tridui fuit? Edocetur Ecclesia, seu anima inter tenebras criminum amissum Dominum requirere.* Philo Carpat. *Ij qui peccatis grauantur, in anima, vt in lecto dormiunt: idque in noctibus. Hoc est e sceleribus, & tenebrosis desideriis. Hi sponsum quærunt, & non inueniunt; quia tunc peccata diuidunt inter Deum & hominem. Sed qui vult quærendo inuenire, & inueniendo possidere, & possidendo frui: debet abstrahere se ab omni cupiditate rerum humanarum; nihil nisi necessarium vitæ, idque bono modo, & iusto appetere: honores fugere, diuitias aspernari, in meditatione futuræ vitæ, & despectione præsentis commorari.* Hic omnem lapidem amouet, vt amissum inueniat. 51.

Quanta sollicitudo Maria, quam peccatores debemus emitari, ad Iesum requirendum.

Cant. 3.

Del Rio.

Philo Carp.

Maria non Deipara, sed peccatrix nos edocet Dominum amissum quærere, & inuenire. *Maria stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentum.* Ioan. 20. Apte Origenes, *Disce à Maria, quærere IESVM. Omnem reuolue lapidem ab ostio monumenti Dei, tolle omnem concupiscentiam tuam a corde tuo: & diligenter perscrutare, si sit IESVS in eo. Si autem non inueneris in eo IESVM, sta foris, & plora, permane in fide, & respice foris ad alios, si forte in aliquo videris eum: & plorando ora IESVM, vt dignetur intrare ad te. Et iterum respice monumentum Dei, quod est in te, & si videris, &c. Angelos, hoc est, cælestia desideria, per quæ tamen adhuc non possis videre IESVM, noli his contentus esse: noli adhuc deficiendo quiescere; sed plora, & quære IESVM, donec inuenias.* 52.

Maria peccatrix nos edocet, Iesum amissum quærere.

Ioan. 20.

Origen.

Iuuat ex Timothæo Ierosolym. in Comment. non admissu, Deiparæ ouis purissimæ balatus exaudire, dum Agnum timet suum ab Archelao lupo absumptum. Sollicitudinem autem requirentis Agnum ouiculæ liceat ex Lucretij plectro exprimere. Canit ille lib. 2. 53.

At mater virides saltus orbata peragrans,
Linquit humi pedibus vestigia pressa bisulcis,
Omnia conuisens oculis loca; si queat vsquam
Conspicere amissum fœtum, completque querelis
Frondiferum nemus assistens, & crebra reuisit.

Ouis Maria Agnum requirens.

Timoth. Ierosol.

Lucret.

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

Iesv *Pueri inuentio.*

TEXTVS.

Vers. 46. ET factum est, post triduum inuenerunt illum in Templo seden-
tem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem
eos. 47. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant super prudentia. & re-
sponsis eius. 48. Et videntes admirati sunt. Et dixit Mater eius ad illum: Fili,
quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. 49. Et
ait ad illos: Quid est, quod me quærebatis? nesciebatis, quia in his, quæ Pa-
tris mei sunt oportet me esse. 50. Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locu-
tus est ad eos. 51. Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus
illis. Et Mater eius conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo. 52.
Et Iesvs proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I

De Iesu sedente in medio Doctorum inuento.

1. *An totum triduum transactum, an tertio ipso die inuentus.* Niceph. Euthym. Ambros. Iuuenc. Toler. ET *factum est, post triduum inuenerunt illum in Templo*] Totum ne triduum transactum, & quarto die puer inuentus est: an potius tertio ipso die? Priori modo interpretatur Nicephorus lib. 1. cap. 24. Posteriori autem Euthymius, & Ambrosius comparans triduum hoc morti, & resurrectioni. Iuuencus cecinit, *Lux vbi tertia venit, ad Templum remeat propere. Vatumque choris inuenit insertum.* Approbant Toletus, & alij ex Societate. subscribo eo maximè quia scripturæ phrasem recognosco. *Oportet, Filium hominis occidi, & post tres dies resurgere.* Marc. 8. Id est, tertia die, vt ipse Marcus cap. 10. asseruit. Matthæus autem. *Dixit adhuc viuens: Post tres dies resurgam.* Cap. 27. Noster denique Lucas, *Postquam impleti sunt dies octo.* Cap. 2. Id est die octauo, hoc enim pueri circuncisionis vulnere afficiebantur.

Auctoris subscriptio, quia scripturæ phrasis. Marc. 8. Matth. 27.

2. *Expenditur locus.* Toler. Cum redissent ergo in Ierosolymã Parẽtes Iesu, eumque requirerẽt, post triduum, id est, die tertio inuenerunt. *Primus enim fuit,* (ait Toletus) *quando a Ierusalem profecti sunt; secundus, quando redierunt, & partim requisierunt in Ierusalem; tertius quando etiam requirere persiuerantes, inuenerunt eum in Templo. Sanctus enim, & de Spiritu sancto conceptus, in Templo, loco sancto inuenitur.*

3. *In medio Doctorum, seu inter Doctores sedet.* Ioan. 1. Luc. 22. Euthym. *Sedentem in medio Doctorum.*] Hebraismus est, id est, *Inter Doctores. Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.* Ioan. 1. Id est, *inter vos. Ego tamen medius vestri, sicut qui ministrat.* Luc. 22. Ita nunc dicitur, in medio Doctorum consedisse, non quod locum Doctoris occupauerit, sed quia apud eos esset. Porrò diuino consilio factum, vt adhuc puer inter Doctores sederet. Euthymius, *Oportebat, hoc fieri, vt cum postea doceret, facilius ab illis reciperetur.*

§. II.

De Iesv *audiente Doctores & interrogante.*

4. *Audit, & interrogans, erudit.* A*Vdientem illos, & interrogantem eos.*] Magister cœlestis, ætatis memor, agit discipulum audiens, & rogans. Interrogat autem illos, non vt discat, sed vt erudiat. Interrogatio enim etsi discentis esse videatur, aliquando est docentis: & sapienter interrogare, est prudenter instruere. Quænam autem quæstionum materia? Euthymius, & Titus Bostr. auditum, & interrogationem hanc de legalibus, & iis, quæ ad legales sanctiones faciebant, interpretantur. Credidero tamen, de Messia in lege, & Prophetis promisso, & prænunciato sermonem duxisse. Frequens enim erat apud Iudæos verbum hoc eo maximè tempore, quando proximè venturus expectabatur. Ex multis namque signis per Prophetas traditis tempus aduentus eius imminere, erat omnibus manifestum.

Quænã materia quæstionum? Euthym. Titus. Bostr.

5. *Pueri edoceantur, non edocere.* De audiente ac interrogante Domino varia Patres exhibent documenta. Origenes hom. 17. *Quia paruulus erat, inuenitur in medio Doctorum, non eos docens, sed interrogans: & hoc pro ætatis officio, vt nos doceret, quid pueris quamuis sapientes, & eruditi sint, conueniret; vt audiant potius Magistros, quam docere desiderent: & se vana ostentatione iactent.*

6. *Indocti saltem ediscere, & non docere satagant.* Gregor. Hinc etiam ediscunt indocti. Gregorius 3. p. Past. admon. 26. *Vigilanti consideratione pensandum est, quod cum* Iesvs *duodecim annorum dicitur in medio Doctorum sedens, non docens, sed interrogans inuenitur. Quo exemplo ostenditur, ne infirmus docere quis audeat, si ille puer doceri interrogando voluit, qui per diuinitatis potentiam verbum scientiæ ipsis suis Doctoribus ministrauit.* Illud, *doceri voluit* expono. Voluit quidem doceri quantum ad exteriorem formam; quia apparebat velle ediscere. Tamen intus non indigebat eorum doctrina, qui plenus erat sapientia.

7. *Eos interrogando, erudiebat.* Origen. An otiosè se obiiceret ignorantem? Minimè planè, interrogando enim eos erudiebat, imò quæstionibus mirabiliter se sapientiæ fontem poterat ostentare. Origenes ad hæc. *Interrogabat Magistros, non vt aliquid disceret, sed vt interrogans erudiret. Ex vno quippe fonte doctrina manat, & interrogare, & respondere sapienter: & eiusdem scientia est, scire, quid interroges, quidue respondeas.* Vnde adidit. *Oportuit primum, Saluatorem eruditæ interrogationis Magistrum fieri.* En quæstiones eruditum puerum ostentabant.

Stupebant autem omnes, qui eum audiebant.] 8.

Auditores stupent. Marc. 6.

Quando prædicauit adultus, *Multi admirabantur in doctrina eius, dicentes: Vnde huic hæc omnia?* Marc. 6. Quanto plus inauditum Doctoribus videretur, Puerum pollere eruditione?

9. *Prudentia Iesu quærentis.*

Super prudentia, & responsis eius.] Prudentia Græcè σύνεσις, id est, *intelligentia*; acutissimè enim, & supra pueri, imò etiam hominis communis captum interrogabat; & quæ dicebantur, perfectissimè capiebat. *Et responsis.* Ponitur hîc pro sermone quocunque, etiam si non præcesserit interrogatio. *Responsum accepit Simeon ab Spiritu sancto.* Luc. 2.

10. *Mirantur ne Deipara, & Ioseph? & quando?* Euthym.

Et videntes admirati sunt.] Quinam? Euthymius asserit, Parentes admiratos fuisse *non propter intelligentiam tantum, & responsa illius; verum etiam propter audaciam.* Quænam audacia? Non exponit. An quia cum Doctoribus disputare sit ausus? An quia inconsultis ipsis remansit?

Auctoris sententia.

Existimo Parentes, & Iudæos admiratione affectos. Non tamen admirati sunt Parentes sicuti Iudæi. Hi enim communem hominem existimantes, stupuere propter intelligentiam & responsa eius altiora, & profundiora censentes, quam puerili conueniret ætati. Illi verò Filium Dei plenum gratiæ, & veritatis agnoscentes, non admirantur propter intelligentiam, & responsa eius, quia eum loquentem non audierant, nec si audissent materia esset eis admirationis Dei Filium edocere sapientes; sed quia præter eorũ opinionem, & IESV consuetudinem inter Doctores disputantem viderunt: indeque nouerunt, non remansisse, quia voluit sicut cæteri pueri aberrare: sed à consilio ab eorum consortio recessisse.

§. III.

De pia Deiparæ querimonia.

11. *An sermonem Doctorum interruperit Virgo?* Matth. 12.

ET dixit Mater eius ad illum.] An ad præsentiam Doctorum accessit, & sermonem interrupit? Minimè, sed postquam Christus recessit ab illis, & ad Parentes se conuertit. Matthæus asserit rursùm Deiparam prædicantem in Templo Dominum inuenisse. Cap. 12. Porrò nec tunc accessit, sed foris mansit, donec sermonem compleret.

12. *An correptionis verbum?*

Fili, quid fecisti nobis sic?] An correptionis verbum? Bonauentura asserit, Virginem Puerum materna potestate corripuisse. Displicet, quia vbi nulla culpæ ratio est, non potest esse iusta correptio: sciebat autem Virgo, Dei Filium omnis culpæ expertem, cuius gratia & ipsa omni culpa vacabat. An ex affectu materno procedens querimonia? Sic recentiores quidam. Non improbo, legens in scriptura, quosdam pio affectu ad Deum gerere querimonias.

Matth. 27.

Matthæus asserit Christum proclamasse. *Vt quid dereliquisti me.* Cap. 27. Quod Hieronymus querimoniam quandam interpretatur.

13. *Asserit, interrogationem esse admirantis.* Tolet.

Attamen aptius affirmo interrogationem hanc admirantis esse, & causam ignorantis, cur sic cum ea, & Ioseph voluntariè Filius secesserit. Toletus mecum, *Fili, quid fecisti nobis sic? Admiramur, nec causam scire possumus, cur feceris sic. Id est, vt nobis inconsultis, remanseris.*

14. *Auget causam admirationis.*

Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.] Causam auget admirationis. Eo enim facto ô Fili, causa fuisti, vt summo dolore affecti te quæreremus: quod te non ignorasse scio. *Pater tuus.* Patrem appellat Ioseph, non quod verè sit; sed quia loco Patris erat, & quia talis reputabatur: & ne qui audirent filium ex crimine existimarent. Cur prius Ioseph, quam seipsam nominauit? Vera Mater humilitatem, modestiam, & vrbanitatem exprimit, & Matrimonij à Deo instituti rationem commendat, in quo vir caput est. Sic Augustinus lib. decem & septem sermo. sermon. 2.

Ioseph cur patrem eius appellat? Mariæ vrbanitas. August.

§. IV.

De IESV Responsione.

ET ait ad illos: Quid est, quod me quærebatis?] Ambrosius Matrem à Filio argui asseruit, nec exponit, qua de causa arguatur. Nulla est prorsus: & vbi nulla est culpa, cessat omnis reprehendendi causa. Vnde affirmo Verba Christi instructionem, consolationem, & defensionem importare. Docet enim, quod factum est ab illo, consilio, & mysterio diuino gestum: causam dolendi, & sollicitè inquirendi non fuisse, dicit: causam illis dolendi, & anxiè quærendi dedisse, tacitè negat, ac si diceret, vos amore vestro, & quia ignorabatis rei mysterium, causam vobis ministrastis. 15.

Verba Iesu non reprehensionem, sed consolationem exprimunt. Ambros.

Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt oportet me esse?] Scire, & cogitare poteratis, me ob negotia Patris mei, quibus me oportet incumbere, remansisse; quod si cognouissetis, non vtique sic dolentes obiiceremini. Origenes hom. 20 in Luc. Titus Bostr. Euthymius, Augustinus citat. & Leo epist. 4. ad Episc. cap. 2. particulam, *Hæc, quæ Patris mei sunt.* Templum interpretantur. Templum enim domus est Dei. *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Ioan. 2. *scire* (inquiunt) *poteratis, me esse in Templo Dei; vnde non erat, cur me quæreretis quasi errantem.* Non placet expositio, quia ex eo, quod Templum erat Patris domus, non sequebatur oportere Christum ibi manere: non enim semper erat in Templo. 16.

De his, quæ Patris sunt? Origen. & alij.

Aptius existimo, opera, quæ Diuinitatis erant, quæque non vt homo communis, sed vt Redemptor faciebat, *ea, quæ Patris sunt*, appellasse. Quo sermonis genere sæpe alibi vsus. *Cibus meus est, vt faciam voluntatem Patris mei, vt perficiam opus eius.* Ioan. 4. *Me oportet operari opera eius, qui misit me.* Ioan. 9. *Opus consummaui, quod dedisti mihi, vt faciam.* Ioan. 17. In hisce operationibus ad Patrem vtique pertinentibus non erat Parentibus subiectus, sed Patri: idcirco sine consensu Parentum in Ierosolyma remansit, vt huiusmodi opus exerceret. 17.

Auctoris sententia, de operibus, quæ vt Redemptor faciebat. Ioan. 4. Ioan. 9. Ioan. 17.

Quare Dominus Patris appellat opera, quæ ipsemet vt Redemptor exercebat? An quia propter hæc à Patre fuit in mundum immissus? *Ego ad hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati.* Ioan. 18. An quia etiamsi Christus esset Deus, & homo, sicque Redemptor: tamen redemptio præcipuè erat à Diuinitate; miracula enim faciebat Deus & homo: tamen Diuinitas præcipua causa erat; similiter efficacia, & valor operum eius maximè procedebat ab eo, quod Deus erat: ideoque Patri tribuit, à quo habebat Diuinitatem? An quia vt homo accepit præceptum à Patre de huiusmodi operibus faciendis? *Sicut mandatum accepi à Deo, sic facio.* Ioan. 14. *Oportet*, ait, *me esse.* Vbi verbum *oportet* præceptum indicat Patris. 18.

Cur Patris ea opera appellantur? Ioan. 18. Ioan. 14.

Et

20. *Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos.*] Parentes IESV tunc non planè assecuti sunt sensum responsionis; non intelligentes quæ appellauerit *ea, quæ sunt Patris*, & quid sibi vellet, oportere eum in his esse. Nouerunt illum esse Christum D . . . num ac Saluatorem: rationem tamen, qua ille munus suum obiturus erat, & rationem eorum, quæ iam ab illo agebantur haud plenè cognoscebant; sed progressu temporis eorum scientia, seu fides augebatur. An id deroget Virginis, aut Iosephi perfectioni? Minimè. Neque enim quidquam eorum quæ ad statum eorum pertinebant tunc, ignorabant.

Quod non est intellexere Parentes?

§. V.

De IESV *Parentibus subiectione.*

21. ET *descendit cum eis, & venit Nazareth.*] Bernardus serm.19. in Cant. *Cum remansisset in Ierusalem, & dixisset, In his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse: non acquiescentibus Parentibus eius, sequi eos in Nazareth non despexit, Magister Discipulos, Deus homines, Verbum, & Sapientia fabrum, & fœminam.* Porrò, tanti Patris venia, non video, quo argumento probari possit Parentes IESV verbis non acquieuisse? An non dictum de Matre, *Maria autem conseruabat omnia verba hæc*? Nouerat ergo quid Diuinum in facto, & verbis: nec refragata est Filio; sed omninò conformem se se exhibuit eius voluntati. Descendisse dicitur cum eis, quia à Ierosolyma proficiscebatur in Galilæam humiliori loco sitam.

In omnibus acquieuere Parentes IESV voluntati, circa remansionem in Ierosolyma.
Bernard.

22. *Et erat subditus illis.*] Parentibus subditum se exhibuit in eis, quæ communiter pueri assolent erga parentes exhibere; vt omnibus exemplum obiiceret, diuinum mandatum de parentibus honorandis adimplendi; vtque sicut remanens solus sine Parentum consensu Deum se esse declarauerat, subdens se illis hominem exponeret: eumque opera diuina vt Dei Filium, & humana vt filium hominis habere, esset omnibus manifestum. De filiorum subiectione sic ex hoc loco Origenes hom.20. *Discamus filij subiecti esse parentibus nostris. Maior minori subiicitur; nam quia maiorem Iosephum videbat ætate, propterea eum parentis honore coluit: omnibus filiis exemplum tribuens, vt subiiciantur parentibus. Quod si patres iis non fuerint, subiiciantur iis, qui patrum ætatem habent. Quid loquor de parentibus, & filiis? si* IESVS *Filius Dei subiicitur Ioseph, & Mariæ; ego non subiiciar Episcopo, qui mihi à Deo ordinatus est pater? non subiiciar Presbytero, qui mihi Domini dignatione præpositus est? Puto, quod intelligebat Ioseph, quia maior se erat* IESVS, *qui subiiciebatur sibi: & sciens, maiorem esse subiectum, trepidus moderabatur imperium. Videat ergo vnusquisque, quod melioribus sæpè præpositus sit inferior: & nonnunquā accidat, quod ille, qui subiectus est, melior sit eo, qui sibi videtur esse præpositus. Quod cum intellexerit dignitate sublimior, nō eleuabitur superbia ex eo, quod maior est; sed sciet, ita sibi meliorem esse subiectum, quo &* IESVS *subiectus fuit Ioseph.*

De IESV subiectione.
Filij adducuntur subiici maioribus.
Origen.

23. *Et Mater eius conseruabat omnia verba, &c.*] Quænam? Titus Bostr. refert non tantum ad ea verba, quæ nunc Christus dixerat; sed etiam ad ea, quæ ab Angelis, Pastoribus, Simeone, & Anna audierat. Euthymius affert ad proxima, nimirum, *In his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse.* Ego autem ad proxima, & immediatè præcedentia referendam hanc sententiam existimo. Nitor relatiui, *Hæc* vi id indicantis. Non autem ad verbum à Christo prolatum solummodò refero: sed etiam ad ipsum factum, quod remanserit solus in Ierusalem, inter Doctorésque fuerit inuentus, & quod post hæc subditus illis permanserit. Licet igitur Virgo, quæ fecerat, ac dixerat Filius, non planè tunc assequebatur: intelligebat nihilominus diuina, & humano sensu sublimiora esse. Ideo non excipiebat ea tanquam à duodecim annorum puero: sed tanquam à Dei Filio, omni scientia prædito.

Quænam verba Maria conseruaret.
Titus. Euthym. *Auctoris expositio.*

§. VI.

De IESV *Profectibus.*

24. ET IESVS *proficiebat sapientia.*] Quid ab anno ætatis suæ duodecimo vsque ad trigesimum Christus gesserit breuissimo Euangelista compendio percurrit, triplicem progressum eius describens. Primus est in sapientia. *Proficiebat*, inquit, & augebatur in dies sapientia. Non quod habitus ipse in se sapientiæ augmentum reciperet; sed quod in dies sapientiora verba, & opera proferret. Verba enim, & opera sapientiam Euangelista appellat. Theophylactus, *Proficiebat humanitas in Christo, & paulatim crescente corpore, manifestabat se ipsum; & quotidie & dictis & factis sapientior apparebat.* Strabus autem, *sapientiam paulatim demonstrabat, &c.* Quemadmodum solem dicimus obscuratum nubibus; & dum paulatim hæ dissoluuntur, solem clarescere asserimus, & elucescere: quamuis in se semper luceat; Sic Christus in se plenus sapientia, obscuratus carnis videbatur infantia, dum radios suos non emittebat; paulatim autem procedente ætate pandebatur. Ideoque proficere dicitur, non quod in se sapientior fieret, sicut sol nec lucidior: sed quod sapientior videretur.

De profectu IESV in sapientia.
Theoph. Strab.

25. *Et ætate.* Græcè ἡλικίᾳ id est *ætate, & statura.* Vnde Athanasius serm. 4. cont. Arrian. *Proficiebat statura.* Vulgatus vertit *ætatem*, quem sequitur Titus Bostr. & Damascenus lib. 3. de fide cap.22, Igitur ætate proficiebat (en secum profectum) quia secundum carnem ab infantia ad pueritiam, à pueritia ad adolescentiam, ab hac ad virilitatem annis decurrentibus progrediebatur: sicut cæteris hominibus assolet euenire. Cur Lucas sapientiæ coniunxit ætatem? Respondet Toletus, *Vt significaret, Christum per ætatis incrementum, sapientiam, qua præditus erat, protulisse, & in ea exterius profecisse.*

De profectu IESV in ætate.
Athan. Tolet. Damasc. Titus.

26. *Et gratia.*] Tertium profectum Euangelista expendit. Proficiebat gratia, qua Deo gratus erat, illique acceptus, & sanctus. An quòd sanctior, aut gratior progressu temporis factus fuerit? Minimè, quia ab exordio incarnationis plenus gratia erat. At per ætatis incrementa perfectioribus gratiæ, & sanctitatis operibus incubuit. Scio quoduis opus, ac verbum Christi ratione personæ operantis æqualis esse sanctitatis. Non tamen ratione ipsius operis aut verbi idem profiteor; gratius enim opus fuit ratione operis quadraginta dierum ieiunium, quàm vnius

De profectu IESV in gratia.

vnius tantùm. Profectò gratiam in Scriptura (sicut & sapientiam) accipi prodictis, & operibus, quæ ex gratia profluunt, frequens est. Psalm. 44. Act. 24. *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Psalm. 44. *Verba oris sapientis gratia.* Eccl. 10. *Volens gratiam præstare Iudæis.* Act. 24. *Hæc est gratia apud Deum* 1. Pet. 2. 1. Pet. 2. Strabus ex Patribus, *Paulatim demonstrabat gratiam quam habebat.*

27. *Quid, crescere apud Deũ, & hominib.?* Titus. *Apud Deum, & homines.*] Titus Bostr. qui hunc profectum IESV interpretatur secundum ostensionem, & demonstrationem: verbum illud, *Apud Deum*, sic intelligit, *Deo disponente.* Sic enim disposuit Deus, vt Christus secundum ætatis incrementa maiora suæ sapientiæ, & gratiæ hominibus argumenta præberet. Ast ego, qui non solum ratione solius ostensionis, sed re ipsa hunc dixi profectum extitisse, scilicet operibus ipsis, & verbis, quæ nomine sapientiæ, & gratiæ appellantur: sic expono. *Proficiebat sapientia, ætate, & gratia, apud Deum* quidem, quia erat augmentum, & profectus non solum in apparentia respectu hominum; sed re ipsa apud Deum; erant enim sapientiora & gratiora in se indies, sicut & ætas prouectior. Profectò sæpè hominibus aliud videtur, quàm ex [illegible], at Deo ipsi nuda veritas exponitur. Ideirco dicitur profecisse apud Deum. Additur, *Apud homines*, quia sæpè contingit, quod verum est apud Deum, non vt tale ab hominibus recipi. Haud sic accidit Christo ab hominibus magnificato.

IN
IESVM COLLOQVENTEM
PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS
CIRCA LITERAM.
EX PVERI INVENTIONE.

OBSERVAT. I.

Ad illa verba:

Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.

Edocet Dipara, Iesum à peccatoribus cum dolore, ac labore quærendum.

Deus enim laborantibus, & plorantibus illicò manifestatur.

28. Origen. ORigenes, *Oportet IESVM quærere non negligenter: sed cum labore, & dolore* Deipara, ac Iosephus dolentes quærunt, & inueniunt. Multi requirunt, quibus amissus Dominus non manifestatur; quia sine labore, ac dolore quærere intendunt.

29. *Amaritudinis vndis mergitur Petrus, vt verè inueniat Saluatorem, & nõ phantasmati hæreat.* Matth. 14. Ambros. Domino Discipulis se se ostendente, *putauerunt esse phantasma.* At Petrus vt periculum faceret, an verè Christus esset, proclamat, *Domine, si tu es, iube, me venire ad te super aquas. Veni* ait. *Videns verò ventum validum, timuit: & cum cœpisset mergi, clamauit dicens. Domine, saluum me fac.* Matth. 14. Cum Christus verus quæritur à Petrò, exantlatis laboribus inuenitur. Ambrosius serm. 2. de Sanct. *Petrus dum fluctuat, dum mergitur, sic peruenit ad Dominum: ostendens nobis quod nonnisi per pericula properatur ad Christum inueniendum.* Dolens requirit, si inuenire expetit Saluatorem.

30. *Isachar, seu Christicola vt inueniat terrã bonã, sine salute, sine Domino, supponit humeros ad laborem, ad dolorem.* Gen. 49. Mysticus Isachar, fidelis inquam Christicola satagit IESVM terram sibi promissam quærere, & inuenire, vnde ad dolorem necessariò accurrit sustinendum. Audi Iacobum, *Isachar asinus fortis accubans inter terminos. Vidit requiem, quod esset bona, & terram quod optima; & supposuit humerum suum ad portandum.* Gen. 49. Si expetit Isachar bonam terram ad requiem inuenire, cur à longe videns, non illico curat properare, vt ipsa potiatur? An non ad onera pergens se se reddit, ad assequendam terram illam, tardiorem? Profectò ad velocem cursum, & certam assecutionem, siue inuentionem terræ illius necessarium est ex oneris angustia, vt dolens requirat, & proculdobio inueniat. Anselm. Anselmus, *Vidit requiem æternæ vitæ quod esset bona, & terram viuentium, quod optima: & supposuit humerum suum, ad portandum. Quia qui promissam requiem inuenire desiderat, onera libenter portat.* Vt dolens quærat, & inuenire possit.

Proclamat sponsus, *Surge, propera amica mea, & veni. Flores apparuerunt in terra nostra, vox turturis audita est.* Cant. 2. Turturi gementi flos campi id est IESVS Nazarenus seu floridus ostentatur, à dolente inuenitur. Bernardus. *In eodem cantico euidenter expressum est, quod florum apparitio turturis comitetur auditum.* Chrysostomus hom. 4. ad Popu. *Nisi tentatio, nec corona: nisi certamina, nec brauia: nisi studia, nec honores: nisi tribulatio, nec remissio: nisi hyems, nec æstas.* Nisi dolentis requisitio haud gloriosa inuentio. 31. *IESVS flos dolenti obiicitur.* Cant. 2. Bernard. Chrysost.

Abiit IESVS Dei Filius in Regionem longinquam, aut *peregrè profectus est.* Experis inuenire? Dolens requirere non graueris: inuenies vtique. Abbas Cellen. lib. de Panib. c. 12. *Dolentis lacryma Filium Dei amissum ad nos inclinat, & ad Trinitatem, interueniente spiritu, nos eleuat.* 32. *Abeuntem Dominũ inuenit dolẽs.* Abbas Cellen.

David sollicitè IESVM requirens, proclamabat, *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes, dum dicitur mihi quotidie, Vbi est Deus tuus?* Vbi est? Dolens ac lacrymas profundens require, & 33. *David dolore affectus, inuenit IESVM.*

illico

illico iouenies Deum ex crimine amissum. Adiicit Vates, *Lauabo per singulas noctes lectum meum.* Quonaio fructu? Ambrosius lib.2. de Pœnit. cap.8. *Dicebat David, Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes, dum dicitur mihi quotidie, Vbi est Deus?* Quærit *lauans per singulas noctes lectum. Ideo meruit David, vt ex eius familia Virgo eligeretur, quæ nobis partu proprio Christum ederet.*

Ambros.

OBSERVAT. II.

Ad illa verba:

Quid est, quod me quærebatis?

Si in Ionæ ceto Maria IESVM quæsisset, inibi inueniret, mysticè residentem.

Quia ibi adest Deus, vbi fideles laboribus agitantur, Templum enim Dei sunt, in quo oportet Filium Dei esse.

34. Timoth. Ierosol. *Templũ Dei Ionas afflictus erat.*

PRemens Timotheus Ierosolymi, Virginis querimoniam, asserit sic Dominum respondisse: *Vt quid me quærebatis? Sed & vbi me quærebatis? In cœlum non ascendistis, ad infernum non ascendistis, in ceto Ionæ non habitastis.* Sic Orat. de Simeo. Sedes designat, in quibus nonquam non iouenici possit. Ioueoietur io cœlis glorificans beatos, in inferoo afficiens supplicio peccatores, in ceto Ionæ, id est io careere, in Xenedochio, in quolibetque loco, vbi fidelis aliquis fuerit afflictus. Deus enim specialissimo commoratur affectu cum iis, qui laboribos agitantur.

35. *Oportet esse Christum in Templo Dei, & ideo in afflicto Iona commoratur.* Euthym.

Recolo Euthymij expositionem illios sententiæ: *In his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse.* Luc.11. Asserit ille *ea quæ Patris sunt, Templum* appellati, *quia Templum Dei domus est, & oportebat Christum in domo Patris, seu Templo habitare.* Ergo nulla sedes tam decens Christo ac Templum. Porrò vbi Templum est, ibi oportet Dominum esse, vbi Ionas affligitor.

36. *Nabuchodonosor adorat afflictum Danielē, quia afflictus Dei Templũ necessariò est.* Dan.2.

Audit Nabuchodonosor Danielis captioi responsum, & adiicit Textus, *Rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam, & Danielem adorauit, & hostias, & incensum præcepit, vt sanctificarent, &c.* Dao.2. Vndenam misero captiuo Rex diuinos præparat honores? An non Templo Dei sacrificia debentur? Ergo aptè Danieli afflicto sacrificium præparatur, apud quem velut Templum suom Dominos dignatur habitare. Nullus afflictus fidelis sioe speciali Dei præseotia laborat. Ergo afflictus Dei Templum est, vbi Dominns commoratur. *In his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse.* Richardus Vict. de Erud. inter. hom. p.1. cap.36. Illum, quia verè Dei Templum esse deprehendit, tali honore Nabuchodonosor dignum iudicauit.

37. *Laborans vbique cum Domino est, quia Templũ est Dei.* Fulgen.

Hinc appositè D. Fulgentios lib.2. ad Trasim. cap. 17. *Solus non est, cui Christus in fuga comes est: solus non est, qui Templum Dei seruans, vbicumque fuerit, sine Domino non est.* Quare sine Domino non est, qui persecutionibus agitur? Quia Templum Dei est, Dei est Domus; & in his quæ Patris sunt, id est in Templis oportet Christum nunquam non commorari.

38. *Iacob laborans, apud se asserit Domũ, aut Templum Dei esse.* Gen.28. Hieron.

Iacobo pergenti Deus comes addicitur. Scalam vidit, Deum aspectauit, & somno soluto, proclamans auditur, *Quam terribilis est locus iste! verè non est hîc aliud nisi* domus Dei. Geo. 28. Vbi Hieronymus ad Iulia. epist. 34. *Qui delicatissimè a Rebecca matre fuerat educatus, lapide ad caput pro puluillo vtitur: vidit scalam de terra vsque ad cœlum & ascendentes per eam Angelos, & descendentes, & desuper innitentem Dominum, vt lapso manum porrigeret: vt ascendentes suo ad laborem prouocaret aspectu.* Igitur laboribus actus Iacob, clamat: *Verè hîc non est aliud nisi Domus Dei.* Cur est Domus Dei? Quia Deos in Templo commoratur. Quare autem Templum est hîc, si Deus desuper sedens aspicitur: *Et desuper innitentem Dominum?* An non aptius dixisset, *Vere ibi non est aliud nisi Domus Dei?* O quàm appositè proclamauit, *Verè non est hîc aliud nisi Domus Dei.* Quia hîc est Templum Dei, vbi labor hominis conspicitur. Ideo noster Lodouicus Alcasar asseruit Numen, seu Filium Dei inferius apud afflictum Iacobum apparuisse: quasi apud Templum afflicti cordis sedem obtinentem.

39. *Petrus sibi, apostolisque Tabernaculũ extrui non expetit, quia vbi labor est, ibi Templum Domino ædificatur.* Matth.17. Ambr.

Petrus apud Thaboris verticem, *Domine, bonum est, nos hîc esse, si vis faciamus hîc tria Tabernacula tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum.* Matth.17. Tria Templa construi curat IESV Eliæ, & Moysi. Porrò Petrus, Ioannes, & Iacobus labori debebant incumbere, vt Tabernacula ædificarent. Sic Ambrosius ad cap.9. Lucæ premens verbom, *Faciamus,* adnotauit: *Ad ædificanda Tabernacula tria impiger operarius communis obsequij seu laboris ministerium pollicetur.* Cur à Petro cupiente apud montem perpetuò commorari, non statuuntur sex Tabernacula: tria IESV, Moysi & Eliæ: tria autem sibi, Iacobo, ac Ioaoni? Certè quia laborantes Discipuli, eo ipso Tabernacula, seu Templa Domini efficiebantur. Euaogelista. Si igitur oportet Dei filium in Templo esse, proculdubio in *ceto Ionæ* inoentus esset, hoc est, vbicomque fidelis aliquis afflictione agitatur; quia hoiusmodi afflictio eum Dei constituit io Templum.

OBSERVAT. III.

Ad illa verba:

Et erat subditus illis.

Principes, Reges, Præsules, ac magni quique debent IESV subdito Parentibus circa obedientiam egregia facinora litare.

Deus subditur hominibus, & dedignaris obedire maioribus?

EXpendit D. Bernardus hom. 1. de Laud. Virg particulam, *Et erat subditus illis. Quis? Quibus? Deus, hominibus. Deus, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui Principatus, & Potestates obediunt: subditus erat Mariæ; non tantùm Mariæ, sed etiam Ioseph propter Mariam. Mirare ergo vtrumlibet, & elige, quid amplius mireris siue Filij benignissimam dignationem, siue Matris excellentissi-* 40. Bernard.

excellentissimam dignitatem. Vtrinque stuper, vtrinque miraculum & quod Deus fœmina obtemperet, humilitas absque exemplo; & quod Deo fœmina principetur sublimitas sine socio. Tam egregio igitur humilitatis ac obedientiæ documento debentur eximiæ humilitatis, ac obedientiæ Principum actiones.

41. *Qui se humiliat, cum eleuarum se aspicit; Iesu subditi æmulator est.* Matth. 11. Hieron. Eccles. 3. Chrysost.

Fatur Dominus, *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde* Matth. 11. Quosnam Dominus aduocat ad aulam discipulos? Eos vtique, ex mente Hieronymi epist. ad Celant. queis Sapiens profatur, *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Eccles. 3. Chrysostomus hom. 33. ad Geo. *Quandò occasiones habet, vt extollatur quis, & se ipsum humiliat, & supprimit:* tunc Magistrum discens æmulator: *Discite à me* Nam cum Filius Dei esset, *erat subditus illis.*

42. *Theodosius Imperator est pauperculus ex humilitate, quia Iesum videbat subdi à hominibus* Isa. 66. Vatabl. Ambr.

Audiendus Propheta Dei gerens personam, dum profatur, *Ad quem respiciam nisi ad pauperculum, & contritum, & trementem sermones meos?* Isa. 66. Vatablus, *Ad hunc respiciam, qui est humili, & fracto spiritu.* Preme particulam, *Nisi ad pauperculum.* Sermo ne ad solos pauperes, piscatores, vulgaresque? Certè præcipuè sermo ad Reges, ac Proceres dirigitur, qui superbum spiritum frangere sciunt. Ambrosius pulchrè Theodosio Imperatori sententiam hanc accommodat Orat. de eius obit. *Dilexi virum misericordem, pauperculum, & humilem Imperio: qualem Deus amare consueuit, dicens: Super quem respiciam nisi supra pauperculum, humilem?* Debebat id Theodosius Iesv Regi ac Dei Filio, qui pauperculi sub regmine Parentibus subditus ostentatur.

43. *Princi es debent inferioribus subdi quia, subditus Iesus est.* Rom. 12. Chrysost.

Paulus ad hæc, *Honore alius alium præuenientes.* Rom. 12. Asserit Chrysostomus hom. 33. in Gen. Apostolum ad Magnates esse hîc locutum. Qui quidem quia aliis sunt admodum superiores tenentur eis submitti. *Date operam, vt in omnibus humiliemini. Hoc est enim primatum habere.* Id est, hæc est lex primatum habentis. Quare? *Quia Christus humilis Rex dixit, Discite à me.*

44. *Princeps Abraham subditur iuueni, quia se Iesv Parentum contemplabatur Parentibus subditum.* Gen. 13. Chrysost.

Principem Abrahamum testor ad Loth subditum sibi profantem, *Ne, quæso, sit iurgium inter me, & te: & inter pastores meos, & pastores tuos, Ecce vniuersa terra coram te est* Gen. 13. Ad quæ Chrysostomus citat *Vide sublimem humilitatem. Dignitate, & ætate senior iuuenem fratrem appellat. Ista est vera humilitas, quam eximius ille vir declarauit erga eum, qui multò se fuit inferior. Cogita enim, quod senex iuueni cessit, & patruus nepoti, & qui tantam à Deo sortitus est gratiam, ei, qui in nullo magnum aliquod specimen præbuit. Non est enim humilitas facere, quod necessitate debes, vel cogeris.* Miraris Principem subdito submitti? Pater erat Iesv; cui profectò debebat ab augustiori fastigio velocius currere ad obsequium.

45. *Dauid Rex subiicitur Sauli inimico, quia mente gerebat Christum hominibus subditum.* 1. Reg. 24.

Dauid iam vnctus reprobato Sauli proclamat. *Quem persequeris, Rex Israel? Canem mortuum persequeris, & culicem vnum?* 1. Reg. 24. Vndenam Regi tam egregia humilitas, vt se ad pedes reprobati prouolueret? Mente quidem gerebat subditi hominibus speciem Saluatoris. An non eum audistis, cum posset hostem in specu configere: *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Christo Domini, vt mittam manum meam in eum.* Ibid. Existimabat Rex in Christum Domini, quem mente gerebat delicturum se, si non homini iam inferiori post vnctionem subderetur; si Christus subditus hominibus obiiciebatur. Augustinus perpulchrè. *Dauid tantam humilitatem seruauit erga Saulem, vt se fateretur canem mortuum, qui nec latratum edebat. Quia suadentibus militibus suis, vt Saulem in spelunca interficeret, dixit: Ne faciam hanc rem Domino meo Christo Domini, vt mittam manū meam in Saulem.* In Christum enim delinquere videtur, qui non se subditum ostēdit vili cuique, videns Dei Filium subdi Parentibus. Ergo Dauid subditur Sauli, quia Christi memor adiudicauit, humilitati Saluatoris eximiæ, egregiæ humilitatis documenta deberi. August.

46. *Mater Iesv debebat se se omnibus posthabere, postquam vidit, Iesvm subditum sibi.* Act. 1. Bernard.

Apostoli *redeuntes de monte Oliueti vnanimiter perseuerabant in oratione. Petrus, & Andreas, Iacobus, & Ioannes, &c. Hi omnes perseuerabant vnanimiter cum mulieribus, & Maria Matre* Iesv Act. 1. Ad quæ vulgarem Bernardi sententiam non vulgariter explicabo. *Quid?* (inquit serm. de verb. Apoc.) *Si Maria adsuit, nominetur prima, quia Regina super omnes est, tam Filij prærogatiua, quam sua priuilegio sanctitatis. Petrus & Andreas, &c. ait Lucas. Hi omnes perseuerabant cum mulieribus, & Maria Matre* Iesv. *Itane & mulierum se vltimam exhibebat, vt nouissima omnium poneretur?* Ita planè, quia dum Lucas memorat Reginam Mariam, Iesv esse Matrem, quasi necessariò eam post Apostolos, post mulieres descripsit. Quia Mater Iesv, cui Rex Christus subditus fuit, debebat in omnibus & præ omnibus egregia humilitatis facinora libentissimè litare. Vnde morem Virgini gerens Lucas, obsequentissimus, eam exprimit omnibus subiacuisse *Quanto maior erat Mater* Iesv *humiliabat se non modò de omnibus,* (loquor cum Bernardo) *sed præ omnibus.* Ideo Lucas eam descripsit eo in loco, ad quem studiosa humilitatis decurrerat, & apud quem ipsam videbat esse collocatam.

Observat. IV.

Ad illa verba:

Et erat subditus illis.

An vile Iesu Dei Filio, Parentibus hominibus obedientiam præstitisse.

Absit; obedientia enim quid augustum est, vel viles homines maximè illustrans.

Monet Origenes, *sæpe obediens est melior, non ergo superior eleuetur superbia.* Profectò non sæpè solùm, sed semper obediens est melior ex obedientiæ obsequio; quia obedientia ipsa nunquam non eleuat subditos; qui quidem si ex genere, si ex sapientia paruus obiicitur, & abiectus, non potest non ex obedientiæ fulgore magnus ostentari. Existimas Dei Filium vilitate pressum, dum hominibus subditur? Ex summissione illa Pueri Deitatem recognosco. 47. Origen.

Rex Iob è throno ad sterquilinium deturbatur. Rex Adam ex gleba natalitia ad Paradisi aulam adducitur. Inobedientem Adamus vel 48. *Iob obedientia fecit sterquilinium*

Deo

omnium, Adã inobediẽtia fecit cœlum sterquilinium.

Deo se præstat, lobos autem Deo se se omnino litat nunquam non pariturum. Chrysostomus hom. de cœco. *Nec paradisus in pretio habendus est, nisi Dei mãdatum in eo seruetur: neque sterquilinium ignominiosum est, si in eo sit Dei lex Deo regnanti. Vtrum melius, vtrum potius? Paradisus, an sterquilinium?* Preme, *Deo regnanti.* Quinã Deus regnans? Profectò ipse Iob in sterquilinio Vndenã à Regno deturbatus potest aptè Rex appellari, & qui vix homo dici valet iuxta illud: *Vermis sum, & non homo*, quonammodo Deus vocitatur? An non quia dum Dei legi subditur obediens, præcelsa obedientiæ virtute sterquilinium conuertit in cœlum, dum inobediens Adamus cœlestem paradisum in sterquilinium commutauit?

Chrysost.

Quasi Deus regnans obediens.

49. Nunquam non eleuatur, qui promptè didicit obedire. Postquam Iacob benedictione cœlesti fuit à patre donatus, proclamans Esau, sibi etiam benedictionem præparari, audiuit: *In pinguedine terræ, & in rore cœli desuper erit benedictio tua: fratri tuo seruies.* Gen 27. An non Esau eadẽ donatus est benedictione? *Det tibi Deus* (inquit pater) *de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini.* Ibid. Ergo si Esau eadem frumẽti & vini oppletur abundantia, eandem accepit benedictionem. Cur ergo conqueritur se à fratre seductum? Preme quæso, particulas: *Erit benedictio tua*, & *Det tibi Deus.* Hæc benedictio quasi sine labore à Domino Iacobo præparatur; illa autem *erit*, si labore consequi Esau satagat. Quonam ergo labore acquirendam? *Fratri tuo seruies*: Si vis redire ad verticẽ, è quo deturbatus fuisti, cum frater tuam abripuit benedictionem? Obediens obsequium præsta fratri tuo, vt ex obedientiæ vi necessario ad verticem extollaris. Bellè Ambrosius l.5. epist. 20. *In rore cœli desuper, & fratri tuo seruies? Pro benedictione huiusmodi est seruitus.* Ac si diceret, Idem fuit eum donare seruitutis præstandæ occasione, ac cœlesti benedictione repleuisse. *Seruitus inter bona numeratur, inter collatam vbertatem terræ & rorem cœli à summo.* A summo cœlo obedientis egressio? Profectò qui subditur Præposito fortassè inferiori, eo ipso ad cœli verticem eleuatur.

Esau datur benedictio cœlestis, si obedire paratur.
Gen. 27.
Ambros.

50. Haud dubium, quin subiectio fœminæ erga virum illo significarã esse velamine, quo nouæ nuptæ obuelari solebant. De quo Paulus, *Ideo debet mulier potestatem habere super caput propter Angelos.* 1. Cor. 11. Ambros. Chrysostom. & Theodoret. asserunt velamen hoc capiti vxoris impositum significare, eam viri potestati subesse. Cur igitur subiectionem in velamine illo expressam potestatem appellat? Quia sexus ille, cum viro obedit, tunc potestatem, ac Principatum verè ostentat. Nihil enim humili obedientia sublimius. Chrysostomus, *Virtus eius, cui alius imperat: & honor est, manere in obedientia.* Vnde mulier obedientiæ potestate ornata coram Angelis specialissima apparere potest: *Propter Angelos.*

Obedientia fœminæ ad virum aptè potestas appellatur; quia potentior est, quæ obedit.
1. Cor. 11.
Chrysost.
Theodor.
Chrysost.

51. Nec mirum, obedientiam potestatem appellari, si verè est Regia corona. Fatur sponsus, *Veni de Libano sponsa mea, & coronaberis.* Cant. 4. Cuiusnam virtutis exercitamento sponsa assequetur stipari corona? Certè ipso ex obedientia ad montem aduentu. Per Ezechielem Deus, *Dedi coronam decoris in capite tuo.* cap. 16. Quanam, quæso, victoria? Theodoretus. *Coronam super caput impositam eam intelligit, quæ ab obedientia atque adeo ex omnibus bonis comparata sit.* Quia obedientia qui ornatus ostenditur, se asserit omnibus virtutibus stipatum.

Obedientia est corona Regia.
Cant. 4.
Ezec. 16.
Theodor.

52. Post prælapsam fœditatem Saulus repente sanctus præsentatur Ecclesiæ, ad tertium cœlum rapitur, vbi *audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui*, Apostolusque à Domino prædicatur, *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum, &c.* Act. 9. Vndenam tam velociter Saulus commutatur in Paulum lupus in agnum, persecutor redditur in Apostolum? Audiui eum proclamantem, *Domine, quid me vis facere?* Obedientiæ iam virtute ornatur? Non miror tot fulgoribus iam recens natum spiritu exornari. Chrysostomus ad illud, *Astitit Regina a dextris tuis. Pulchritudo*, inquit, *animæ pendet ab obedientia. Saule, Saule, quid me persequeris? Ille vero, Quis es Domine, & demum, Quid me vis facere? Obediuit, & obedientia ipsa deformem prius animam apprimè formosam reddidit.*

Repentè Saulus fit sanctus ex obedientia promtitudine.
Act. 9.

OBSERVAT. V.

Ad illa verba:

Et erat subditus illis, IESVS autem proficiebat sapientia, & ætate, & gratia.

Viam proficiendi IESVS edocet obedientiam esse.

In Religione quidem ille virtutibus fulgentior apparet, qui virtute obedientiæ plus addictus obiicitur.

Postquam Lucas asseruit IESVM subditum Parentibus se gessisse, opportunè adiicit, IESVS *autem proficiebat sapientia & ætate, & gratia.* Obedientiæ etenim virtus sic homines ad verticem virtutum adducit, vt qui plus addictus obedientiæ ostendatur, fulgentioribus virtutum radiis comperiatur amictus. 53.

Augustinus asserit, IESVM omnibus virtutibus stipatum ineffabiliter apparuisse, vt hominum genus ab omnium vitiorum barathro liberaret. At fatur Isaias, *In sapientia sua iustificauit ipse seruos meos multos* c. 53. Rupert. l. 2. c. 19. *Quæ est scientia eius nisi obedientia eius? Ergo in obedientia sua iustificauit ipse (inquit ipse Pater Deus) seruos meos multos.* Quinam illi serui? Apostoli, Martyres, Monachi Augustinus, Benedictus, Bernardus, Dominicus, Franciscus, Ignatius, Confessores, Virgines. An non aptius dixisset, *In sanctitate sua iustificauit ipse seruos meos multos*, si quidem illi serui omnibus virtutibus ornati ostentantur? Quam pulchrè ait, *In obedientia*! Quia scilicet qui obedientiæ virtute ornatur, cunctarum virtutum visus est decorari fulgore. 54.

Eleuans IESVS homines obedientiam, omniũ virtutum præstitit magisterium; quia profectus in obedientia, in omnibus virtutibus est conspicuus.
Isa. 53.
August.
Rupert.

A mundi cunabulis nihil aliud Deus intendit, nisi homines eximia sanctitate fulgidos sibi ita copulare, vt veraciter possint Dij vocitari. Porrò ad tantæ fælicitatis assecutionem vnicum homini præceptum imposuit. *De ligno au-* 55.

Vt sancti redderentur

tem scientiæ boni, & mali ne comedas. Gen. 2. Cur vnici præcepti obseruationi Deitatis participatio promittitur? Certè quia sola obedientiæ virtus ita omnibus virtutibus redundantem hominem redderet, vt posset aptè Deitati colligari. Pulchrè Rupertus lib. 2. in Gen. cap. 30. *Nonne melius fuisset nullum dedisse præceptum, quam positione præcepti facere præuaricationis locum? Adoat, inquam. Vnde ergo copularetur homo Deo, si non illi subiugaretur obedientiæ iugo?* Ac si diceret, sola obedientiæ virtus poterat hominem tot ornare fulgoribus virtutum, vt aptè posset quodammodo morem gerere Deitati.

Sem (perfectum) Adamum, et vnica obedientia virtus induitur; quia qui obediens est sanctus est. Gen. 2. Rupert.

56\. Profectò Deus innumerabilium virtutum exercitamenta videtur ab homine exigere. *Nunc Israel* (ait Moyses) *quid Dominus Deus tuus postulat a te, nisi timere Dominum Deum tuum, & ambulare in omnibus viis eius?* Deut. 22. Particula, *Quid Dominus postulat a te nisi, &c.* indicat, parum Deum ab homine postulare, ac requirere. Parum ne est, Deum timere, & in omnibus eius viis ambulare? Parum est, tot seruare Præcepta? Parum est, tam longo leuitico subiacere? Cur ergo quasi imminuens Moyses, ait: *Quid Dominus postulat à te? Nada te pide.* Quare precor? Quia vnam postulat obedientiæ virtutem, qua ornatus animus cunctarum aliarum virtutum facilè assequitur perfectionem. Perbellè Irenæus lib. 4. cap. 31. *Hæc gloriosum faciebant hominem, implentia id, quod deerat, id est, amicitiam Dei. Deo autem præstabant nihil, neque enim indigebat Deus dilectione hominis. Deerat autem homini gloria Dei, quam nullo modo poterat percipere, nisi per obedientiam.* Igitur homo assequitur *illa omnia, quæ gloriosum faciunt hominem*, ex obedientiæ exercitamento? Porrò qui obedientiæ virtute nitet, reliquarum virtutum fulgore ornatus arguitur.

Dum Deus ab homine vnã postulat obedientiam, ab eo exigit omnium virtutum profectum. Deut. 22. Irenæus

57\. Redeo ad Saulum, qui ipso in conuersionis limine tam sanctus obiicitur, vt Dominus proclamet, *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum.* Act. 9. *Est?* cur non dixit, *Erit* post virtutum exercitamenta, post profectus? Quia profatur, *Domine quid me vis facere?* Iam fulget obedientia? Profecit iam virtute, iam est vas electionis. Chrysostomus ad Psalm 44. *Anima quamuis deformis si obtemperauerit, speciosa redditur. Obediuit Saulus*, Dominus autem ait, *Vas electionis est iam mihi iste.*

De præsenti Saulus ostenditur vas electionis id est, Apostolus perfectissimus, quia ex obedientia virtute. Act. 9. Chrysost.

58\. Animæ Sponsæ Dominus. *Audi filia, & vide, inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet Rex speciem tuam.* Psal. 44. Multæ virtutes indicuntur Sponsæ, audire, videre, obliuisci populum, ac domus patris, eiusque commodis renunciare. Porrò *Audi* præmisit. Ac si diceret: si audieris, si obediens, existima te iam cunctis virtutibus esse ornatam; omnia facilia obedienti. Chrysostomus *Hæc tua dos sunt, audire, obedire. Dos* obedientia sola? Nonne dos animæ omnium virtutum exercitamentum? Ita plane, sed tunc anima omnium virtutum fulgore ornabitur, cum obedientiæ virtute excelluerit.

Ab ipsa à exigit Deus omnes virtutes, & ideo vnam requirit obedientiam. Psalm 44. Chrysost.

59\. Do pulcherrimam Tertulliani sententiam lib. de Cult. fœm. *Prodite iam vos medicamentis, & ornamentis extracta Apostolorum: sumentes ac simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depicta oculos verecundia, & spiritus taciturnitate, inserentes in aures sermones Dei, annectentes ceruicibus iugum Christi.* Quid plura? *Caput maritis subiicite, & sic satis ornatæ eritis.* O dotem animæ opulentissimam! simplicitas, pudicitia, verecundia, taciturnitas, Christi præcepta, & consilia animæ indicuntur sponsæ. Quonammodo poterit tot virtutum exercitamentis studium, & operam præstare? Certè vni obedientiæ si litet obsequium: *Caput maritis subiicite, & satis ornatæ eritis*; quia obedientiam reliquarum virtutum sequitur satellitium: & qui virtute obedientiæ ornatur, arguit se in cunctis virtutibus profecisse. *Erat subditus illis*, IESVS *autem proficiebat sapientia, & gratia.*

Anima ornatur omnibus virtutibus, dum obedientia fulget virtute. Tertull.

60\. Ezechiel appositè, *Dedi inaurē super os tuum, & circulos in auribus tuis.* c. 16. Thedoret. *Inauris significat doctrinam imponentem ornamentum animæ, atque vim, quæ ad obediendum adducit.* Si inauris significat eam doctrinam, quæ ornamentum imponit animæ: & animæ ornamētum est omnium virtutum exercitatio; cur non dixit, atque vim, quæ ad omnes virtutes adducit? sed, *quæ ad obediendum adducit?* Certè quia eo ipso, quod vis illa adducat nos ad obediendum, simul nos ad cunctarum virtutum adducit exercitamenta.

Doctrina, quæ nos adducit ad obedientiam, ad omnes virtutes consequenter adducit. Ezec. 16. Theodot.

61\. Quæritas, Quare dixit Propheta, *Dedi inaurem super os tuum*; & non *super aurem tuam?* An non inauris aurium est ornamentum? Dauid, *Aures autem perfecisti mihi.* Ps. 39. Ex Hebræo, *Perforasti.* Vt fiat allusio ad consuetudinem fœminarum, quæ perforant aures, vt inde inaures pretiosæ dependeant. Quid ergo dari inaures super os? Profectò Theodoretus acutè respōdet, dum ait: *Inauris significat doctrinam imponentem ornamentum animæ.* At Origenes, *Inauris obedientia est.* Ergò doctrina ori traditur prædicatorum, vt proferant auditoribus totius legis, ac Euangelij documenta, dum vnicam commendent inaurem, hoc est ad vnicam obedientiam procurent animum allicere.

Ideò inauris collocatur in ore Prædicatorum, quia obedientia vnica doctrina omnium virtutum est magisterij. Ezec. 16. Psalm. 39. Theodor. Origen.

Observat. VI.

Ad illa verba:

IESVS *autem proficiebat sapientia, & gratia apud Deum, & homines.*

Priùs IESVS apud Deum, quàm apud homines proficiebat sapientia, & gratia.

Edocens nos, non prius curare placere hominibus: sed Deo; post quem licet dare studium hominibus (in ipso) placendi.

62\. THeophylactus ad hæc, *Proficiebat* IESVS *sapientia, & gratia apud Deum, & homines. Prius oportet, placere Deo postea hominibus.* Taxantur qui primum studium impendunt hominum complacentiæ.

Theoph.

63\. Christus priùs proficit apud Deum, quàm apud homines, & ideo ad ea quæ Patris sunt diuertit, relictis Parentibus à quibus nutriebatur. Exædificata ex Adami costa muliere, clamauit Sponsus, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo patrē suum, & matrē, & adhærebit vxori suæ.* Gen. 2.

Vt sponsa proficiat, ad quod Pater eum miserat, Iesus homines relinquebat Parentes. Gen. 2.

Quare

Quare vt sponsæ hæreſcat, parentes dereliquit Adamus. Ausonius Episcopus respondit. *Quia præcipuum negotium a Deo Adamo iniunctum erat sponsæ hæreſcere; erunt enim duo in carne vna.* Haud igitur mireris Iesvm à Parentibus recedere, vt hæreſcat hominibus edocendis. Hoc enim præcipuum negotium à Patre illi iniunctum, instruere sponsam: *In his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse.* Beroardus serm. 7. in Cant: *Non sunt inuenta æque dulcia nomina, quemadmodum sponsus, & sponsa. Vna vtriusque hæreditas, vna domus, vna mensa. Denique & propter hanc relinquet ille patrem & matrem, & hærebit vxori suæ.* Christus homines Parentes relinquit, vt cœlestis Patris priùs impendat obsequium, ad Doctorumque instructionem accurrat. Primò ergo gerit opera Patris, mox ad Parentes humanos reuertitur, *Et erat subditus illis.*

Beroard. *Primo Iesvs in his, quæ Patris, mox in his, quæ Parentum erant, occupatur.*

64\. Nunciatur concionanti Iesv Matrem, ac fratres foris expectare. At Dominus respondit, *Quæ est Mater mea? & qui sunt fratres mei?* Matth. 12. An despexit cognationem? Minimè, sed ostendit, priùs curandum esse, vt Deo litetur obsequium; mox parentibus placendis studium explicandum. Tertull. lib. de carne Chris. *Quale ergo erat, si docens non tanti facere Matrem, aut fratres: quanti Dei verbum; ipse Dei Verbum, nunciata Matre desereret? Negauit itaque Parentes, quomodo docuit negandos pro Dei opere.* Post opus autem Dei Christus recurrit ad Matrem, ad fratres reuertitur, *Oportet enim prius placere Deo, postea hominibus.*

Dum Mater & fratres hominis adstant, & instant, prius Iesvs ad Dei negotia attendit, mox redit ad propinquos. Matth. 12. Tertull.

Æmulator Iesv Moyses sic à sapiente extollitur, *Dilectus Deo, & hominibus, Moyses, cuius memoria in benedictione est.* Eccli. 45. Vbi Guarricus serm. 3. de Benedicto. *Paucis expressit scriptura bonum, ac beatum virum. Paucis comprehendit summam perfectionis, plenitudinem gratiæ, & virtutis. Quid enim deesse potest ad æternam fœlicitatem illi, qui a Deo diligitur? ad præsentem consolationem illi, qui ab hominibus postea amatur.* Cur addidit *Postea?* Quia prius perfectus vir curauit diligendo Deum Dei donari dilectione: postea hominum sibi conciliare affectum: *Dilectus Deo, & hominibus.* 65.

Fœlix ille qui prius amatur à Deo, mox ab hominibus: quia prius Deo, mox hominibus placet. Eccli. 45. Guarr.

Postquàm Iacob fuerat cœlesti donatus benedictione, fante Isaaco, *Det tibi Deus rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini.* Gen. 27. At Esaü clamanti, vt alia benedictione donaretur, Isaac eandem benedictionem imprecatur, *In pinguedine terræ, & in rore cœli erit benedictio tua.* Ibid. An eadem vnus & alter benedictione donatur? Minimè planè; quia Iacob prius cœli negotiis addicendus asseritur, mox terrenis. De rore cœli, & de pinguedine terræ. At Esaü priùs mundialibus, quàm cœlestibus hæsurus exprimitur; *In pinguedine terræ, & in rore cœli.* Mariana, Ex Hebræo, *De pinguedine terræ erit priùs habitatio tua, & postea de rore cœli desuper.* Te infelicem, qui priùs curabis mundo satisfacere, postea placere Numini. 66.

Iacob prius de diuinis, mox de terrenis curat; secus Esau. Gen. 27.

Marian.

LIBER TERTIVS.

IESV COLLOQVIA CVM PECCATRICIBVS.

PARS PRIMA.

COLLOQVIVM CVM SAMARITANA.

PARAPHRASIS, ET COMMENTARII literales ad caput quartum Ioannis.

Panegyrici Morales circa literam in Iesum colloquentem.

PROLVSIO.

RELICTA Iudæa, vbi moras traxerat longiores, ſuam Dominus repetit Galilæam. In quo itinere cum interiacentem Samariam neceſſariò pertranſiret, vbi ad fontem Iacób peruenit, aquæ illius occaſione, quam fatigatus petiit, mulieri cuidam Samaritanæ, poſt longum cum illa ſermonem habitum, tandem quod eſſet Meſſias innoteſcit: ac per eam cum id palam fateretur, multis Samaritanorum, apud quos cum benignè habentes duos dies rogatus peregit. An exhauſta gratia Iacobæi fontis? An peccatoribus clauſus puteus pietatis? Profectò *puteus altus eſt*, quia in illo fonte immenſitas Marianæ miſericordiæ annotatur, ſante Richardo Laur. lib. 9. de Laud. Deip. *Maria eſt puteus ille altus Ioann. 4. id eſt plenus profunda miſericordia, ad replendam vacuitatem peccatoris.* Adeſt puteus Maria, ſed *altus eſt, neque in quo hauriamus, habemus.* Certè habes in quo poſſis haurire memor Archangeli, qui vt ex *Maria plena*, alto ſcilicet miſericordiæ puteo toti generi humano vndam hauriret ſalutaré, fatúr *Aue Maria.*

Dominici vitalis ligni FRVCTVS TERTIVS.

Richard. Laur.

IOANNES CAP. IV.

VERS. 5. VENIT IESVS in Ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, iuxta prædium, quod dedit Iacob Ioſeph filio ſuo.

PARAPHRASIS.

5 *Cum veniſſet Ieſus ad Samaria Ciuitatem, qua dicta eſt Sichar, iuxta prædium, quod Iacob filio ſuo Ioſepho adſcripſerat. Locus erat ſacer, ac celebris ob veteris hiſtoriæ memoriam, quod illic Leui & Simeon magna ſtrage incolarum vlti fuiſſent conſtupratæ Dinæ contumeliam.*

6 *Erat*

6. Erat autem ibi fons Iacob. Iesvs ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta.

6. Erat inibi fons quoque vel ab hoc celebris apud eam gentem, quod, Iacob, quo generis auctore Samaritani gloriabantur, eum fodisset. Iesus igitur e longinquo fessus itinere, quod pedes confecerat, sedebat illic, vt se dabat locus, fonti imminens, ac veluti ex aura fontis refocillationem captans Erat autem hora ferè sexta, cum sol vergens ad meridiem æstu laboris molestiam conduplicat.

7. Venit mulier de Samaria, haurire aquam. Dicit ei Iesvs: Da mihi bibere.

7. Interim ingressa est mulier quadam Samaritana, vt ex eo puteo, cui assidebat Iesus, aquam hauriret. Cui Iesus, vt ex hoc ipso, quod agebat mulier, ad salutem illam venaretur, dicit: Mulier, da mihi bibere.

8. (Discipuli enim eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent.)

8. (Passus fuerat, Discipulos abire in ciuitatem emendórum cibariorum gratia, ipso solo inibi commorante, partim vt reditum suorum opperiretur, partim, ne occasioni deesset miraculi.)

9. Dicit ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu Iudæus cum sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.

9. Mulier è lingua, cultuque deprehendens Iesum esse Iudæum, nec ignara quantopere Iudæi soleant à commercio Samaritanorum abhorrere: admirata, quod & vltro compellasset, & potum ab ipsa peteret: respondit, Qui fit, vt tu Iudæus cum sis, præter Iudæorum morem à me muliere Samaritana poscas potum: cum soleatis vos Iudæi à commercio Samaritanorum abhorrere, nefas esse ducentes, si quid consuetudinis nobiscum habeatis.

10. Respondit Iesvs, & dixit ei: Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere; tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam. Dicit ei mulier:

10. Iesus autem qui non tam sitiebat aquam illam, quam animarum salutem: sensim fœminam pellicit ad Euangelicæ gratiæ cognitionem: si nosses, inquit, eum, qui nunc aquæ potum à te postulat, tu potius ab eo petiisses; & is tibi longè potiorem aquam ista dedisset, nempe viuentem vndam.

11. Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est; vnde ergo habes aquam viuam?

11. Mulier adhæc, Domine, tu mihi aquam viuentem polliceris. Atqui nè vas quidem habes, quo haurias aquam, & puteus profundus est. Vnde ergo suppetit tibi aquæ viuæ copia, quam promittis?

12. Nunquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius?

12. Nunquid tu maior es patre nostro Iacob, quem & vos veneramini.? Is nobis ceu munus præclarum hunc puteum exhibuit: & adeo non contempsit hāc aquam, vt ipse ex ea bibere sit solitus, & tota eius familia, vna cum pecoribus.

13. Respondit Iesvs, & dixit ei: Omnis, qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum; qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.

13. Iesus videns docilē esse mulierem, non dedignatur illā paulatim ad maiorem sui admirationē allicere, ostendens, aquam esse spiritualem, de qua loquebatur. Qui biberit, inquit, ex aqua, quam vobis dedit Iacob, ad breue modò tempus sitim corporis sedat, mox recursuram. Qui autem hauserit vndam, quam ego sitienti dabo, haud vnquam postea siti periclitabitur.

14. Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.

14. Nec ſubindè aliundè petenda erit aqua: Sed ſemel hauſta permanebit in eo, qui bibit: & in eo gignet fontem perpetuo ſcatentem vſque ad vitam æternam. Per ænigma hæc Ieſus, ſciens, mulierem nondum myſterij fidei capacem, per quam datur Spiritus, qui ſemel acceptus, nunquam deficit.

15. Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, vt non ſitiam, neque veniam huc haurire.

15. Domine (fatur mulier) imparti, quæſo, mihi iſtam aquam, ne ſubinde recurrente ſiti, cogar & adire puteum, & haurire. Craſſa reſponſio adhuc, ſed animum ad credulitatem pronum arguebat.

16. Dicit IESVS: Vade, voca virum tuum, & veni huc.

16. Ieſus igitur velut non communicaturus rem tantam niſi marito præſente, iubet, vt virum ſuum acceſſat: atque illo mox ad ſe redeat comitata.

17. Reſpondit mulier, & dixit: Non habeo virum. Dicit ei IESVS: Bene dixiſti, quia non habeo virum;

17. Exiſtimans ergo mulier ſeſe apud hominem tantum loqui, muliebri pudore inficians matrimonium, diſſimulans libidinem: Domine, inquit, non habeo virum. Ieſus autem ſuam inſinuans Deitatem, Rectè, ait, dixiſti, tibi non eſſe virum.

18. Quinque enim viros habuiſti; & nunc quem habes, non eſt tuus vir: hoc verè dixiſti.

18. Etenim cum quinque viros habueris ad libidinem, nullum tamen habuiſti legitimum; atque hic ipſe, quem nunc habes, tuus vir legitimus non eſt. Nihil igitur hic es mentita.

19. Dicit ei mulier: Domine, video, quia Propheta es tu.

19. Mulier vbi ſenſit vitæ ſuæ domeſtica probra Dominum non latere hoſpitem, & Iudæum. Domine, inquit, vt video prophetico afflatus ſpiritu. E Propheta ſublimiora ediſcam.

20. Patres noſtri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Ieroſolymis eſt locus, vbi adorare oportet.

20. Maiores noſtri in hoc monte ſoliti ſunt adorare, nec alibi fas eſſe putant, Deũ colere: quem vos Iudæi nefas eſſe ducatis in excelſis, ac vicis immolare: nec fas eſſe alibi adorare Deũ, quã Ieroſolymis in Delubro.

21. Dicit ei IESVS: Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ieroſolymis adorabitis Patrem.

21. At Ieſus, Mulier, ait, fidem habe mihi, ſi verè Prophetam exiſtimas, iam adeſſe tempus, quando & Samaritanorum impurus cultus abolebitur, & Iudæorũ Religio transferetur in melius: neque poſt hac Patrem in hoc monte adorabitis, qui non ſolum huius montis, ſed totius mundi Deus eſt. Porrò vbicumque erit piorum hominũ congregatio ibi melior aderit Ieroſolyma.

22. Vos adoratis, quod neſcitis: nos adoramus, quod ſcimus, quia ſalus ex Iudæis eſt.

22. Certè nobis in hoc præſtamus, quod Deum per legem cognitũ adoramus, quem confitemur omnium Dominum. Et idcirco ſalutis initium à Iudæis profectum eſt, qui per Prophetas venturi Meſsiæ tenent promiſſa. Vos autem adoratis quod neſcitis putantes Deum non eſſe Deum niſi Iudæorum, ac veſtrum.

23. Sed venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate. Nam & Pater tales quærit qui adorent eum.

23. Iam inſtat tempus, & imò iam adeſt, quando veri adoratores Patrem adorabunt non in Templis, non pecudibus, non rebus corporeis, ſed ſpiritu: non vmbris, ſed veritate. Pater enim ſpirituales amat adoratores, à quibus iuxta ſpiritum, & veritatem adoretur.

24. Spiritus

24. Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare.

25. Dicit ei mulier: Scio, quia Messias venit, qui dicitur Christus; cum ergo venerit, ille nobis annunciabit omnia.

26. Dicit ei IESVS: Ego sum, qui loquor tecum.

27. Et continuò venerunt Discipuli eius: & mirabantur, quia cum muliere loquebàtur. Nemo tamen dixit: Quid quæris? aut quid loqueris cum ea?

28. Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abiit in ciuitatem, & dicit illis hominibus.

29. Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcumque feci; nunquid ipse est Christus?

30. Exierunt ergo de ciuitate, & veniebant ad eum.

31. Interea rogabant eum Discipuli, dicentes. Rabbi, manduca.

32. Ille autem dicit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.

33. Dicebant ergo Discipuli ad inuicem: Nunquid aliquis tulit ei manducare?

34. Dicit eis IESVS: Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius.

35. Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, &

24. Profectò cum Deus sit spiritus spiritu vult adorari, veritate coli. Hactenus satis vmbris Mosaicæ legis datum. Posthac vbicumque mens erit per fidem Euangelicam à vitiis pura, ibi Templum aderit Deo dignum.

25. Scio, ait mulier, Messiam venturum, quem expectant Iudæi, de quo tam apud Iudæos est rumor. Is igitur vbi venerit, nobis omnia hæc explicabit, quæ de nouo Dei cultu dixisti, nec quidquam nos patietur ignorare.

26. Iesus ergo videns mulieris docilitatem, Expectas, inquit, Messiam venturum: hunc scito venisse; tamque vides illum; nam ego sum, qui loquor tecum.

27. Simulque his dictis aderant Discipuli redeuntes ex oppido: & priusquam accederent, conspicati illum cum mulercula Samaritana collocutum, mirabantur tantam illius humanitatem. Nemo tamen ausus est, illum interrogare, quid rei requireret à mulierecula, aut qua gratia cum illa esset collocutus.

28. Porrò mulier stupefacta sermone Iesu, nihil quidem respondit: sed relicta apud putcum hydria (gustata enim aqua, quam Christus promiserat, materialis aquæ exciderat sitis) properat in ciuitatem, & de peccatrice subito facta Apostola, narrat palam omnibus, vt plurium conscientia suam fidem confirmaret.

29. Venite, inquit, & videte hominem admirandum, & occultarum rerum conscium: qui cum hospes sit, & nunquam mihi visus: tamen mihi secreta omnia quæ fecerim, narrauit. An fieri potest, vt hic sit Messias?

30. Nolite fidere dictis meis, ipsi potius facite periculum, & me non vanam esse comperietis. Exierunt itaque de ciuitate & ad Iesum aduentarunt.

31. Interea Discipuli suspicantes Iesum iam fame cruciari, vt cibum quem emerant caperet inuitant. At qui ex occasione potus ad cognitionem Euangelicæ fidei mulierem pellexerat, ex occasione cibi Discipulos ad euangelizandi prouocauit studium.

32. Mihi, inquit, alius est cibus, quem edam, quique mihi magis est cordi, quàm iste, quem vos adfertis. Hunc vos adhuc cibum nescitis.

33. Profectò Discipuli præ Magistri reuerentia non audentes interrogare, quid sibi vellet dictum: inter se loquebantur: An interim dum nos abfuimus, alius quispiam ei cibum attulit?

34. Iesus autē, Est, ait, alius cibus, qui mihi præcipua cura est: nimirum vt perficiam id, cuius causa me huc Pater cælestis

immiſit. Hae mea fames, hae ſitis mea, vt obeam, quod ille mandauit. Hominum proua mentes ad Euangelicam fidem operam Prædicatorum efflagitant.

meſſis venit? Ecce dico vobis: leuate oculos veſtros, & videte Regiones; quia albæ ſunt iam ad meſſem.

35. *Si vos, qui res corporum ſtudetis, noſtis inſtare metendi tempus, poſtquam à ſemente facta quatuor menſes præterierint: quanto magis oportet, nos ſpiritualis noſtræ meßis tẽpus non negligere? Quemadmodum autem ipſa ſeges iam flaueſcens falcem, & meſſorum operam quaſi flagitat: ita ſi oculos veſtros ſuſtuleritis, & obſeruaueritis humanarum mentium ſegetem etiam apud Samaritanos, & Ethnicos properantium ad Euangelicam doctrinam, intelligetis, regiones vndique velut ad meſſem Euangelicam albeſcere, & operam, ac ſtudium noſtrum flagitare.*

36. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam: vt & qui ſeminat, ſimul gaudeat, & qui metit.

36. *Quod ſi fructus ſpes facilè prouocat meſſorem ad operam, quantò magis oportet nos alacres eſſe, ad hanc meſſem Patri colligendam, quæ & meſſori præmium ampliſſimum parabit: & Deo colliget non triticum in horrea, ſed animas hominum in vitam æternam. Atque ita futurum eſt, vt pariter gaudeat, & qui ſementem fecit; & qui metit.*

37. In hoc enim eſt verbum verum; quia alius eſt, qui ſeminat: & alius eſt, qui metit.

37. *Nam vobis vſu venit, quod vulgato prouerbio dici ſolet, alium eſſe, qui ſerit, alium, qui metit. Plus eſt ſudoris in ſemente, quàm in meſſe. Proſcindenda tellus, raſtro ſarculoque comminuenda gleba, iaciendum ſemen, ac tuendum, reuellenda zizania. At vbi iam ſeges maturuit, non magno negotio demetitur.*

38. Ego miſi vos metere, quod vos non laboraſtis: alij laborauerunt, & vos in labores eorum introiſtis.

38. *Ego vos miſi ad metendum ſegetem, in qua vos non laboraſtis. Prophetæ ſuis laboribus ſubegerunt arua, vos nunc in eorum labores ſucceditis.*

39. Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia, quæcumque feci.

39. *Dum huiuſmodi ſermonibus Dominus Ieſus ſuos Diſcipulos ad negotium Euangelicum cohortatur, res ipſa, verum eſſe, quod de meſſe iam albeſcente dixerat, declarauit. Nam in ciuitate multi Samaritani crediderant, veniſſe Meßiam: cum mulier illa nihil aliud de Ieſu eſſet teſtificata, niſi quod ſibi occulta vitæ dedecora aperuiſſet: cæterum nec ipſum loquentem audierant, nec vllum viderant eum miraculum excitaſſe. Procurrit ergo multitudo Samaritanorum ex ciuitate.*

40. Cùm veniſſent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt eum, vt ibi maneret. Et manſit ibi duos dies.

40. *Nec minuit opinionem Ieſu præſentia, nec offenduntur humili cultu; ſed precibus inuitant, vt vrbis ſuæ vti dignaretur hoſpitio. At Dominus benigniſſimus biduum eſt dumtaxat commoratus apud eos; mora etenim illa parua humanitatis erat, quam nec Iudæorum inuidia iure poterat calumniari.*

Et

41. Et multo plures crediderunt in eum propter sermonem eius.

42. Et mulieri dicebant: Quia iam non propter tuam loquelam credimus: Ipsi enim audiuimus, & scimus, quia hic est verè Saluator mundi.

41. Iamque, audito Iesu, multo plures illîc crediderunt, Dominico adducti sermone. Iamque plenum, & vero Iudæo dignum testimonium de Iesu ferunt.

42. Tu parcius (inquiunt mulieri) de illo prædicaras, quam res habet. Nos enim iam non tuis verbis adducti credimus, hunc esse Messiam; sed ipsi ex eius sermonibus admirandis certum habemus, quòd hic est verè Messias ille Iudæis expectatus, qui non solum Iudaicæ genti; sed toti mundo adferet salutem. Hoc tam alacri, tamque pleno testimonio Samaritani Iudæorum impiam incrudelitatem coarguerunt.

SECTIO PRIMA.

Aqua viuens.

TEXTVS.

VERS. 5. VEnit Iesus in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar: Iuxta prædium, quod dedit Iacob Ioseph filio suo. 6. Erat autem ibi fons Iacob. Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic suprà fontem. Hora erat quasi sexta. 7. Venit mulier de Samaria, haurire aquam. Dicit ei Iesus: Da mihi bibere. (8. Discipuli enim eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent.) 9. Dicit ergò ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu Iudæus cum sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coütuntur Iudæi Samaritanis. Respondit Iesus, & dixit ei: Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere; tu forsitan petiisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam. *Lege reliqua vsque ad verſ.* 26. Ego sum, &c.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De accessu Christi ad puteum siue fontem Iacob.

1. *Cur transierit per Samariam?* VENIT IESVS *in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar.*] Quoniam tres sunt illius Regionis Prouinciæ, Iudæa Australis, Galilæa Septentrionalis, & Samaria inter vtramque sita: cum Dominus ex Iudæa Galilæam peteret, *oportebat eum transire per Samariam.* In hoc transitu quid acciderit memoriæ prodit Euangelista.

2. *De Samaria & ciuitate Sichem, seu Sichar. Hieron.* Samaria nomen est Vrbis, & Prouinciæ. Hoc loci Prouinciam significat, cuius ciuitas erat Sichar, de qua Hieronym. in Epita. Paulæ. *Transiuit Sichem, non vt plerique errantes legunt Sichar, quæ nunc Neapolis appellatur. Et circà puteum Iacob extructam intrauit Ecclesiam, super quo residens Dominus, sitiensque, Samaritanæ fide satiatus est.* Colligo, Sichem tempore Hieronymi dictam Neapolim, & iuxta puteum Iacob Ecclesiam esse extructam. Id autem præcipuè adnoto nomen ciuitatis Hebræum esse Sichem, tamen postea corruptum vocabulum, & Sichar appellata. Ideo ait Euangelista, *Quæ dicitur Sichar*, non quæ est. Brochardus, *Broch.* *Ad sinistram fontis Iacob oppidum est magnum quidem, sed desertum, & dirutum; quod creditur esse illa Sichem antiqua, de qua legimus, quod Iacob habitauit in Sichem.* Distat Sichem ab Vrbe Samaria, autore eodem, duabus leucis: ab Ierosolyma, teste Abulense, decem.

Erat autem ibi fons Iacob.] Fons ille puteus 3.
erat, vt ex Samaritanæ verbis constat, *Et puteus altus est.* Omnis puteus in quo scaturit aqua, fons est appellandus. Audi Brochardum, *De fonte, aut puteo Iacob. Broch.* *Ciuitas Sichem, quæ hodie Neapolis dicitur, nimia amœnitate, ac deliciis abundans. A porta eius Australi, quantum vix iacere potest arcus, fons est Iacob in via, quæ ducit Ierusalem.* Beda autem, *Prope ciuitatem Sichem, quæ nunc Neapolis dicitur, Ecclesia quadrifida est, hoc est, in modum crucis facta, in cuius medio fons Iacob habetur.*

Iuxta prædium, quod dedit Iacob Ioseph filio 4.
suo.] *Do tibi*, ait Iacob, *partem vnam extrà fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.* Gen. 48. Brochardus, *Huic fonti adiacet prædium, quod dedit Iacob filio suo Ioseph. Vallis est longa admodum fertilis, & amœna.* Dicitur aut fons Iacob, quod illum Patriarcha effoderit, illoque vsus fuerit, dum illis in locis habitaret. *De prædio Ioseph. Gen 48. Broch.*

IESVS *autem fatigatus ex itinere, sedebat sic* 5.
supra fontem.] Paucis aliquot Discipulis comitatus

De fatigato Iesu ex itinere.

minatus hoc Christus gerebat iter, Discipuli in ciuitatem Sichat ad emendos in prandium cibos petiere, Iesus iuxtà puteum Iacob solus mansit, ex uiuere verò fatigatus sedebat supra fontem. Chrysostomus hom.25. *In Samariam Christus venit, mollem vitam expellens: laboriosam autem nos docens. Non enim iumentis vsus est, sed adeò intentè vadit, vt ex itinere fatigetur. Hoc semper admonet, vt sibi quisque seruiat, neque quærat superflua, neque multis indigeat.*

Chrysost. *Laboriosam vitam nos edocet Dominus.*

6\. *Sic.*] Quid addita particula significat? *Sedebat sic.* Chrysostomus, *Non in sella*, non in loco honoratioti: Sed in terra, vt contingit. Theophylactus, *Sedebat sic simpliciter vt forte obueniebat, non super sedem: sed simpliciter super panimentum.* Euthymius, *Sedebat sic, id est simpliciter. &c. Vel sedebat sic humi. Demonstrat ergo, ... sastu careret.* Cajetanus, *Sedebat sic, id est, eo modo, quo solent defatigati.* Barradius, *Fatigatus Dominus ex itinere, sedebat sic, id est, sic fatigatus.* Ego autem existimo caosam sessionis insiouari. Sedit, quia *fatigatus ex itinere.* Videtur enim poni loco dictionis Hebrææ, כן. Fatigatus ergo erat, & sic, id est propterea (Hispaniceè, *y asi*) supra fontem sedebat. Hoc enim proprium iter agentiom, vt cum defessi sunt, refrigerij causa ad foutem quiescant.

De particula sic quid Doctores. Theoph. Euthym. Caiet. Barrad. *Auctoris expositio.*

7\. *Hora erat quasi sexta.*) Prope meridiem. Iudæi enim diem in duodecim horas diuidebant. Hora sexta meridiana erat, qoa solis calor ardentior est, aquarumque iucundior prospectus. Cyrillus premit particulam *quasi* asseritque appositam, vt veritatis curam in mioimis etiam habere discamus. *Horam non sextam, sed quasi sextam fuisse, scribit Euangelista, vt etiam nos discamus, vel in minimis non paruam veritatis curam habere.*

De hora sexta. Cyril. *Veritatis magna cura habenda.*

§. II.

De petitione aquæ materialis.

8\. V*Enit mulier de Samaria, haurire aquam.*] Samaritanam Dominus lucraturus ad fidem, oppottonitatem captat, quando & necessitas contioui potus eam ttahit ad fontem, & Christi defatigatio colloquendi exhibet occasionem. O fœlicem Samaritanæ necessitatem quæ eam pertrahit ad salutem! Toletus aptè, *Temporales necessitates, & indigentiæ solent salutis consequendæ dare occasionem, quando diuina misericordia, vt peccatores conuertat, illis vti disponit.*

Fœlix Samaritanæ necessitas. Tolet.

9\. *Dicit ei* IESVS, *da mihi bibere.*]Solum cum fœmina locurum significat Ioannes, cum addit: *Discipuli enim eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent.* Cur petierit à fœmina potum? Lyran. *Quoniam non aderant Discipuli, qui peterent.* D. Thomas, *non erant discipuli, à quibus quæreret aquam.* Id plane innuit Euangelista, duos particulam *enim* apponit. *Dixit* IESVS *mulieri, da mihi bibere. Discipuli enim eius abierant in ciuitatem*, Caietanos, *Discipuli enim, &c. Redditur ratio cur à muliere petierit Christus potum, quia scilicet Discipuli abierant.* Abierant autem, *vt cibos emerent.* ; quoniam prope fontem decreuerat absomere panem, Caietanus, *Redditur ratio, quare Dominus manserit ad fontem: quia scilicet decreuerat ibi prandere iuxta fontem. Da mihi, ait, bibere.* Esto fatigatus sitierit aquam putei, quod fateor: sitiebat magis fœminæ inopis salutem. Augustinos Tract.15. in Ioan. *Qui bibere quærebat, fidem ipsius mulieris sitiebat.*

Petit Dominus à fœmina aquam, quia non aderant Discipuli, à quibus postularet. Lyran. D Thom. Caiet. August.

Quomodo tu (ait illa) *Iudæus cum sis, bibere à me petis, quæ sum mulier Samaritana.*] Ex veste Iudaica, fimbriis scilicet, vittisque hyacinthinis (de quo Num.15) à Samaritana Iudæus agnoscitur. Linguam quoque ... quis dubitet? Chrysostomus hom.30. *Ex habitu, & sermone cognouit mulier, Christum esse Iudæum.* Quomodo ergo Iudæus cum sis, vt ex veste, ac lingoa cognosco, poscis me tibi propinare potum, quæ ad Samaritanorum pertineo ditionem. 10.

Vnde nam agnouerit Iesum esse Iudæum. Num.15. Chrysost.

Cur sic Samaritana responderit? Chrysostomus, *Abstinet mulier à consuetudine, ne peccet; cum alterum sua causa peccaturum arbitraretur.* Et Euthymius, *Samaritana existimans, eum peccare, corripientis more, ad memoriam reducit obseruationem.* Aptius Cyrillus interrogationem existimat, esse dubitantis, causamque postolantis, cur præter cæterorum Iudæorum morem à Samaritana aquam postularet. Maldonatus volt verba esse irridentis illam Iudæorum consuetudinem. Ast ego crediderim quæstionem esse mirantis, quia id faceret, quod reliqui non gerebant. 11.

Cur sic respondit Samaritana? Chrysost. Euthym. Cyril. Maldon. Autor.

Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.] An hæc verba tribuenda Euangelistæ, an mulieri? Rupertus, & Caietanus Euangelistæ tribuunt reddenti rationem interrogatioois fœminæ. Communi sententiæ hæresco asserenti, ipsam fœminam subiecisse suæ ioterrogationis, & admirationis causam. 12.

Num Euangelista hæc verba interposuit. Caiet.

An commercium illud cum Samaritaois fuerit lege prohibitum? Asserit Chrysostomus, Christumque vt legis Dominum operatum esse. Carthusianus, *Illud Iudæorum cum Samaritanis commercium lege fuit prohibitum, Christus verò legis Dominus dispensandi habuit potestatem.* Verius est lege prohibitum non fuisse, vti affirmant Barradius, & Toletus. 13.

Num commerciū cum Samaritanis lege fuerit prohibitum? Carthus. Barra. Toler.

Exprimas precor, quinam Samaritaoi? Ex Iosepho lib 9. Anti. cap.14. respondeo, *Rex Assyriorum Salmanasar Samariam cepit, Regnumque decem Tribuum euertit. Captos Israelitas in Aegyptum transtulit. In vacuam verò Samariam è Babylone, locisque aliis habitatores misit.* Hi sunt Samaritani, de quibus sermo. Colebant illi idola, simul & Deum verom vt 4. Reg.17. constat. *Cum Dominum colerent, diis quoque suis seruiebant iuxta consuetudinem Gentium, de quibus translati fuerant Samariam.* 14.

De Samaritanis. Ioseph. 4.Reg.17.

An Samaritani tempore Christi idola colerent? Theophylactus ait, posterioribus temporibus à cultu idolorum abstinuisse. Abulensis ad locum citatum Reg. *Aliquando Samaritani venerunt ad colendum vnum Deum. Et sic erat tempore Christi. Nam tunc solum erat diuersitas inter Iudæos, & Samaritanos, in quo loco adorandum erat; sed non erat diuersitas, an deberet Deus adorari, vel idola.* Annotat Theophylactus, Samaritanos ex libris sacris quinque tantum Moysis recepisse. Execrabantur ergo Iudæi Samaritanos, neque vllom com illis velut hæreticis, & ethnicis, qui eorum Regionem occupatant, commercium habere volebant. 15.

An tempore Christi idola colerent? Theoph. Abul. Theoph.

volebant. Ideoque Samaritana ait, *Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.*

§. III.

De spiritualis aquæ promissione.

16. *Quidnam hoc Dei donum.* *Carth.*
S*I scires donum Dei, &c.*] Si scires, quam magno hodie munere donata fueris, dum Messias à te postulet aquam: tu vice versa ab eo petiisses aquam veram. Carthusianus, *Si scires donum Dei, id est, misericordiam, & gratiam Dei, quæ tibi nunc offeretur per hoc, quod Filius Dei petat à te potum. Nempe qui Christo aliquid dat, potius recipit beneficium, quam impendit. Quemadmodum magnum esset pauperi, si Rex paruum aliquid ab eo peteret.* Scio Caietanum & Toletum donum Dei incarnatum Dei Filium vello significari. Augustinum, Rupertum, ac D. Thomam de Spiritu sancto exposuisse cœlesti dono præstantissimo. Theophylactum de donis generatim expressisse.

Caiet. Tolet. August. D. Thom. Theoph.

17. *De aqua viuente.* *Rupert.*
Petiisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.] Rudem Samaritanæ mentem paulatim attollit, & suauiter ab aqua eleuat ad aquam. Rupert. *Ab aqua visibili metaphoram faciens, mulieris mentem paulatim sublenando, ad petendam Spiritus sancti gratiam leni introductione inuitat.* Haud aliter Ioan. 6. ex pane, qui perit, ad cibum permanentem assurgit. Quænam aqua viua? Quæ scaturit, mouetur, & fluit. Nam scaturigo, ac fluxus vita quædam aquæ videtur. Chrysostomus hom. 31. *Aqua viua est, quo semper scaturit.* Augustinus tract. 15. *Viua aqua dicitur vulgo illa, quæ de fonte exit. Illa enim, quæ colligitur de pluuia in lacunas, aut cisternas, aqua viua non dicitur.* Et Euthymius, *Aquæ vita, fluere est, & moueri.*

Ioan. 6. Chrysost. August. Euthym.

18. *Quamnam aquâ viuâ Christus promiserit.* *Cyril. Teoph.*
Quidnam igitur ex aquæ viuentis metaphora Christus promittit? Cyrillus, *Aquam viuam appellat Christus gratiam, quæ, aquæ instar, animum irrigat; per quam humana natura ab ariditate infœcunditateque ad pristinam pulchritudinem, ac viriditatem irrigata recurrit.* Theophylactus, *Aquam dicit Christus non stantem, sed viuam, id est, scaturientem, & quæ moueatur. Nam gratia Spiritus sancti semper agilem ad bonum facit animum, ascensiones semper disponentem.* Augustinus aqua viua Spiritum sanctum ait significari: *Quia Christus sitiebat fidem Samaritanæ, eidem sitienti Spiritum sanctum dare cupiebat.* Basilius, & Chrysostomus, hæreseunt. Euthymius aquam viuam doctrinæ Christi fluenta exponit. *Aquam viuam appellat Christus doctrinæ suæ fluenta.* Aquam quidem, quia, in morem aquæ, sordes abluit, flammasque affectionum extinguit, & incredibilitatis siccitatem, ac infructuositatem curat. Viuam verò quasi perennem.

August. Basil. Chrysost. Euthym.

19. *Auctoris sententia.* *Ambros. Cyprian.*
Adhæreo Ambrosio serm. 31. & Cypriano epist. 63. de aqua Baptismi exponentibus. Commodè enim potest intelligi, Christum Samaritanæ promittere aquam, quæ viua est, quoniam viuificat, scaturit mouetur, salit ad superos.

20. *Domine, nec in quo haurias, habes, &c.*] Quidnam in Christo vidit, seu audiuit vt Dominum vocaret? Vidit oris maturitatem, non vulgaremque formam. Dicentem audiuit, *Si scires donum Dei, & quis est, &c.* Græcè, *non habes* ἄντλημα, id est, hauritorium vt appellat D. Augustinus, non habes vas, quo suspenso ex fune aquam ex puteo possis haurire. Ex quo ergo fonte hanc viuam aquam habes? Puteus enim altus cum sit, haud poteris sine fune ac vase huiusmodi incumbere ministerio.

Numquid tu maior es patre nostro Iacob?] Ipse puteum istum nobis tradidit, eiusque aqua vsus est. Tu verò si aquam præstantiorem polliceris, maiorem te illo proclamas. Sic Doctores. Aptius sic: Numquid tu maior es patre nostro Iacob, qui puteum hunc nobis dedit, nec aquam aliam viuentem habuit, ex qua ipse, filij, pecoraque eius biberent? Aliam enim aquam viuam, & quidem præcellentiorem te habere, dareque posse polliceris, quam ille non habuit. *Obiectio Samaritanæ.*

21. *Cur Iacob Samaritanis Pater appellatur.* *Cyril.*
Inmo, Samaritanos non ex Iudæis, sed ex Ethnicis ortundos, translatosque ex Assyria in Samariam: Cur ergò fœmina Samaritana Samaritanorum patrem Iacobum appellauit? Respondet Cyrillus, *Samaritani quamuis à Babylone in coloniam missi fuissent, tamen quia aut vicini Iudæis erant, aut nonnulla Religionis Hebraæ probauerant: maiores Iudæorum patres suos appellare non erubescebant.* Preme particulam, *quia vicini Iudæis erant.* Ex vicinitate, aut societate bonorum similem plerumque socium recognosce. Attamen ideo reor Samaritanam Iacobum appellasse patrem, quia Samaritani libros Mosis receperant, & Deum colebant, quem Iacob coluerat: & in terra illa habitabant, in qua Iacob vitam degit, eiusque puteo fruebantur. *Societatis bona cômoda.*

§. IV.

Exprimit Dominus spiritualis aquæ, extinguendi æternam sitim, proprietatem.

22. *Quomodo qui habet gratiam, non sitiet.*
Q*Vi biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, non sitiet, in æternum.*] Putei tui aquam laudas quæ sitim minimè potest æternè restinguere. Omnis enim qui biberit ex hac aqua, iterum sitiet. Qui verò ex aqua mea viuenti biberit, haud sitiet in æternum. Quonammodo is non sitiet æternum, qui gratiam habuerit Spiritus sancti? Euthymius, *Non sitiet vnquam incredulitatis sitim.* Lyranus, *Habens gratiam Dei, habet Deum, & ideo non desiderat aliquid, quod non habeat.* *Euthym.*

23. *Auctoris sententia de beatitudinis satietate.* *Rupert.*
Profectò de siti per æternam beatitudinem extinguenda locum expono. Qui aquam viuam, id est, gratiam à Christo acceptam biberit, nullam vnquam in superis sitim aut corporis, aut animæ patietur. Rupertus, *Aqua, quam* I E S V S *dat, corporis, & animæ sitim æternam funditus extinguit; vt apud inferos non sitiat ardens, aut ardeat sitiens; sed Agno duce, pergat ad vitæ fontes aquarum, & æternæ beatitudinis haustu cunctam corporis, & animæ purgans inopiam, non deficiat omni bono in æternum.*

24. *Aqua gratiæ fit in cœlo fons perennis.*
Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.] Qui ergo biberit ex aqua gratiæ, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum in superis. Sed aqua ipsa gratiæ, quam dabo ei, fiet in eo fons aquæ gloriæ salientis, scaturientis, & ebullientis in vitam æternam,

hoc

hoc est, in sempiternum, ita vt sitire vnquam non possit. Dicitur autem in cœlo aqua gratiæ fieri fons gloriæ in homine, quoniam ex gratia gloria hominis emanat. Dicitur aqua gloriæ salire, siue scaturire in æternum; quemadmodum aqua fontis, quæ semper scaturit: quoniam nunquam deficiet.

25. *Adhuc Samaritana aquam materialē existimat.*

Domine, da mihi hanc aquam, vt non sitiam.] Vtilitate allicimur omnes, & Samaritana vtilitate ducta commodisque suis consulens aquam, inquit, huiusmodi exhibe mihi, vt non sitienti vnquam opus non sit, recurrente siti, ad hunc toties puteum properare. Nondum ad aquam veram accipiendam parata erat mulier, altius oportebat ascendere. Ideo ad occulta aperienda pergit Dominus, vt eam ad eleuatiora promissa subleuaret.

26. *De sex viris Samaritanæ*

Vade, voca virum tuum.] Si aquam, quam petis, vis accipere, vt ille quoque accipiat, sciatque vnde tu acceperis. Æquum enim est, viros vxorem dona noscere, eorumque participes fieri. Respondet illa: *Non habeo virum.* Bene, veréque respondisse Christus asseruit; quoniam quinque viris iam nupserat: post quinque viros, cum eo, cui matrimonio coniuncta non erat, impudicè viuebat. Porrò Irenæus lib.3.cap.19. *(Irenæ.)* existimat quinque priores viros Samaritanæ non fuisse legitimos. *Samaritana præuaricatrici, quæ in vno viro non mansit; sed fornicata est in multis impliis.* Probabiliori tamen Toleti, ac Barradij sententiæ hæresco, Euangelico contextui repugnare quinque illos viros haud maritos extitisse. Exprimo sententiam. Bis repetit Dominus, Bene dixisti, non habeo virum; primò quidem confirmans eius dictum: Secundò post datam caussam, quare aptè fuerit locuta. Verè dicis, te non habere virum: nam habuisti quinque, & vnum modò habes; sed hic non est tuus; & hoc rectè dixisti, te non habere virum; quia habes quidem, sed non est tuus. Apte Toletus, *Magna prudentia, & suauitas Christi hæc est: non arguit, non inuehitur contra eam, non adulteram vocat; sed modestissimè suum peccatum manifestat* Porrò adulterij occulti significatio imperfectæ fœminæ satis magna erat correptio; nec opus erat, verborum adhibere asperitatem: maxime quia hoc reuelabat, non tam vt illius insimularet incontinentiam, quam vt suam ei manifestam faceret dignitatem.

Mariti fuisse illos quinque viros asseror. Tolet. Barrad.

Saluatoris corripientis prudentia. Tolet.

27. *Quæstio Samaritanæ de loco vbi oporteret Deum adorari.*

Domine, vt video, Propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adorauerunt.] Agnoscit Samaritana Christum esse Prophetam, quoniam, quæ occulta erant, patefacit. Proponit ergo sapiente Propheta dignam quæstionem, de loco, in quo Deum oportebat adorare, quæ quidem inter Samaritanos & Iudæos illo tempore agitabatur. Asserebant Iudæi, Deum in Templo Ierosolymitano esse colendum; econtrà Samaritani contendebant, in Samaria, in monte, quam Samaritana indicat, esse adorandum. Errorem suum Patrum confirmat exemplo. Quæstio erat non de oratione, quæ vbique geri poterat à genu flectentibus: Sed de adoratione per sacrificiorum oblationem. Iosephus

28. *Iudæorum, ac Samaritanorū controuersia.* Ioseph.

lib.12. Antiq. cap 1. *Pugnabant inter se Iudæi, & Samaritani: dum Ierosolymitani suum Templum Sacro sanctum affirmant, & victimas à Iudæis non alio mittendas. Samarita contra in montem Garizim eas mitti debere contendunt.* Profectò

De monte Garizim.

mons, quem Samaritana indicat, cum ait, *Patres nostri in monte hoc adorauerunt*, mons est Samariæ Garizim, autore post Iosephum Origene, *(Origen.)* *Samaritani dicebant: Patres nostri in monte hoc adorauerunt, montem Garizinum monstrentes.* Indicat autem fœmina montem, quoniam propè Sichem, & puteum Iacob situs conspiciebatur. Brochardus, *(Broch.)* *Supra fontem Iacob ad dexteram est mons excelsus, habens duo capita, quorum vnum est mons Garizim, aliud mons Hebal.* Lyranus Deut.27. *(Lyran.)* *Garizim, & Hebal sunt duo monticuli propinqui, & propè Sichem.*

29. *Quinā Patres in Garizim adorauerint;*

Quæritas, quinam Patres monte in hoc Garizim adorauerint? Ex Scriptura sacra non liquet. Patres illos antiquos in monte Garizim adorasse victimarum oblatione. Sed id sibi persuadebant Samaritani, quod in illo loco habitasset Iacob cum filiis; vnde in monte illo verosimile est, Deo victimas immolasse. Asserit Chrysostomus hom.31. *(Chrysost.)* in montem Garizim ductum ab Abrahamo Isaaccum, vt iussu Dei immolaretur. Theophylactus, *(Theoph.)* *Tradunt, in montem Garizim Isaac in sacrificium adductum.* At probabilius duxerim Isaaccum in monte Moria siue in Caluariæ vertice oblatum Cyrillus *(Cyril.)* lib.2. cap.90. putat, inde ortam illam in monte Garizim adorationem, quod in illo benedictiones à Iosue legem obseruantibus sint propositæ. *Samaritani in monte Garizim appellato solum adorare Deum oportere opinabantur. Quæ ridiculosa religio inde orta est, quia in monte Garizim vt in Deuteronomio legitur data benedictio est.*

30. *Non respondet Christus quæstioni, & quare?*

Venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem.] Hæc tua quæstio iam non indiget responsione. Imminet enim hora, seu tempus nouæ legis, quo neque in monte Garizim, neque in Templo Ierosolymitano Deus cruentis animalium sacrificiis: sed toto orbe nouo alio sacrificio coletur. Ex hoc me præcipuè verum habe Prophetam. Basilius lib.2.de Baptis.cap.8. *(Basil.)* *Dilatat Dominus, & ducit adorationem Dei ab arcto Ierosolyma, & Garizim, ambitu in omnem totius orbis locum.*

§. V.

De veris adoratoribus.

31. *Errores Samaritanorū.*

VOs adoratis, quod nescitis.*] Videlicet Deum, quem non rectè cognoscitis, de quo haud veram habetis intelligentiam. Ait Chrysostomus, *(Chrysost.)* Samaritanos putasse, Deum in loco esse circumscripto: nihilque de eo hoc pacto, quàm de idolo existimasse. Theophylactus, *(Theoph.)* *Samaritani putabant, loco concludi Deum.* Euthymius, *(Euthym.)* *Ignorabant quod omnium gentium esset Dominus; opinabantur siquidem, quod solis Samaritanis, ac Iudæis dominaretur.* D. Thomas, *(D. Thom.)* scribit existimasse Samaritanos, Deum constare corpore, & vno in loco oportere adorari. *Propterea parem esse idolo.* Caietanus *(Caiet.)* arbitratur, non adorasse Deum solum, sed alios illi Deos adiunxisse. Chrysostomus, *(Chrysost.)* *Et Deum, & Dæmones Samarita adorabant.* Hærent Carthusianus, Toletus, Titelmanus, & alij. *(Carthus. & alij.)* Iuxta quos sic sensum elicies. Vos adoratis, quod nescitis, id est, idola, quæ non esse Deos, sed falsa numina ignoratis.

32. *Auctoris expositio.*

At tantorum virorum venia, non placet sensus, quoniam Samaritana de Dei agebat

adoratio

adoratione, quem Iudæi colebant; non autem de simulacrorum adoratione. Ergo cum respondet Christus, *Vos adoratis, quod nescitis*, de Deo, quem Iudæi venerabantur, intelligendus est: quem Samaritani quoque colebant; sed vera illius carebant cognitione; vnde quod nesciebant, adorabant.

33. *Iudæorum recta fides.* Cyrill. *Nos adoramus, quod scimus, quia salus ex Iudæis est.*] *Nos*, id est, Iudæi, *adoramus*. Secundum humanam naturam & Iudæus erat, & Patrem adorabat. Cyrillus, *Adorat etiam Christus vt homo, postquam factus est homo: adoratur autem, quoniam verus Deus est. Adorabant Samaritani, quod nesciebant, Iudæi, quod sciebant; quoniam veram de Deo habebant cognitionem. Hæc autem cognitio concessa Iudæis est, quia salus ex Iudæis.* Id est, quia Saluator mundi ex Iudæis exortus. Sic Cyrillus, Euthymius, Theophylactus. (Euthym. Theophyl.) Oportebat enim, illos, ex quibus salus mundi esset profectura, vera Dei cognitione, ac fide esse ornatos. Alij aliter, Nos Iudæi veram de Deo, quem adoramus, cognitionem habemus; quia animorum salus ex Iudæis est, & apud Iudæos. Salus autem hæc sine vera Dei cognitione non potest consistere. Aptè quidem.

34. *De adoratione ex spiritu & veritate.* *Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate.*] Tempus appetit, & *nunc est*, iam hoc tempus incipit, quoniam iam Christus venerat, qui hos veros conderet adoratores. *Quando adoratores veri*, qui veram de Deo habebunt cognitionem, quique typos, & vmbras relinquent, Deum *in spiritu, ac veritate* colent.

35. *Quidnam est adorare, in spiritu, & veritate?* Quidnam, Deum in spiritu, & veritate adorare? In spiritu adorare, est adorare ex animo, & corde, absque corporalibus Iudæorum, Samaritanorúmque sacrificiis. Adorare autem in veritate est, adorare cum vera Dei cognitione, qua Samaritanos caruisse Christus asseruit. Theophylactus, (Theophyl.) *Quia spiritus est Deus, hoc est, incorporeus: oportet ipsum adorare incorporaliter, videlicet in anima. Hoc enim significat in spiritu; etenim anima spiritus est incorporeus. Quoniam autem multi videntur adorare in anima, non tamen rectam habent scientiam, sicut hæretici: ideò addit, & veritate. Oportet enim & mente adorare Deum, & sanam opinionem de ipso habere.* (*An excludatur adoratio externa?*) An adoratio in spiritu adorationem Dei externam excludit? Absit: imò cum ea maximè est coniuncta, adoratio enim interna cordis veluti anima est externæ adorationis. Damascenus (Damasc.) lib. 4. de fide, cap. 13. *Quia ex visibili, & inuisibili constamus: duplici quoque adorationis genere rerum omnium parentem afficimus. Quemadmodum videlicet & mente, & corporis labiis psallimus: & aqua simul & spiritu baptizamur.*

Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum.] 36. Adorabunt hi veri adoratores Deum. Nam Deus tales quærit adoratores, qui in spiritu, & veritate eum colant: tales illi summopere placent. (*Quare Pater quærit adoratores in spiritu?*) Quare? *Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare.*] Simile enim diligit sibi simile. D.Thomas, (D.Thom.) *Vt dicitur Eccles. 13. Omne animal diligit sibi simile; ergo Deus in tantum diligit nos, in quantum ei assimilamur. Sed non assimilamur ei secundum carnalia, quia est incorporeus, sed secundum spiritualia.* Caietanus, (Caiet.) *Propterea oportet adorantes Deum adorare in spiritu, & veritate; vt adoratio conformis sit adorato.* Theophylactus, (Theophyl.) *Quia Deus spiritualis est, spirituales adoratores quærit: & quia veritas est, quærit veros.*

Scio, quia Messias venit.] Messias venit, id est, 37. iam propinquum est tempus aduentus Messiæ. (*Samaritani Messiam expectabant.*) Sic Græcè, ἔρχεται. Sed pro futuro sumitur. Matth. 17. (Matth. 17.) *Elias venturus est.* Græcè in præsenti ἔρχεται, id est *venit*. *Qui dicitur Christus.* Ac si diceret, Nomen Hebræum Messias significat Græcè Christum. Græcè enim Ioannes scripsit. *Cum ergo Messias venerit, ille nobis annunciabit omnia.*] Ille quæ sit vera adoratio, quique veræ adorationis locus, Mons ne Garizim, an Templum Ierosolymitanum, aperiet.

Ego sum, qui loquor tecum.] Ego Doctor ille, 38. quem præstolamini. Non rogatus Dominus, Messiam se esse verbis perspicuis profitetur. (*Se Dominus manifestat. Cur non rogatus, mulieri, & vel rogatus, minimè Iudæis?* Chrysost.) At à Iudæis rogatus, num Messias esset, affirmare noluit. *Si tu es Christus, dic nobis palam.* Ioan. 10. Causam reddit Chrysostomus, *Fidelior Samaritana erat Iudæis, qui non discendi, sed arguendi causa rogabant. Nam si discere voluissent, verborum scripturarúmque, & miraculorum sufficiens eis fuisset doctrina. Samaritana simplici, & integra mente petiit, vt ex sequentibus facilè potest intelligi. Audiuit eum, & credidit, & alios ad credendum traxit.* Theophylactus, Euthymius, & Doctor Angelicus contestantur. (Theophyl. Euthym. D.Thom. Caietan.) Caietanus autem Christum asserit noluisse Iudæis apertè dicere, *Ego sum; ne Iudæis accusationis ansam daret, & antè statutum tempus ab ipsis occideretur. Dixisse autem Samaritanæ, quoniam nihil in ea manifestatione periculi inerat.*

IN
IESVM COLLOQVENTEM
PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS
CIRCA LITERAM.
EX AQVA VIVENTE.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

IESVS *ergo fatigatus ex itinere, sedebat.*

Christus fatigatione afficitur, quia ad dilectam Samaritanæ fœminæ animam properabat.

Nec enim potest verè se probare amantem, qui non patitur.

39. Chrysost. CHRYSOSTOMVS, *Christus* amans, *deliciosam vitam abiiciens, laboriosam sequens, sic incedit, vt ex itinere fatigetur. Incedit sic.* Quonammodo precor? *Sic* planè, vt Samaritanam dilectam sibi requirat sponsam. *Ergo fatigatus ex itinere.* Quia verè amans non est, qui ex laborum sustinentia se non probat amantem.

40. *Pastor oviculam diligens, quomodo poterat non pati.* Luc. 15. Basil. Seleu. Pastorem obiicite dilectam dum requirit oviculam. Post mille montes superatos, ouem tandem inuenit errantem, *& cum inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens.* Luc. 15. Vbi D. Basilius Seleu. *Montes & syluas obire non recusat, obiit præcipitia, cumque de errante venit in partem errationis, & subiiciens humeros proprio labore, oviculam curat laborantem: gaudet ipsa fatigatione.* Quare? *Odus dilectæ inuentionem ratus lassitudinis esse leuamentum.* Haud diligit ille, qui ipsa non exultat fatigatione.

41. *Spiritus sanctus, qui Amor est, simul est gladius anceps ad vulnerandum.* Apoc. 1. Damian. Alcas. Amor ipse non potest non pectus, quo degit vulnerare, quia gladius est: vnde non potest amor sine amantis vulnere existere. Filius hominis *habebat in dextera sua stellas septem, & de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat.* Apoc. 1. Vbi Alcasar Magister meus doctissimus ex Petro Dam. profatur, *Gladium ex vtraque parte acutum exeuntem Spiritum sanctum intelligere possumus, qui à Patre, Filioque procedit.* Spiritus amor est? Ergo gladius est vtraque parte acutus. Igitur non potest apud hominum præcordia commorari, quin vulnerentur. Vnde Surius ex Henrico Suson. *Quisquis amori dat operam, idem ipse Martyr est. Amoris ea antiqua lex, & conditio est, vt amantes patiantur aduersa.* Surius.

42. *Gladius hic Patrē æternum vulnerauit.* Preme illud: *Gladium Spiritum sanctum intelligere possumus, qui à Patre Filioque procedit.* In Patre Spiritus sanctus siue amor residens an præcordia eius vulnerarit? *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* O vulnus crudelissimum! Vnde D. Zeno ponderat in sacrificio Abrahæ solum Patrem cœlestem doluisse, *qui proprium Filium* amans hominum morti addicebat. Zeno.

43. *Vulnerauit & Filium post flatum patiendi.* August. Porrò Filius ab Spiritu sancto vulneratus obiicitur, dum tot ob homines labores sustinuit. Augustinus ad cap 4. Ioan. IESVS *fortis, quia Verbum erat in principio; sed infirmus, quia Verbum caro factum est; itaque in itinere fatigatur.* An fatigatur ex humanæ naturæ infirmitate? Asserit Doctor. Sed crediderim plus ex dilectione fatigari. Si quidem & postquam corpus fragile exuit, indutus fortitudine, id est, ad cœlos ascendens: se laboribus actum proclamat, quia qui exuit mortalitatis fragilitatem, erga homines haud exuerat dilectionem. Id ostendo.

Saulus olim *cadens in terram, audiuit vocem dicentē sibi: Saule, Saule, quid me persequeris?* Act. 9. Cur persecutionibus actum se conqueritur Dominus, cum apud cœlicolas commoratur, vbi iam non moritur, nec patitur? Profectò vt exprimeret, se perfecto amore affici in Ecclesiam. Quomodo ergo vere amans ostenderetur, si non simul vulnerum sustinentiam simularet? Petrus Blesensis tract. de Conuers. Pau. *Nec his verbis se morti, aut persecutioni fatetur obnoxium, cum sit immortalis, impassibilis: sed exprimitur affectus charitatis erga suos Discipulos; quos cum prius dilexisset, in finem dilexit eos.* Quasi non posset verus amor ostentari, nisi acceptum à gladio ancipiti vulnus exprimeretur. 44. *Se Iesus persecutione affectū proclamat cum est impassibilis, vt verè se exprimat amantem.* Act. 6. Blesens.

Paulus à Magistro edoctus posteà clamauit, *Quis ergo nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames?* Minimè quia si vera charitas est, si dilectio non ficta, vulneribus agnata est, & ideo terrore vulnerum non potest immutari. *Sicut scriptum est, Quia propter te mortificamur tota die, facti sumus sicut oues occisionis.* Rom. 8. Cur tota die mortificatione afficeris? Quia tota die amo. Vnde vulneratus ex dilectione interminabiliter noua vulnera tribulationis, angustiæ, famis haud horribilia præsentantur. Pulchram do Ambrosij sententiam orat. in obitu Theodos. *Ergo decedens de terra pia anima, quasi interrogantibus iis, qui sibi occurrerent, cum sese ad sublimia subrigeret, dicebat: Dilexi. Interrogabant Angeli: Quid egisti in terris? Dicebat, Dilexi. Hoc est dicere, legem impleui, Euangelium non præterini. Hoc est dicere. Morti me obtuli, & tota die reputatus sum sicut ouis occisionis.* Paulus haud aliter amore in Deum, ac proximum saucios nullum vltra cruciatum non contemnit. 45. *Amans non turbatur tribulationū irruptione, quia si verus amor, agnatus est labori.* Rom. 8. Ambros.

Audite sponsum, *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum; quia fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Lampades eius lampades ignis, atque flammarum.* Cant. 8. Si dilectio fortis vt mors, quonammodo superuenientia vulnera ei poterunt nouum incutere terrorem? Amans velut mortuus ostenditur vulnere gladij ancipitis, vndè iam nihil ei potest horribile præsentari. Honorius sic. At Philo Carpat. aptius accommodans, audiendus: *Caput nostrum quoad fieri potest imitemur. Cruce sublata ducem Christum sequentes. Nec id graue diligenti; quia charitas nihil graue existimat, nihil vt intolerabile veretur; sed omnia facillima, & iucunda reputat, mortem ipsam contemnit, cruciatus grauissimos peruincit. Ad hunc amorem tam fortem, tam durum nos oncolare possumus alis igneis duabus, diligendo Deum ex toto corde, & proximum sicut nosmetipsos.* Igitur nulla tribulatio grauis diligenti, quia dilectio ipsa vulnus est interminabile, tam graue quidem, vt externæ tribulationes nihil vltra premere posse videantur. 46. *Qui amat, nihil veretur circa laborum sustinentiā, quia amoris vulnus grauius, reliqua non sentit quodammodo.* Cant. 8. Honor. Philo.

IESVS ergo fatigatus, quia amans obiicitur. *Ex itinere ne?* Planè ex dilectione, siquidem 47. *Christus Se-*

postquam

raphim ex amore, consequenter se efformat in crucem, etiā cum non moritur, nec patitur. Bern. Sen.

postquam recessit à via, id est, postquam exuit viatoris incommoda, in superis sedens, haud quodammodo possit à laborum sustinentia abstrahi, vt Saulo expressit. At vt ex ore duorum stet excogitatio, legendus D. Bernardinus Senens. serm. 60. de Euang. Æter a. 1. cap. 1. vbi locutus de Seraphino illo, qui in corpore D. Francisci stigmata Redemptoris expressit, fatur: *Non cœlestis spiritus illa stigmata imprimebat, sed ille, qui pro nostra salute crucifixus est. Atque ex Seraphico ardore cordis eius Christum in similitudinem Crucis transformabat.* Christus ne cum non patitur, Crucis formam præsefert? Ita planè. Quomodo enim ostenderet Seraphicum amorem, si non inseparabilem amoris conditionem exprimeret, nempè vulnera sustinere. Diligit Dominus adhuc insuperis existens? Quodammodo ergo laborum sustinentia dulcissima grauatur.

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Sedebat sic supra fontem.

Sedet supra fontem, vt sitiens Samaritanæ fidem spirituali æstui occurrere possit.

Sitim animarum, qua Dominus nunquam non succenditur, confirmo.

38. Theophyl. August.

SEdebat suprà fontem, (loquor cum Theophylacto,) quia sitiebat propter laborem, & æstum. Aptius Augustinus lib. 83. qq. 64. *Sedebat supra fontem*, quàm sitiebat: *Sitiebat enim mulieris fidem.* Tom. 1. circa sitim Domini è cruce expressam hoc argumentum pluribus illustraui. Paucis confirmo.

39. *Ieiunium deserti, & fatigatio itineris IESVM ad sitim animarum succendit.* Matth 4. Ambros.

Apud desertum Dominus post ieiunium esuriit. *Et cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit.* Matth. 4. Vbi Ambrosius serm. 36. in Quadr. *Quomodo potest fieri, vt qui tot dierum numero famem, sitimque non senserit, postea esurierit? Esuriit enim, & sitiuit non cibum, aut potum hominum; sed salutem: nec escarum secularium epulas concupiuit, sed animarum desiderauit sanctitatem.* Ac si ieiuniorum defatigatio in Domino vnicam animarum sitim excitaret, succenderet, acueret. Haud aliter fatigatio itineris animarum Dominum excitauit ad sitim.

40. *E cruce se sitientem salutem hominum ostentat, dum acetum repulit.* Ioan. 19. Drogo.

Suffixus Dominus proclamauit, *sitio*. Ioan. 19. Quæsierim, num sitis communis molestia pressus fuerit locutus? Scio appositum acetum repulisse haud ineptum sitienti liquorem. Ergo spirituali siti subueniri optabat. Drogo Host. lib. de Sacram. Pass. *Domine, quid sitis? Ergo ne plus cruciat sitis, quam Crux? De Cruce siles, & de siti clamas: Sitio. Quid? Vestram fidem, vestram salutem, vestrum gaudium: plus animarum vestrarum, quam corporis mei cruciatus me tenet.* Hodie Dominus fatigatus ex itinere aquam postulat, nec constat epotasse; quia spirituali siti occurrere volebat. Quia eius *cibus*, & potus est, salus animarum.

41. Asserit Augustinus, Dominum nunquam

esse sine siti, quia currit, & sitit semper. *Currit, & sitit, & nunquam erit sine siti, quia currit semper.* Ideò sæpè accurrit ad fontem, quia nunquam satiatur. Post numeratum semel populum rursum Moysi Dominus imperat, rursum annumerari. *Tolle summam vniuersæ cognationis filiorum Israel.* Num. 1. Vbi Oleaster, *Non est Domine, impletus annus, quo eos numerare præcepisti: & iam iterum eos supputari vis? Quid est, quod eos tam crebro numeras?* Certè Deus diligens Hebræorum animas omnium expetit salutem, ne vel vnica ouicula erronea à numero recedat. At, in morem sitientis, rursum numerari præcipit, quia nunquam circa animarum commoda satietate afficitur. Explicat pulchra similitudine Auctor, *Nam quemadmodum, qui siti pecuniarum vrgitur, & eas diligit: continuè eas supputat:* (vt sitis aliquo modo possit expleri,) *ita & Deus eos, quos diligit, supputare non desinit.*

Deus in morem sitientis, nunquam ex numeratis animarum satiatur, semper earū sitit salutem. August. Num. 1. Oleast.

Sitientem auarum Salamon descripsit. *Vnus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem; & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitiis.* Eccles. 4. Asserit Salonius Viennens. vnum hunc, *qui secundum non habet Christum Dominum esse.* An Dominus, auari instar, diuitiis non satiatur? Respondet. *Ita planè, quia nostram semper sitit salutem.* 42.

Deus ad auarorum morem nunquam animabus satiatur. Eccles 4. Salon.

Ponderat Augustinus insatiabilem sitim Saluatoris, dum postquam innumeros Martyrum, Confessorum, ac Virginum animos epotarat: adhuc sitiens currit. Post pelagi vndas absumptas omnino adhuc ô Domine siti premeris? Proh penuriam liquoris! *Da mihi bibere.* Huiusmodi siti agebatur, dum aiebat: *Quam arcta est porta, & arcta via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam.* Matth. 7. Anselmus, *Pauci inueniunt portam, & viam.* Pauci inueniunt? An non Ioannes post descriptum filiorum Israël ingressum, addidit: *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Apoc. 7. Sal. *Turba quam dinumerare nemo potest, est multitudo conuersorum ex Gentilitate.* Si innumerabiles saluandi Gentiles, quomodo tibi ô Domine, *pauci sunt*: Salonius pulchrè, *Non satiantur oculi eius diuitiis, quia nostram semper sitit salutem.* Sitis eius velut auari? Periander, *Auarum nunquam non sitientem vidi.* O sitim Domini inextinguibilem! 43.

Insatiabilis Saluatoris sitis, qui post haustos innumerabiles homines, exiguum potum allimat. August. Matth 7. Anselm. Apoc. 7. Salon.

De siti Ausonius, *Sitis magna nullum respuit liquorem.* Asserit Abulensis Iudam *ex optimo mero in acetum* esse immutatum: Porrò qui in cruce sitiens spreuit acetum, Iudam sitiuit ad pectus traiicere. *Accedens* ille *ad* IESVM, dixit: *Aue Rabbi, & osculatus est eum.* Matth. 26. Vbi Anselmus de Euang. serm. cap. 7. *Accedentem ad osculum sanctissimi oris tui cruentam bestiam non es auersatus. Sed os, in quo dolus non est, ori, quod abundauit malitia, dulciter apposuisti.* Preme aduerbium *Dulciter*. Cur non potiùs *Amarè*, cum dolosa labia labiis Dominus attingebat? Quia instar sitientis acetum dulcissimum sibi potum fore reputabat: si auarus tradidisset. Ideò non hausit, quia Iudas auarissimus vel potum aquæ turbidæ sitienti Domino denegauit. 44.

Vel acetum, id est, Iudam sitiens Dominum appetit. Matth. 26. Anselm.

Observatio III.

Ad illa verba:

Iesvs *ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem.*

Cœlestis auceps Iesvs, vt illiget Samaritanam, fatigationum, ac laborum laqueos præparat.

Et quis non se captum profiteatur, dum Deum pro se actum laboribus obsecerit?

45. Tolet. PVlchrè Toletus, *Nisi fatigatus Christus sederet expectans, nullam mulieri vtilitatem suus ad fontem adferret aduentus.* At dum fatigatus sedet, facilè auiculam adduxit ad laqueum. Quis enim non vitrà retibus implicetur, videns Deum laboribus actum, vt ipsius capiendæ animæ commoda gerat, eámque à tartareo aucupe possit liberare?

46. *Christus obrutus tribulationũ fluctibus Gentilitatem conuertit.* Bernard. Ion. 1. Hieron. Asseruit D. Bernardus Ionam fluctibus obrutum Iesvm esse diro passionis pelago immersum. *Et tulerunt Ionam, & miserunt in mare, & stetit mare.* cap. 1. Mutatur feritas maris ad conspectum Prophetæ tot fluctibus acti. Hieronymus, *Ionas in mari fugitiuus, naufragus saluat nauiculam fluctuantem, saluat Ethnicos in diuersas prius sententias mundi errore iactatos. Et Osee & Amos, Isaias, Ioël, qui eodem tempore prophetabant, populum in Iudæa nequeunt emendare.* Vndenam ergo & pelagus efferatus quiescit, & aduersi animi conuertuntur? Certè Ionas Christi laboribus fatigati simulachrum gerebat. Et quis non protinus emolliatur dum Dei filium videt laborantem, vt salute donentur peccatores?

47. *Apostoli Iesv æmulatores, laboribus acti, mũdum conuerterunt.* Act. 3. Apostoli Iesv æmulatores, ac vicarij illigantur, vulneribus afficiuntur, & multi peccatores ad meliorem frugem recipiuntur. *Iniecerunt eis manus, & posuerunt eos in custodiam; multi verò eorum, qui audierant, crediderunt.* Act. 3. Vbi Chrysostomus hom. 9. *Quid hoc? Nunquid viderunt, illos dehonestari? Nonne conspexerunt ligari? Quomodo ergo crediderunt? Vides manifestam patientia pro eis efficaciam.* Pro nobis patiuntur? Vt nos prædicatione ad virtutem adducant, illigantur? Non possumus à laqueis aucupum liberari. Si labores Discipuli alliciunt nos, quid Magistri, ac Filij Dei defatigatio?

48. *Num poterãt homines non capi retibus Filij Dei fatigati ob eorum salutem?* Bernard. Excitat D. Bernardus quæstionem, Quare Dei Filius, qui potuit humanum genus absque vulneribus ac morte redimere, tot voluit vulnera sustinere, ac cruci suffigi? Et respondet appositè serm. 11. in Cant. *Valuit quidem, sed maluit cum iniuria sui, ne pessimum, atque odiosissimum vitium ingratitudinis occasionem vltra reperiret in homine. Sanè multum fatigationis assumpsit, quo hominem debitorem teneret.* Quàm indomabile animans, qui laqueis non implicatur, & tenetur, dum Dominum aspicit hodie tantum fatigationis assumpsisse, vt peccatores adduceret? *Fatigatus ex itinere. Quid enim,* (addit Pater,) *diceret homo creatus, & ingratus? Gratis quidem conditus sum nullo Auctoris grauamine, vel labore. Siquidem dixit, & facta sunt.* Postquam autem Auctor pro me passus est, tantáque fatigatione actus: quidnam potest mea obiicere ingratitudo? *Obstructum est os loquentium iniqua.*

An verò quia iam non patitur Dominus, inefficax vulnerum eius memoria, ad hominum ingratitudinem molliendam? Absit. Argumento de minori ad maius vtar. *Extendis cælum sicut pellem.* Psalm. 103. Mortui animantis pellis assolet extendi, & percussa classicum insonat. Sic Diui post mortem laborum, quos pro animabus acquirendis subiere, memoria possunt dura præcordia debellare. Augustinus, *Ideò tenditur sicut pelles, & magis tenditur, quia illi mortui sunt. Nam post mortem plus intonuerunt Apostoli.* Theodoretus lib. 8. de Martyr. *Admirantur autem cuncti mortales, mortuos iam Apostolos, nunc quoque vertendis ad Christianam Religionem populis ea efficere, quæ cum olim viuerent faciebant: imò autem maiora multóque clariora postquam excesserunt è vita per eos facta conspicere.* Quare ergo post mortem clariores conuersiones operantur? Certè quia dum vident peccatores Apostolos vita fuisse priuatos eo quod hominum eruditioni studerent: non possunt non piscatorum retibus illigari. Si igitur Discipulorum mors tam efficax, quid Magistri? *Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.* Gen. 4. Et quando, aut cui non clamet Agni cœlestis cruor profusus ad peccatorum liberationem? D. Basilius Seleuc. orat. 3. Mortem excepit Dominus, nec piscatu tamen *abstinet obita morte.* Quotidie retia tendit, & fatigationis, qua affectus est ad nostram salutem, obiectione nos salutares adducit ad laqueos. 49. *Non minus efficax memoria fatigationis Iesv nunc, quam fatigatus ex itinere sedebat supra fontem.* Psalm. 103. August. Theodor. Gen. 4. Basil. Sel.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Venit mulier de Samaria, haurire aquam.

Huiusce mulieris nomen Ioannes non expressit, quia libidinis morbo laborabat.

Luxuriei addicti, indigni ob vilitatem, qui nominentur.

MVlierem asserit Ioannes ad puteum accessisse, nec eius nomen aperit. Quare precor, si Herodoto Authore, *cum texitur series historiæ plurimum conducit ad fidem nominum expressio?* Respondet Strabus, *Hauriebat illa aquam, id est, voluptatem de profundo sæculi.* Profectò fœmina libidinis morbo laborans haud digna nominari. Nomine caret, quæ voluptatibus addicitur. 50. Herod.

A Paulo dicitur Melchisedech fuisse *sine patre, sine matre, sine genealogia.* Hebr. 7. Cur sine patre, ac sine matre Rex ille asseritur? Hæretici quidam apud Epiph. hær. 55. affirmant verũ hominem nõ extitisse. Sed omnino falluntur & errãt; fuit enim verus & purus homo, vti Ribera in epist. 51. *Genealogia Melchisedech non exprimitur, quia ex parentibus fornicariis innominandis.*

Hebr. 7. Epiphan.

epist. ad Hebr. citatam ex Patr. confirmat. Alij Hebræi apud eundem Epiphan. asserunt causam esse, *quia fuit ex parentibus fornicarius, quos scriptura nominare non solet.* Patres habuit Melchisedech sed non assignantur ex nomine, quia fornicarij indigni, qui nominentur. Non probant auctores, & ideo improbabilem reputo opinionem. Nam si probarent fornicatios illos extitisse, aptè concluderent, ideo nomina fuisse silentio pressa.

52. *Fornicarij non nominantur.* Ephes 5. Mendoz.

Paulus ad hæc, *Fornicatio autem, & omnis immunditia nec nominetur in vobis.* Ephes 5. Immunditia non habet nomen. Ideo qui ipsi hæserit, ab ea participat non nominari. Franciscus de Mendoza ad 1. Reg. 2. *Qui fornicatione infecti sunt indigni sunt, qui nominentur, quia & ipsa fornicatio non nominatur.*

53. *Ismaëlis impudicitia tacto nomen siletur.* Gen. 21.

Sara olim ad Abrahamum, *Eiice ancillam hanc, & filium eius.* Gen. 21. Cur filium proprio nomine non appellauit? *Eiice ancillam, & filium Ismael?* Existimo, quia paululum iam à pueritate deflexerat. *Vidit Sara, filium Agar Ægyptia ludentem cum Isaac filio suo.* Ibid. Quinam ille ludus? Sa. *Vidit filium Agar cum Isaac irridentem.* Hieronymus, *super progenitura contendentem.* Vatablus vertit, *lasciuientem.* Quam apposité lascious puer non nominatur!

Saa. Hieron. Vatabl.

54. *Reginæ adultera nomen supprimitur.* Matth. 1.

De Salomonis matre Bersabee Matthæus: *Dauid autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ.* Cap. 1. An Reginæ nomen fuit prætermittendum. Prætermisit Euangelista, quia ipsum nouit adulterij labe obscuratum.

55. *Chan impudicus non nominatur.* Gen. 9. Chrysost.

Chan modestiam, ac pudicitiam violauit, dum parentem in tabernaculo nudatum videndum exposuit. Maledictus ergo est pater maledixit nepoti suo Chanaam, *Maledictus Chanaam.* Gen. 9. Cur à filio in nepotem maledictionem detorquet? Chrysostomus homil. 29. *Non maledixit pater filium, qui à Deo erat benedictus, sed nepotem, unde Chan pater cruciaretur.* At ego ex aliorum sententia crediderim, à filio in nepotem maledictionem transtulisse, nè filium parum pudicum nominare cogeretur.

56. *Tribus Simeon non nominatur, quia ex ea Princeps impudicus.* Deut 33. Abulens. Num 25.

Moriturus Moyses singulas Tribus propriis nominibus compellauit: solam Tribum Simeonis tacitus prætermisit. Deut. 33. Duplicem rationem Abulensis quæst. 2. assignat. Vnam, *quod Simeon tractauit de venditione Iosephi, & durius se habuit contrà eum, quam alij fratres.* Alteram, quam ipse magis probat, quod quidam Princeps de Tribu Simeonis castitatem violauerit. *Ecce vnus de filiis Israël intrauit, coram fratribus suis, ad scortum Madianitidem.* Num. 25. Quasi non solus impurus ipse, sed etiam qui impuro cognatus esset, nomine indignus videretur.

57. *Paulus publicum fornicarium asserit sine nomine esse.* 1 Cor 5.

Denique Paulus, *Omninò auditur inter vos, &c. Vt uxorem patris sui aliquis habeat.* 1. Corinth 5. Preme particulam. *Aliquis.* Cur non exprimit ad ruborem, publicum fornicarium incestuosum: *S. omnino inter illos* audiebatur, publica erat sceleris infamia. Nomen igitur exprimat ad peccatoris confusionem. Certè nominari non oportebat eum qui tam turpi scelere suum nomen obscurabat.

***

OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

Venit mulier de Samaria.

Vnam Samaritidem quæsiturus Dominus fatigatus aduentauit.

Vt exprimat, sudores suos & labores sic vni impendere animæ, ac omnibus simul.

58. *Bona communitati impensa sæpe dantur.*

VNi venienti ex Samaria mulieri totam defatigationis vim Dominus impendit. An non aptius tanta defatigatio conuersioni omnium Gentilium litaretur? Certè Dominus totam laborum molem sic vni animæ consecrat, ac si pro vniuersitate pateretur. Ne possis obiicere communia beneficia quodammodo vilescere.

59. *Iosepho obitus non celebratur planctu ab Ægyptiis, qui à beneficiis communitate extiterat.* Gen 50. Oleast.

Obiit Iacob, Ægyptij autem *celebrantes exequias planctu magno, atque vehementi, impleuerunt septem dies.* Genes. 50. Obiit & Ioseph, Moyse profante, *Mortuus est, & conditus aromatibus, repositus est in loculo.* Cur non celebrant exequias Iosephi planctu magno, imò vehementiori, quam exequias Iacobi, si quidem communis extiterat muneratot, dum fame perituris succurrit opportune. Respondet pulchrè Oleaster, Iacobi exequias viuente Iosepho Prorege celebratas planctu ex adulatione Ægyptiorum: Iosephi minimè, ex communitatis ingratitudine agnata. *Neque legimus fleuisse filium, ut discamus, quàm facile obliuioni tradatur, quidquid pro communi bono feceris.*

60. *Permisit Deus tot Angelos, tot homines deliquisse, ne videretur conseruationem eorum non esse magnum beneficium, quia commune.* Abul.

Quærit Abulensis ad cap. 13. Gen. q. 287. Cur Deus permiserit Angelos tot deliquisse, totque homines delicto fœdari? Respondet appositè, *Si Deus impediret peccata hominum, ita ut nullum peccatum fieret, & sic etiam dæmones non peccassent: videretur illud esse à natura, quia commune erat omnibus: & sic nullus de hoc gratias ageret; quia videretur multis non esse magnum beneficium, aut non valde magnum; quia commune.* Ne igitur aut fœmina Samaritana, aut aliquis homo obiiciat Christum pro omnibus esse defatigatum & commune bonum minoris æstimetur: vnicæ Samaritanæ conuersioni totam hodie fatigationem litat, in eaque singulis hominibus passionis suæ totam vim dedicat: ac si pro singulis sigillatim patiatur, quidquid pro omnibus passus est.

61. *Qui pro omnibus fatigatur Iesus, vni totam litat passionem.* Matth 25. Saluian.

Pro singulis fatigatum se exhibet Dominus. *Quandiu, ait, fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Matth 25. Preme particulam, *Vni.* Quia non solum communitati Dominus suas defatigationes litat. Sed singulis: ita vni ac omnibus. Vnde alget, sitit, ac famescit in vno, ac si in omnibus pateretur. Do elegantem Saluiani sententiam lib. 4. ad Eccles. *Vbi ergo sunt illi, qui dicunt, Dominum Iesum Christum officio nostrorum munerum non egere. Ecce & esurire se pariter, & sitire, & algere commemorat. Respondeat quilibet horum; si non eget,*

IESVS non solùm eget, & patitur cum omnibus, sed plus omnibus; quia totus patitur in singulis.

qui esurire se queritur? Ego plus addo, Christum non solum egere cum cæteris; sed plus multo egere, quam cæteros. In omni enim pauperum numero non est vniuersorum omnium vna pauperias. Sunt enim quidam quibus & si vestimenta desunt, alimenta non desunt: multi sunt hospitio egentes, vestibus non egentes; sunt denique quibus etsi desunt multa, non desunt omnia. Christus tantummodo solus est, cui nihil est, quod in omni humano genere non desit. Nullus seruorum suorum exulat, nullus frigore, ac nuditate torquetur, cum quo ille non algeat. Solus cum esurientibus singulis esurit, solus cum sitientibus sitit; & ideò quantum ad pietatem illius pertinet, plusquam cæteri eget. Omnis enim egestuosus pro se tantum, & in se eget; solus tantummodo Christus est, qui omnium pauperum vniuersitate mendicet. Pulchrè. Sic fatigationes vni ex minimis litauit, ac si communitas hominum non adesset.

62\. Ex ore Ieremiæ Dominus, *Erudire Hierusalem, ne fortè recedat anima mea à te.* cap. 8. Deus est populi anima? Ergo totus in toto resider, & totus in parte seu in quolibet ciue commoratur. Ambrosius lib. 1. de Spiritu sanct. cap 4. *Cum sit inaccessibilis natura receptabilis, tamen propter bonitatem suam nobis est. Complens virtute omnia simplex, vnicuique substantia præsens: diuidens de suo singulis, & vtique totus.* Ergo si in qualibet parte totus existit, velut anima: sic toto Deo vnica potitur ouicula, ac grex totus.

Deus est anima totius populi, totus patitur in toto, & totus in qualibet parte, seu homine.
Ierem 8.
Ambros.

63\. Testor Pastorem illum, qui relicto grege toto, vnam errantem ouiculam quæsiturus egressus est. *Et cum inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens.* Luc. 15. Vbi Basil. Seleuc. orat. 26. *Montes & syluas obire non recusat, & subiiciens humeros proprio labore ouiculam curat laborantem.* Non miror, quia ouicula ad gregem pertinebat. Illud autem non satis mirabor, totum gregem reliquisse, vt vni erranti occurreret. Pastor cœlestis, vna ne ouicula charior tibi quam grex? Respondet Tertullianus lib. de Pœn. cap. 8. *Errat vna Pastoris ouicula, sed grex vna charior non erat; vna illa requiritur, pro omnibus desideratur.* Quia cœlestis Pastor totam defatigationem sic vni homini litat, vt quodammodo non charior totus grex existere videatur.

Pastori grex omnis charior non videbatur vna ouicula.
Luc. 15.
Basil. Sel.
Tertull.

64\. Rursom Saluianus lib. 1. ad Eccl. *Licet generale sit debitum, & speciale tamen esse non dubium est: licèt sit commune omnium, est tamen peculiariter singulorum. Christus enim sicut pro omnibus passus est, sic pro singulis: & totum se dedit vniuersis, & singulis totum. Ac per hoc quidquid passione sua Saluator præstitit; sicut totum ei debent vniuersi, sic totum singuli.* Imò asseruerim plus singulos debere, quam omnes. Quare precor? *Propter hoc plus singuli, quam vniuersi debent, quod tantum acceperint singuli, quantum vniuersi. Vbi enim hoc vnus accipit, quod vniuersi, etsi par est mensura, maior est inuidia.* Concludit pulchrè, *Quo fit, vt licet ipsum accipiat, plus debere videatur; quia magis sit vnus obnoxius, qui videatur omnibus comparatus.*

Generale, & speciale Pastoris munus.
Pro omnibus fatigatur, & pro singulis.
Saluian.

65\. An non plus ouicula debet errone2, quæ acquiritur grege toto quasi contempto? An non videtur omnibus comparata, imò omnibus præbabita à Pastore. Apprimè Chrysologus serm. 168. *Quare non quinquaginta oues, quare non ducentas; sed centum? quare non quatuor, quare non quinque; sed vnam? Vt ostenderet, non ex damno fuisse, sed ex numero plus dolorem. Namque amissio vnius totum dissipauerat centenarium numerum: & totum de dextra redegerat ad sinistram; vt dispendio vnius & sinistra clauderet omnes: & dextra nihil haberet.*

Videtur ouicula vna omnibus præhabita à Pastore.
Chrysol.

Paulus ad hæc. *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Gal. 2. Vbi Chrysostomus, *Quid facis, ô Paule, cum communia propria tibi vendicas? Quæque pro toto terrarum orbe facta sunt, tibi facis peculiaria?* Respondet, *Declarat hoc, par esse, vt quisque par nostrum non minus agat gratias Christo, quam si propter ipsum solum aduenisset. Neque enim recusaturus erat vel ob vnum tantam exhibere dispensationem; adeò singulum quemque hominem pari charitatis modo diligit: quo diligit vniuersum orbem.* 66.

Paulus pretium pro toto orbe datum, pro se exhibitum esse exclamat.
Gal 2.
Chrysost.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Sedebat sic supra fontem.

Fatigatus Dominus sedit supra fontem, & sic fatigatus obiicitur, vt accessit.

Quia nulla mundi requies vera, nulla è labore in terra quies.

FAtigatus accesserat ad fontem Dominus & *sedebat sic.* Quomodo *sic*? Quemadmodum venator, qui iuxta fluenta laqueos statuit auiculis collocans insidias. Quemadmodum sitiens vulnerata ceruicula properat ad aquarum medicamen. Quemadmodum viator æstu pressus ad gramina accurrit, si fortè inueniat fontem. Quomodo *sic*? Quemadmodum medicus, qui ægrotantis specialissimo infirmitatem notat affectu. Quemadmodum vir, qui vxoris gressus sequitur haud pudicæ. Quemadmodum pater, qui filij iniqui actiones obseruat, vt reducat. Quomodo *sic*? Quemadmodum Pastor, qui erroneam requirebat ouiculam. Quemadmodum mulier, quæ perditam drachmam quærit abat. Quemadmodum mercator pretiosam inquirens margaritam. Quomodo *sic*? Quemadmodum Deus deperditum in paradiso compellabat Adamum. Quemadmodum Samaritanus vulneratum adibat viatorem. Quemadmodum Isaac puteum contemplaturus accessit, aut Iacob Rachelis pecora aquis satiaturus. *Sedebat sic supra fontem.* Quomodo *sic*? Toletus ex quorundam expositione *sedebat sic fatigatus vt erat,* quando sedit. Sedit fatigatus, & post assumptam sessionis requiem *sic* fatigatione eadem sedebat affectus. Terrena quies potius quàm re, nomine nititur. 67.

Quomodo sic Dominus sedebat?

David asseruit, *Facti sumus sicut consolati.* Psalm. 125. Aliqui exposuere, *Post laborem itineris, facti sumus sicut requiei solatio fruentes.* An non verè sedetis? Sessio mundialis iter est; quia in superis sola obiicitur habitatio *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Ps. 86. Haud verax habitatio in sæculo, nec lætitia aut quiete verè potimur sicut lætantes, sicut habitantes, quiete, ac sessione potiri nos videmur: sed illa quies, ac sessio apparens esse comperitur. Hieronymus ad Psalm. 125. *Manifestum est, quoniam in præsenti sæculo non est certa quies; ergo quies & lætitia nostra quasi lætitia est.* Videtur Dominus sedere, 68.

Sæculi huius quies, quasi quies, haud vera consetur.
Psalm 125.
Psalm. 86.
Hieron.

sed

sed *sic* seder, ac si fatigatione pressus adhuc itineri percurrendo operam exhiberet.

69. *Omnia mũdialia velut desideria sunt, non possunt cor replere.* Tit. 2. D.Thom.

Quid Paulus? *Apparuit gratia Dei, & Saluatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, iustè & piè viuamus in hoc sæculo.* Tit. 2. Vbi D. Thomas, *Per desideria sæcularia intelliguntur res sæculares & omnia peccata.* An omnes res mundi desideria sunt? An cunctæ criminum operationes desideria aptè vocitantur? Ita planè. Quia postquam impletus rebus hisce animus ostentatur: vacuus verè exponitur.

70. *Sodomitæ omnésque voluptatum mundi amatores semper pleni & semper vacui.* Adam. August.

De Sodomitis Adamus de Pers. asseruit, *Semper eos & voluptatibus plenos, & simul vacuos sam contemplatus.* Quonammodo vacui semper, si semper pleni obiiciuntur? Certè quia voluptates minimè mentem opplent. Augustinus affirmat voluptates sæcolique affectiones pomis Sodomæ comparari, de quibus ipse lib. 21. de Ciu. cap. 5. fatur: *Poma in terra Sodomorum gigni quidem, & ad maturitatis faciem peruenire: sed morsu tentata, in fumum, ac fauillam, corio fatiscente, vanescere.* Cecinit Cyprianus,

Cyprian.

Facile optima quæque
Promittunt oculis pyra Persica, & omnia mala
Donec carpantur, nam protinus indice tactum
Soluitur in cinerem, fit vana fauillaque pomum.

En sæcularia bona. Honores, diuitiæ, voluptates quantumuis suauitatem, ac maturitatem mentiantur, leui tactu pressa fumum exhalant. Quomodo non vacui semper existant, qui huiusmodi pomis pleni obiiciantur?

71. *Qui valetudine potitur, quasi spem habet, non possessionem, quia nunquam plenus est.* Matth. 9.

Quædam mulier fluxu sanguinis laborabat, sanitate autem donata est vestis Dominicæ contactu, fante IESV, *Sentio, virtutem de me exiisse.* Postquam autem sanitatem receperat, à Domino audiuit: *Confide, filia.* Matth. 9. Expecta sanitate potiri. Si iam salutem est assecuta mulier, cur allicitur, vt expectet. An spes & possessio vna in sede morantur? Certè si bonum terrenum est, nunquam in possessione existit; qui iam possidet, quasi expectat; quia qui plenus salute temporali obiicitur, verè vacuus deprehenditur. Vnde Clemens Alexand. lib 2. Stromat. mundialia bona *spem acceptam* vocitauit. Si accepta sunt bona, quomodo spes vocantur? Certè quia nunquam verè possidemus: *Sedebat sic.*

Clem. Alex.

72. *Lateris formulam cor nostrũ imitatur, quia semper plenum, & semper vacuum.* Exod. 1. Nyssen.

Oderant filios Israël Ægyptij, & affligebant illudentes eis, atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti, & lateris. Exod. 1. Vbi acutè Nyssenus contemplatur homines Pharaoni Mundo, aut Diabolo seruientes. Formulam, ait ille, laterum aspicite, *semper plena obiicitur luto, & semper vacua*; quia illud ipsum vnum laterem efformari, idem est, ac plenam tunc formulam, ad alium efformandum, vacuari. Vnde & semper plena, & semper vacua aspicitur. Haud aliter cor hominum Mundo aut Diabolo famulantium semper pleni, & semper vacui, ostentantur; quia post plenum luto cor, formula vacuatur vt alium efformet, vnde nunquam hîc cor humanum potest plenitudine potiri.

73. *Formula cordis Dauid & plena, & vacua semper, donec bonis cœlestibus positum est.*

D[illegible]uid duris operibus luti, & lateris aliquando operam dedit. Domine vacua impleantur bonis præcordia formula lutum recipiente. Quidnam expert[illegible]? Lupos, vrsos, ac leones mei gregis [illegible]reptores cupio comminuere. Donatur Dauid fortitudine, animantia vulnerat exitialiter syluis horrorem incutit. O præcordia plena! Imò heu! formulam cordis vacuam obiicio. At plena exultabit, si Goliath fortissimum Israëlis populi irrisorem extinxero. Pergit Dauid ad campum, lapides colligit è torrente, hostis præsentatur, pastor fundæ tradit è lapidibus vnum, ad frontem dirigit Goliath, euertit turrim, caput proprio amputat ense. Iam ô Dauid cordis formulam loto plenam aspicio. Imò ô Domine vacuam omnino expono. Sed implebitur planè, si Saül promissioni stans Micholem mihi dederit in sponsam. Nuptiæ celebrantur, à populi Principibus Dauid gener Regis excipitur, epulum instruitur. Quam plenus lætitia Dauid? O quam vacuus obiicior! Quandonam te plenum profiteberis? Vnctus à Samuële ô Domine Regno si fruar, suprema dignitate ornatus plenus omnino existam. Igitur de medio sublato Saule pacifica Dauid fruitur Regni possessione. Est ne cordis formula plena. Ita planè. Væ mihi, quia vacuam verè obiicio. Quando igitur cor replebitur. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Psalm. 16. Solummodo cœlestis beatitudinis bona possunt hominis opplere præcordia. Nyssenus pulchrè, *Nec finis miserrimi ardoris cupiditatum esse potest, nisi quis carnalem vitam repellat.* Iuxta fontem sities, sedens nunquam non in præsenti sæculo fatigatus obiicieris. In superis vera quies, aqua verax.

Psalm. 16. Nyssen.

Observatio VII.

Ad illa verba:

Venit mulier de Samaria, haurire aquam.

Post tot libidinis documenta misera Samaritana haud exierat ab statu seruili.

Hæc enim merces earum, quæ libidini seruiunt, semper premi inopia.

Admitto in præsenti vt excogitationem adstruam, illorum opinionem, qui asserunt quinque illos viros de quibus Dominus, *Quinque viros habuisti*, &c. non fuisse maritos, sed amasios. Miror planè post sex virorum consortia impudica; adhuc miseram amphoram gestare, vt aquam gerat. Tam auaros, ô Samarites, sortita es amantes, qui non tantum libidinis interstitium, & infamiam publicam aliqua mercede munerarent adeò, vt non cogereris amphoræ gestatrix, ad puteum occurrere. Proh misera libidinis præmia. Nunquam vidi fœminam ex impudicitia stabilia bona acquisiisse. 74.

De quadam fœmina haud pudica, quæ post viginti duos maritos hæserat amasio, ait Hieronymus epist. ad Geront. *Dicamus huic mulieri, quod Dominus Samaritanæ: Viginti duos maritos habuisti, & iste, à quo sepeliris, non est tuus.* Addicitur sepulturæ ab amasio, seu amasij expensis probabiliter, quia ipsa inopia laborabat. Nec enim libidini addictam fœminam vi- 75. *Quàm inopia occubit fœmina haud pudica.* Hieron.

debis diuitiis ex meretricio munere redundare.

76. Zacharias profatur, *Egressus est Angelus, qui loquebatur in me, & dixit: Leua oculos tuos & vide quid est hoc, quod egreditur. Et dixi: Quidnam est? Et ait, Hac est amphora egrediens. Et ecce talentum plumbi portabatur, & ecce vna mulier sedens in medio amphora; & dixit, Hac est impietas; & proiecit eam in medio amphora, & misit massam plumbeam in os eius.* cap. 5. Vbi Theodot. *Diuinus Zacharias videt peccatum libidinis speciem mulieris referens. nam ex voluptate plura peccata nascuntur.* Cur massa plumbea in os impudicæ meretricis immittitur? Quia merces libidinis, post tot iniquitates, vile est nutrimentum. Non datur ori meretricis aurum, aut argentum, vt splendidè possit epulari, & indumenta pretiosa acquirere: vix datur ei æs vile, quo possit cibum vilissimum comparare.

Fœmina libidini addicta vix datur pabulū, & hoc plūbeum, nihil auri, seu argenti.
Zach. 5.
Theodot.

77. Cum Dominos ad Pharisæi epulum inuitaretur, *ecce mulier, qua erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quod* IESVS *accubuit in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti.* Luc. 7. Vbi Gregorius. *Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot inuenit holocausta.* Solummodò video Magdalenam vnguenti alabastrum obtulisse. Ao non aliqoid amplius ea libidioe acquisiuit, quod posset Domino litare? Fœmina libidini seruiens vix acquirit vilem, qua vescatur, annonam, & vnguentum, quo possit inungi.

Mulieris peccatricis tota supellex vnguenti alabastrum?
Luc. 7.
Gregor.

78. Thamar olim meretriculam se simulauit. Huic Iudas. *Mittam tibi hædum de gregibus.* Gen. 38. Princeps ditissimus, à quo Tribus Iuda Regum familia, fœminam exigua hædi mercede mnnetat? O Proceris infamia! Absit. Plusquam debuit, Patriarcha præstitit. Lasciuiæ merces vilis annona est. Vis vulgariter expendam? *Comido, por seruido.* Ad hæc D. Zeno Veron. *Hædum promittit, quoque sit peccati illius illius merces ostendit.* Impudica fœmina, en delicti mercedem? Ad sinistram æternom collocaberis, si non pœniter te deliquisse: & hîc hædiculum accipis, cuius maiorem portionem libidinis mediatrici adscribis, & particula vesceris nunquam exsatianda.

Thamar accipit pretiū libidinis vilem hædiculum.
Gen. 38.
Zeno.

79. Canem Ausonius fœminam addictam luxuriei, ex egestate, vocitauit. *Nihil ex libidine acquirit canis misera prater cibum exiguum, protinus premenda fame.* Accidit voluptatis amatrici mulieri, quod de amatoribus dignitatum mundialium Seneca expressit epist. 74. *Solebat Attalus hac imagine vti: Vidisti aliquando canem, missa à Domino frusta panis, aut carnis, aperto ore captantem? Quidquid excepit, protinus integrum deuorat, & semper ad spem futuri hiat. Idem euenit nobis, quidquid expectantibus fortuna proiecit, id sine vlla voluptate dimittimus, & statim ad rapinam alterius erecti, atque attenti.* Semper fames opprimit peccatores. O canem miseram si aliquando ex voluptatis mercede cibum, quo satiareris, acquisisti, protinus ad proximi diei cibum hiare cogeris. Diuitiæ etenim fugiunt voluptates.

Lasciua fœmina vix ex turpitudinis mercede comedit.
Auson.
Seneca.

80. Abraham sanctissimos, munificentissimus, ac diuitiis plenus. Cui Sara, *Eiice ancillam hanc, & filium eius; non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac. Dure accepit hoc Abraham pro filio suo. At surrexit manè, & tollens panem, & vtrem aqua imposuit scapula eius, tradiditque puerum, & dimisit eam.* Gen. 21. O Princeps, eum dilectam è domo emittis Agarem, quæ aliquando fuit accepta, ea qua filium Ismaëlem accepisti, onera eam Regiis muneribus, da aurom, impertire argentum, lanam adscribe discedenti. An non ex Berchorij mente, in ancilla secundaria sponsa, (nec enim fuit pellex Agar, sed vxor, erat enim licita polygamia,) innuitur *seruilis voluptas.* Fœminæ voluptati seruienti, typúmque gerenti meretricum non abundantior adscribenda merces. Comedat, bibat, & mox siti miserè conficiatur.

Agar gerens pellicis simulacrum, accipit panem, & aquam, asseq; mercedem.
Gen. 21.
Berch.

81. En Pharaonis somnium. *Putabat, se stare super flumium, de quo ascendebant septem boues pulchra, & crassa nimis. Alia quoque septem emergebant de flumine fœda, confectaque macie, & pascebantur in ipsa amnis ripa in locis virentibus, deuorauerúntque eas, quarum mira species, & habitudo corporis erat.* Gen. 41. Ad quæ D. Ambrosius lib. de Ioseph cap. 7. *Etsi non ego Ioseph, clamabam tamen, vaccas illas,* (macie pressas,) *lasciuiam significare.* Vidisti vaccas, seu lasciuientes fœminas ex mercede libidinis *in locis virentibus* commorari, epulis dare operam, & boues pingues deuorare? Quid, quæso, post tantam satietatem? Velut confectæ macie vacuæ rursum ora ad cibum aperiunt. Vix enim fœminæ meretrici necessarium sufficit alimentum, & aduentante senectute, à crudeli inopia ipsæ vorantur.

Post satietatem magnā, fœmina impudica macie, & fame deficiunt.
Gen. 41.
Ambros.

Observatio VIII.

Ad illa verba:

Mulier, da mihi bibere.

Ad impudicam vnam fœminam conuertendam, Dei virtus defatigatur?

Ac si luxuries meretriculæ aliis perniciem ministrantis, totius iniquitatis gerat epilogum.

82. Fatur Augustinus tract. 15. in Ioann. *Iam incipiunt mysteria. Non enim frustra fatigatur* IESVS, *non enim frustra fatigatur virtus Dei; non enim frustra fatigatur, per quem fatigati recreantur.* Dei virtus hodie fatigatur? Mysteria incipiunt. Resera, quæso, defatigationis hodiernæ mysterium. Porrò hæc defatigatio huiusmodi est, vt solum valeat accepta à fœmina Samaritide potione refrigerari. *Mulier, da mihi bibere.* Ergo impudica mulier causa est defatigationis. Quàm facilè alia crimina donantur sanitate. Paralytico quasi per transennam, *Noli amplius peccare.* Matthæo publicano, *sequere me.* Ast vt vnam fœminam pellicem conuertat Dei virtus fatigatur. Quasi malitia immensurabili illigatur fœmina, quæ aliis delinquendi illectamenta collocat. Omnium eam vocarim vitiorum epilogum.

August.

83. Medæam appellauit Herodotus *latronem omnium, siue cunctorum vitiorum speculum.* At Drogo Ostiensis lib. de Sacram. Passion. aptè Dalilam Sampsonis pellicem Medæam vocauit. *Amasti, ô Sampson, mulierem non amantem te, sed persequentem, at sapientia tua stultesceret.*

Vna impudica fœmina aliis seruetur, omnium criminum epilogus Medea.
Herod.
Drogo.

O Me

O Medæam mendacem, crudelem, lasciuam, auaram, voracem!

84. *Dum à fœmina IESVS luxuriam ablegat, consequenter omnia capitalia vitia disturbat.* Theophyl.

A fœmina quadam Dominus septem dæmonia deturbauit, id est, septem capitalia vitia ex Patrum expositione. Porro ex Magdalena luxuriem ablegauit. *Erat enim in ciuitate peccatrix.* Luc.7. Quæritur, an Magdalena sit eadem illa fœmina, *a qua septem dæmonia exierant*, siue septem capitalia vitia fuerant exturbata? Asserit Theophylactus, quia fœmina impudicitiæ huiusmodi addicta ad aliorum ruinam, omnium consequenter vitiorum continet epilogationem.

85. *Magdalenæ impuritas connotabat vitiorũ omnium inundationem.* Luc 7. Ephrem.

Preme illa verba Lucæ: *Stans retro lacrymis cœpit rigare pedes eius.* cap.7. Magdalenæ mentem sic expressit D. Ephrem serm. in peccatric. *Si totam meam faciem quasi ferream, & aneam non reddidero*, (ad vim lacrymarum proferendam,) *saluari ex turpi inundatione lasciuia non potero.* E quanam precor, inundatione? Ex illa planè, de qua Propheta, *Maledictum, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt.* Ose.4. En inundationem adulterij, aut libidinis omnium vitiorum epilogationem: Maledictum, mendacium, homicidium, & furtum. Ose 4.

86. *Cum regnat lasciuia in corpore simul reliqua vitia impurissima Regina obsequuntur.* Rom 6. Origen.

Apostolus profatur, *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius.* Rom.6. De corpore misero meretricis loquitur plurium addicto voluntati. Regnum fornicationem appellauit. Quare precor? Quia cuncta alia vitia libidinis obsequuntur imperio. Origenes hom.1. in Ierem. *Non potest aliquod Regnum dici, nisi sub se habeat nationes. Regnat fornicatio in peccatrice muliere? Necesse est, vt Regnum fornicationis habeat gentes suas, & illud ipsum generet delictum auaritia, & fraudis*, &c.

87. *Lasciua mulier cuncta crimina ciuitatis.* Luc.7. Chrysol.

Ponderanda occurrunt illa Lucæ verba: *Mulier in ciuitate peccatrix.* cap 7. Quidnam peccatrix in ciuitate? D Chrysologus serm.93. *Non peccatrix solum, sed totius ciuitatis facta fuerat ipsa peccatum.* Quasi lasciua fœmina, dum ciues alliciebat ad libidinem cunctis omnium peccatorum magisterium exhiberet.

88. *Libidini omnes subsunt iniquitates.* Tulli. Claudian.

Aiebat Tullius lib. 4. Tuscul. qq. *Libidini subsunt ira, excandescentia, odium, inimicitia, discordia*, &c. Cecinit Claudianus in Eurip.

Sed quia cæcus inest vitiis amor, omne futurum
Despicitur, suadéntque breuem præsentia fructum.

Amor inest omnibus vitiis, & ita hærescit animus ex amore præsentibus, vt omnino futura contemnat. Vnde insipiens in cœcitate clamat: *Non est Deus.*

Observatio IX.

Ad illa verba:

Da mihi bibere.

Petit, vt det: aquæ Dominus sitiens experit vnda exigua donari, vt cœlestis pelagi impendat vbertatem.

Eleemosynæ hinc incrementa contemplare.

89. VIx Dominus petiit à Samaritide fœmina potum, cum eam ad abundantioris poculi calicem inuitat. *Forsitan petiisses à me, & daret tibi aquam viuam. Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Ergo petit, vt tribuat. Petrus Chrysologus citat. *Fons vita iuxta fontem sedens, bibere posit, non bibere volens, sed potum dare.* Eleemosynæ commendat incrementa, stilla inopi impensa fit tribuenti fons bonorum cœlestium, ac temporariorum mirabili perennitate fluens. Chrysol.

90. *Gentilitas sponsa Domino ex aqua exhibita sitienti præparatur.* Gen.24

Eliezer Abrahæ famulus Isaaco quæsiturus sponsam iuxta fontem, seu puteum sedens, ait: *Puella, cui dixero, Inclina hydriam tuam, vt bibam, & illa responderit, Bibe, quin & camelis tuis dabo potum, ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac.* Gen. 24. Vt sponsam Christus Samaritidem Gentilitatis typum internoscat eámque ad Regnum eleuet cœleste, se sitientem obiicit, vt potatus aquæ frigidæ calice, eam potet æternitatis fonte. Chrysostomus, *Vide serui prudentiam. Non quia sciebat Patriarcha hospitalitatem, & quia virginem inde ducendam conueniens erat, eisdem prædıtam esse moribus, quibus Dominus suus: nullam aliam quarit coniecturam, sed characterem virginalis animi ex hospitalitate vult agnoscere.* Haud dabitur ex coniugio spirituali animæ fons æternus, nisi exhibito prius sitienti Domino aquæ frigidæ calice. Chrysost.

91. *Non accipit Gentilitas sponsa sanguinem, nisi exhibeat aquam clamanti Domino sitio.*

Percusso latere Saluatoris lancea militis, *continuo exiuit sanguis, & aqua.* Ioan.19 Cyprianus lib. de Monte Sina. *Sanguis, & aqua fluebat, vnde sibi Ecclesiam fabricaret.* Latus Domini percussum fons vetus Iacob. Adest Samaritana Ecclesia ex Gentibus, adest & Dominus sponsus, clamans è Cruce, *sitio.* Ioan.19 Obiicitur aqua materialis refrigerij, & aqua cœlestis refectionis, nempè sanguis Dominicus propinatur. Dat Samaritana sponsa futura aquam, vt sanguinis thesaurum accipiat.

92. *Perennis fons filiorum exhibetur Abraha, sed prius oblato vnici filij potu.* Gen.15. Gen.22.

Abrahæ Dominus, *Suspice cœlum, & numera stellas, si potes. Et dixit ei: Sic erit semen tuum.* Gen.15. Vides lacteam viam, cuius innumerabiles lucidissimi orbes sunt arenæ? Exiguus obiicitur numerus, si cum filiorum tuorum multitudine comparetur. *Tolle ergo filium tuum vnigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in montem, quem monstrauero tibi, atque ibi offeres eum in holocaustum.* Gen.22. O Domine, cum multos filios te Patriarchæ daturum promittis, vnum ab eo postulas natum? Ita planè. Nec enim Dominus tot hominem donat muneribus, nisi aliquod eiusdem ordinis munusculum ei exhibeamus. Dat innumeros filios, sed vnicum accipit ex affectu. Ambrosius apud Cat.Lipom. *Hoc sibi in perenne mansurum indicauit Abraham filium, si eum immolaret Deo.* Quia fontem vertitur in *perennem*, quæ Domino sitienti salutem nostram exhibetur stilla. Ambrof.

93. *Petit Elias Christus bibere à fœmina, vt det cœlestem pluuiam.* 4 Reg 1.

Pergit Elias in Sarephtam, vt cœlestem ex perenni pluuia deportet abundantiam. Adit viduam, & inquit: *Da mihi pauxillum aqua in vase, vt bibam, & buccellam panis in manu tua.* 4. Reg.1. Si Elias IESVS cœli claues gestabat, vt aquarum cœlestium fontes reseraret, & terræ exhiberet sitienti ad frumenti vbertatem: cur stillam aquæ à fœmina postulat? Certè quia Christus prius sitiens in paupere vult refici, quàm cœlestem impendat abundantiam. *Bibit Dominus, quia hydria farina non deficiet, & vas olei non imminuetur*, &c. Ibid. In manu tua ostentetur vas aquæ frigidæ, vt pauper potetur æstuans;

æstuans, & cœlestis tibi præparabitur abundantia. Eucherius, *Facta est igitur manus viduæ perennis torcular, & mola iugiter fundens.*

Eucher.

94. An qui non dat inopi Domino sitienti, si aliàs iustitiæ gerat opera, accipit illam perennis fontis promissam Samaritanæ abundantiam? Profectò nihil homo iustitiæ gerit, quod non vbertim tecta mensura recipiat. At perennis illius fontis abundantiam illi soli subest, qui dat Domino sitienti, id est, qui egenti pauperi succurrit. Asserit Venetus Armon. mun. Cant. 2. tomo 7. cap. 13. Tribum Iuda, & Issachar tentoria ad Orientalem plagam statuisse. Porrò Tribus Iudæ signum *Gemini* respondebat, quo duæ naturæ diuinæ, & humanæ in Christo vnitæ figurabantur. At Tribum Issachar signum *Libra* aspectabat, id est, *laboris merces.* Cur Issachari merces sola ex libra, seu mensura datur, Iudæ autem perennitas fontis æterni, id est, Christus fons verus exhibetur? Certè quia Issachar seruit, sed non dat Domino sitienti. At Iudæ Tribus Abrahæ hæres, Regni caput semper patris affectum repræsentat, qui filium vnicum dedit Domino, vt fontem Christum posset accipere.

Soli ei, qui dat Domino, datur perennis fons.

Venet.

95. Iob amisit diuitias, & dedit Domino patientiam. *Et addidit Dominus omnia, quæ fuerunt Iob duplicia.* cap. 42. Ex Basilij mente *duplicia* illa bona sunt temporaria, & æterna. *Duplicata diuitia* inquit Conc. Ne rebus tempor. addicti simus.) *vndequaque in domum defluxere, vt alteram partem* (temporariam) *velut qui nihil amisisset, haberet. Altera verò* (æterna) *patientia data mercedis iusto esset.* Qui fonti perenni vult potari, poculum Christo præparet sitienti.

Iob patienti, seu danti datur æternus fons.

Iob 42.

Basil.

Observatio X.

Ad illa verba:

Ecce mulier Samaritana venit haurire aquam.

Vitæ huius voluptates profundo recluduntur in puteo; quàm difficilè hauriuntur!

Quàm stultus, qui post vitiorum immensos labores, æterno labori est addicendus!

96. Voluptatum cœnosi fluctus profundo reclusi in puteo, difficilè hauriuntur. Venit sæpè mulier lasciua haurire vile poculum, vndam exitialem. O quanto labore malorum præparatur æternitas! D. Augustinus serm 92. de Temp. *Sedit Dominus supra puteum, vt non in altitudine quæramus aquam: sed de eo fonte, qui supra omnes aquas est, salutaria nobis pocula hauriamus.* Facilè aquas cœlestes virtutum à Christo accipimus, difficilè mundiales voluptates extrahuntur à puteo. Quàm miser, qui difficilem sibi præparat damnationem, dum posset facilem aptare salutem!

August.

97. Prodigus parenti, *Fac me vnum de mercenariis tuis.* Luc. 15. Cur non postulat vnum de filiis fieri? Quia vel domus Dei mercenarij sine labore fruuntur abundantia. *Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus! Ego autem hic fame pereo.* Fame ergo pressus voluptatum *adhæsit vni ciuium Regionis illius, & misit illum in villam suam, vt pasceret porcos.* Ibid. Vbi D. Ephrem lib. de Pœn. *Siliquas Draco præbet obedientibus sibi.* Imò minimè præbet siliquas. Siquidem miser Prodigus cupiebat saturari de siliquis, & nemo illi dabat. O quanti, miseri, emitis fame, ac siti premi!

Domus Dei abundantia, domus diaboli egestas.

Luc. 15.

Ephrem.

Fœnum bos comedit, impudicus voluptatis gramine pascitur: sed quantis exantlatis molestiis? Illud certè non est comedere, sed crudelissimè mactari. Baal offerebatur bos in particulas diuisus, integer Deo vero bos alter litabatur, fante Propheta, *Dentur nobis boues: & illi eligant sibi bouem vnum, & in frusta cædentes ponant super ligna. Et ego faciam bouem alterum, & imponam super ligna.* 3. Reg 18. Ad quæ Stephanus Cantuar. *Deus habet suam victimam, diabolus suam. Qui enim labores sustinent, & macerant se in hoc mundo, vt ex aqua turbida bibant, vt vetito fumant ex gramine, sunt bos interfectus à Prophetis Baal. Qui vero pro Deo se mortificant sunt bos mactatus sine vulnere, sine vllo incommodo ab Elia.* Quàm vulneratus viuit, qui mundi aquis reficitur? quàm facilè cœlesti fonte potatur, qui Deo præstat obsequium? Exclamat Lactantius lib. 1. institut. cap. 21. *O dementiam insanabilem! Quid illis isti Dij amplius facere possent, si essent iratissimi?* 98.

Qui Deo litatur viuit dum moritur, qui diabolo, discerpitur, dum viuit.

3. Reg. 18.

Stephan.

Lactant.

An bos Eliæ reseruatur? Nonne mactatur Numini? O vitalia iusti vulnera! Videtur iustus mori, sed ecce viuit: peccator autem voluptatum pabulo viuere videtur, sed ecce discerpitur, moritur. Paulus, *Quasi tristes, semper autem gaudentes; quasi morientes, & ecce viuimus.* 2. Corinth. 6. Vbi Theophylactus, *Videmur mœsti esse, & mori. Cæterum voluptas nobis est florida, & viuax.* Existimo Doctorem legisse Comicum Periandrum, qui de fallacibus sic voluptatibus dixit: 99.

O voluptates floridas, sed non viuaces?
Videmini florescere, sed æstu soluimini.

Mundi voluptas florida videtur, sed æstu soluitur, fatigationibus incredibilibus comparatur: flores non viuit. At cœlestes labores floridam & viuacem offerunt æterno ex fonte voluptatem.

Diuini voluptas florida, & viuax; peccatoribus florida, sed non viuaces voluptates.

2. Cor. 6.

Theophyl.

Periand.

Voluptatem floridam, ac viuacem iustorum, peccatorúmque vera vulnera aspicite. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Cant. 2. Chaldæus, *comparata sum rosæ, quæ germinat inter spinas, à quibus perforantur, & rumpuntur folia eius.* Folia rumpuntur? Ergo cum boue Baal computamur. Absit, fante Domino, *Considerate lilia agri, quomodo non laborant.* Non laborant, si punguntur, & vulnerantur? *A quibus perforantur, & rumpuntur folia eius.* Porrò iustus externa specie pungitur, sed internè fontis gaudij cœlestis potatur satietate. D. Nilus in Ascet. *De animo iusti dicitur, lilium inter spinas. Hoc namque illum inter curas tranquillè degentem indicat. Lilium enim in Euangelio quietum animum significat. Non laborant, inquit Dominus, neque nent.* At mundialea dum 100.

Iustorum viuax voluptas, peccatorum vera vulnera obducuntur.

Cant. 2.

Chald.

Nilus.

dum curant delicias, aut diuitias acqoitere innumeris afficiuntur vulneribus, discerpuntur. *Inferuerunt se doloribus multis.* 1. Tim. 6. Ad quæ D. Anselmus, *qui multos dolores dixit, quasi nascentes ex hac radice punctiones, & spinas innuit. Quoniam mens eorum assiduè pungitur spinis solicitudinum pro acquisitione deliciarum, & multiplici labore corpus illorum atteritur.*

1. Tim. 6. Anselm.

101\. Diabolus inquit, *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Matth. 4. Ei cui terrena commoda promittuntur, indicitur laboriosa incuruatio: *Si cadens adoraueris.* Ambrosius, *Habet hoc ambitio domesticum periculum. Vt dominetur aliis seruit, & curuatur obsequio.* O quanto labore fallacem aquam exitaxisti! *Vidi*, ait Salomon, *Principes ambulantes quasi seruos super terram.* Eccles. 10. Vbi Galfridus apud Tilm. *Extolluntur inaniter, & grauiter submittuntur. Proh nefas! Hodie in cœno aquila voluntantur, insolenter abiicitur pia seruitus sacræ ministrationis, & imprudenter terrenæ cupiditatis seruitus indigna suscipitur.* Clemens Alexand. in adorat. ad Gent. appositè puteum perennis aquæ obiiciens, profatur: *Solummodo ô fili, Patrem sitias. Deus tibi gratis ostenditur, non cauponatur veritas. Mundi bona pecunia emit, qui est filius perditionis, & cuius institutum seruire.*

Immenso labore seruus mundo. O quam dulcius illorum seruiuisset! Matth. 4. Ambros. Eccles. 10. Galfrid. Clem. Alex.

102\. Lamentatus est id Ethnicus ille in Agamemnone, qui filiam primogenitam Dianæ mactans, vt ventos nauigator acciperet, exclamat: *Cruore ventos emimus.* Quod hodie lugent, qui ex cauponante dæmone temporaria gestiunt accipere. *Quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariæ.* Ose 8. Hebraicè, *In scintillas.* O miser qui mactaris vt vitulus ob telarum araneæ acquisitionem, & post tot vulnera tolerata æternas mitteris in scintillas, inextinguibiles deturbatis in flammas.

Cruore ventos emimus. Ose 8.

Observatio XI.

Ad illa verba:

Voca virum tuum.

Virum Dominus vocauit Samaritanæ amasium, ne delinquentem pulsaret verecundia.

Edocet Præsules, ac spirituales parentes subditorum aperire delicta, sine pudore peccatoris.

103\. Virum vocauit Dominus, quem impudicum agnoscebat amasium? Consulit profectò peccatricis pudori; nec enim à Præsule manifestanda crimina repentè velamine abstracto, sed prudenti circunspectione obiecta. Ipsa respondit, *Non habeo virum. Dominus tunc suauem ingerit correptionem.* Rupertus, *Vsa est arte sua nostra salutis opifex Dei sapientia, quatenus neque illam molesta verecundia pulsaret.* Nec ipsi delinquenti Christus crimina manifestat, donec ipsa ingenuè profitetur. Fœminæ consule verecundiæ.

Rupert.

104\. Mater Iacobi, & Ioannis à Domino filiis Regias sedes postulat. *Dic, vt sedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram, & alter ad sinistram in regno tuo.* Cui Dominus, *Nescitis quid petatis.* Matth. 20. Cur, ô Domine, fœminæ parcis, filios reprehensione afficis? Non repente ex culpa fœminæ velamen abstrahendum, sed fœmineo consulendum pudori. Postmodum Christus *vocauit Discipulos ad se, & ait: Scitis, quia Principes*, &c. Ibid. Cur omnes aduocat Discipulos? Paschasius, *Ne illos duos solos arguendo confunderet.* Quomodo fœminam fragilem confunderet arguendo, qui studet vel à viris abstrahere confusionem.

Matris Iacobi, & Ioannis non aperit piacula, si leniter ex ambitione delinquit. Matth. 20. *Nec filiorũ.* Paschas.

Alibi Dominus ad Discipulos, *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio* IESVS, *quis traditurus esset eum.* Ioan. 6. Preme particulam, *Sunt quidam.* Si solus Iudas eum erat traditurus, cur non dixit: *Est quidam*? Vt vel ipse Iudas haud rubore offundatur sciens Domino suum apertum esse delictum. Addit, *Numquid & vos vultis abire?* Quare in plurali loquitur? Respondet Pater Græcus in Caten. *Intuere Christi sapientiam, neque Iudã omnino manifestauit.* 105.

Iudam liberat à rubore dissimulans delictum. Ioan. 6. Græcus.

Oportebat, vt Dominus Iudæ ipsi cogitatum delictum aperiret, silentio ne insolesceret. Ideo addit Dominus, *Nonne duodecim vos elegi, & vnus vestrum diabolus est?* Ioan. 6. Cur Iudæ nunc aperit delictum ita, vt solus ipse intelligat incusso tamen reliquis metu? Nè vel diabolus Iudas offunderetur rubore. Adiicit Græcus Autor. *Cum autem Iudas in malitia perseueraret, vehementius eum arguit, dicens: Vnus vestrum diabolus est. Eum tamen vt tegeret, omnibus metum iniecit.* Et Chrysostomus, *Sustinuit omnes in angorem inducere, nè vulgaret proditorem.* 106.

Cum oporteret corripi Iudã sic eum carpit, vt aliis piaculum nõ aperiat. Ioan. 6. Græcus. Chrysost.

De Magdalena Iudas obmurmurans proclamat, *Vt quid perditio hæc?* Christus autem respondet, *Sinite illam, vt in diem sepulturæ meæ seruet illud.* Ioan. 12. Preme verbum, *sinite.* Domine non sunt Discipuli, sed Discipulus; *sine*, dic: cur *sinite* profaris? Porrò Dominus in commune loquitur, ne Iudam suffunderet ruboris infamia. D. Gaudentius serm. 13. *Quare ad solius Iudæ verba respondit pluraliter Dominus: Sinite? In communi omnibus loquitur, vt Iudæ contumeliam temperet.* 107.

Curat adhuc Iudæ contumeliam temperare, ac ruborem non incutere. Ioan 12. Gaudent.

Apud paradisum Conditor, *Adam, vbi es?* Gen. 3. Apud Bethaniam Christus, *Vbi posuistis eum?* Ioan. 10. An Dominus ignorabat locum, vbi Adamus absconditur, vbi Lazari cadauer recluditur? Minimè. Attamen simulat se ignorare delictum, nè confusione afficiat peccatorem. Hugo Cardin. *Qui absens sciuit mortuum, scit, vbi sepultus sit; sed sic quærens, significat, se quasi nescire perditum esse hominem. Vnde Gen. 3, inquit, Adam, vbi es?* 108.

Dissimulat, se vidisse delictum, ne suffunditur rubore peccatores. Gen 3. Ioan 10. Hugo.

Obser.

OBSERVATIO XII.

Ad illa verba:

Quinque viros habuisti, & quem nunc habes, non est tuus vir.

Qui peccatores alios solebat donare venia haud præmissa reprehensione: adulteram Samaritidem acriter reprehendit.

Adulterium enim graue admodum piaculum, ad iracundiam prouocans conditorem.

109. Chrysost. FAtur D. Chrysostomus, *Reprehensa acriter, non est contristata nec abiit, sed immoratur.* Quare tam patiens adultera fœmina? Vulgariter exponam. *Callo, porque echo de ver, que la reprehendian con razon.* Quàm graue piaculum alterius fœminæ virum à matrimonij legibus auertere, vxorémque afficere iniuria! Qui ergo alios grauissimè delinquentes benigniter excepit, qui publicanum Zachæum donauit venia, qui Matthæum minimè reprehensionis gladio percussit, qui Magdalenam haud pudicam admisit, Samaritidem adulteram acriter reprehendit: *Et quem nunc habes, non est tuus vir.* Pendo adulterij grauitatem.

110. *Adulter cũ iniquissimo Caino cadis magistro cõparatur.* Gen 4. Chrysost. Post prothoparentum immane delictum, primum crimen Caïni exprimitur homicidium. Abel occiditur, siue Christus Agnus innocens immolatur. Porrò vt tanti piaculi grauitas innotescat, adulterij crimini comparatur. *Ero,* inquit Caïn, *vagus, & profugus.* Id est, ero sicut adulterio maculatus. Pulchrè Chrysost. serm. 1. de Lazar. *Adultero timor, ac tremor vndique, angulos metuit, vmbras ipsas formidat, suos ipsius famulos conscios, inscios, illam ipsam, quam corrupit, & virum, quem afficit contumelia, ipsiúsque Cain vitam viuit, gemens, ac tremens super terram.* Quam horribile delictum, cuius Caïni crudele facinus extitit simulacrum!

111. *Dum adulterio corrũpitur vxor, vir exitialiter vulneratur.* Gen. 4. Caietan. *Mathusael genuit Lamech, qui accepit duas vxores.* Gen. 4. Vbi acutè Caietanus, *De stirpe Cain quinta generatio introduxit pluralitatem vxorum.* Adulterum Patres Lamech non semel appellarunt. Appositè ex stirpe homicidij primi patratoris, ac magistri duxit originem qui docuit homines adulterium. Dum enim adulteri corrumpitur vxor, vir exitialiter vulneratur. Reum Dauidem necis Vriæ viri Bersabee recognosco, non solum quia adlata epistola Regis militem belli periculoso collocauit in agmine: sed quia dum Dauid vxorem corrumpit, vulnere exitiali maritum affecit.

112. *Adulterij malitia in ponitur, & cum Iudæorum mirabili malitia comparatur.* Prou 30. Hugo. Lyran. Fatur Salomon, *Tria mihi difficilia, quartum penitus ignoro, viam aquilæ in cœlo, viam colubri super terram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adolescentia. Talis est via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os suum, dicit: Non sum operata malum.* Prou 30. Vbi Hugo Cardinal. Quemadmodum difficilis via aquilæ, colubri, nauis, & adolescentis: *Sic est difficilis adultera fœmina conuersa.* Exaggerat Lyranus, *Hic ex dictis concludit quoddam correlatiuum, scilicet malitiam Iudæorum mirabilem, quæ hic designatur sub nomine mulieris adulteræ.* Nec enim ad designandam mirabilem malitiam, poterat excogitari aliud aptius etimeo, quàm adulterium.

Ex supplicio innuitur adulterij piaculum. *Flagellauit Dominus Pharaonem propter Sarai vxorem Abraham.* Gen. 12. Ad quæ Ambrosius, *Vnusquisque se castum præbeat, non affectet thorum. Etsi maritum adulter fefellerit, non fallit Deum, excubias agentem.* Ac si Deus se thori custodem obiiciat, vt præproperè mariti iniuriam possit vindicare. 113. *Flagella adulterij.* Gen 12. Ambros.

Ideò Ioseph castissimus adulteræ fœminæ profatur, *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Gen. 39. Quid, peccare in Deum? Delinquere coram Deo, qui absentis sponsi vices gerit, vt thorum custodiat. Pulchrè Ambrosius ad cap. 12. Genes. *Adest præsul coniugij Deus, quem nihil lateat, nullus eaaaat, vicem absentis mariti tuetur, seruat excubias: non sine excubiis deprehendit reum.* Quàm graue delictum, quod tam accuratè à Domino quæritur, & flagellatur! 114. *Deus custodit thorum, vicem gerit mariti absentis.* Gen. 39. Ambros.

Mirum in modum increscit adulterij malitia ex viri incommodis. Quot adulterantes fœminæ extitere causa interfectionis maritorum? Fatur Chrysostomus hom. 49. ad cap. 14. Matth. *Nec dubitandum est, adulterij cupidos ad maritorum cædes paratos esse, atque accinctos.* An ex effectu? Sæpè planè: sed ex affectu semper, quia crimini dant operam, quod mariti corporis aliquando, nunquam non honoris parit exitium. 115. *Omnis adultera homicida est.* Chrysost.

Matthæus expressit, *Dauid autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ.* cap. 1. Cur solius Bersabee maritus exprimitur, cum Ruth, Thamárque secundas habuere nuptias, non tamen earum primi viri fuerint expressi? Respondet acutè Paschasius lib. 1. *Nomen viri, quod est Vrias, ponitur; vt ex hoc scelere immanitas adulterij memoretur, dum ipsius causa idem occisus maritus ad medium reuocetur.* Et quando non maritus aut corpore, aut animo moritur, vxore impudica? 116. *Ex adulterij immanitate in Vriam mariti gladius desæuiit.* Matth. 1. Paschas.

Vis expendam adulterij malitiam? Dum diabolus antiquus serpens artes suas exereret, vt Baptistæ inter natos fœminarum maiori posset necem inferre, ad adulterij fugit gremium, Regem cum Herodiade fratris vxore colligauit; vt immanitas huius delicti arma horribilia ad amputandum caput sacerrimum exhiberet. *Herodes tenuit Ioannem, & alligauit eum, & posuit in carcerem propter Herodiadem vxorem fratris sui.* Matth. 14. Ad quod D. Basilius Seleuc. orat. 16. *Vide diaboli artem. Primum fraterni cubilis perfossorem fecit, vt ex adulterij fossa ad Baptistæ cædem transilire faciat.* 117. *Vt diabolus Baptistæ necem inferret, ad adulterij malitiã accurrit.* Matth. 14. Basil. Sel.

Audi Sapientem, *Mulier diligens corona est viro suo: & putredo in ossibus eius, quæ confusione res dignas gerit.* Prou. 12. LXX. sic illud: *Et putredo, &c.* transtulere: *Sicut autem in ligno vermis, sic virum disperdit mulier malefica.* Prorsus sermo de adultera fœmina, quam maleficam appellarunt. Quare? Quia nemo securus ab adultera, vir, parentes, consanguinei, quos affectu saltem addicit exitio. Liceat ex Tullio lib. 4. ad Her. confirmare excogitationem. *Maiores nostri quàm impudicam iudicarunt,* 118. *Adulterium cum veneficij crimine copulatur.* Prou 12. Tull.

aam

eam veneficij quoque damnatam existimarunt. Qua necesse est, illam, qua corpus suum addixerit turpissimæ cupiditati, timere permultos, virum, parentes, cæterosque, ad quos viderit sui dedecoris infamiam pertinere. Quid postea? Quos tantopere timeat, necesse est veneficio petat. Quàm graue scelus, quod ad veneficia affectus connatur? Haud igitur mirum à benignissimo Domino adulterium acriter esse reprehensum.

Observat. XIII.

Ad illa verba:

Omnis, qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum.

Aquæ putei illius, quo voluptas seculi, ac bona mundialia exprimuntur, haud Samaritidis sitim extinguebant.

Bona enim mundi, secularis voluptas sitim adauget.

119. Anselm. August. ANselmus, *Omnis, qui biberit, voluptatem secuti, quam talis aqua significat, sitiet iterum.* Augustinus autem. *Aqua in puteo voluptatis, ac bona sæculi in profunditate tenebrosa, quam hauriunt homines hydria cupiditatum. Qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum.* Bona enim secularia sitim augent cupiditatis, nunquam possunt extinguere.

120. *Semper mendicat aquâ, qui mundi bonis potatur.* Bernard. Si in profunditate tenebrosa secularium bonorum aqua, quam stulti, qui tot laboribus fatigantur, vt hauriant non sitis extinctionem, sed augmentum. Bernardus serm. 6. de Asc. *Itaque miser diuertitis & pias, & consolationes proprias quæritis tamen labore quæritas? Tam in labore mente ...* Mendicat qui potum aquæ frigidæ quæritat: sed post quam biberit, non mendicat. Mendicas planè, quisquis secularibus aquis opplere appetis, refectio enim illa sitim acuit, non extinguit.

121. *Aqua turbida mundi acuit sitim* Ierem. 2. Senec. Ieremiæ ex ore Dominus, *Quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam?* Cap. 2. Quid mihi velim? Sitim extinguere. Aqua turbida est. Vel Seneca Gentilis agnouit. *Dimitte,* (inquit epist. 27.) *istas voluptates turbidas magno luendas; non ventura tantum sed præterita nocent.* Sit magnæ nulla turbida aqua: cœnosa est, sed dulce sitienti refrigerium. O fallaces aquæ; sitim equidem augent. *Non ventura tantum, sed præterita;* quia solummodò in animo maiorem sitim reliquerunt.

122. *Sitis est aqua mundialium bonorum* Ierem. 2. Epict. Inibi Vates, *Prohibe pedem tuum à nuditate, & guttur tuum à siti.* Ierem 2. *A siti,* id est, à voluptatum, bonorumque temporalium aqua turbida, cuius ea est natura, vt sitim non modò non restinguat, sed potius augeat. Epictetus apud Strob. *Vita, quæ à fortuna pendet, rapido fluminis similis est, turbulenta, cœnosa, impura.* Cœnosa est aqua: Sitim augebit, non extinguet, iuxta *adagium. Ap... cænum ...* Vel quia aqua cœnosa potari horrent

aut quia cœnosus liquor ex admixtione terræ sitim excitat vberiorem.

Accidit voluptatum amatoribus, quod somnianti. De quo Isaias, *sicut somniat esuriens, & comedit: Cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius. Et si ut somniat sitiens, & bibit; & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est.* Cap. 29. *Lassus adhuc sitit.* Ita planè, quia terrenæ voluptates appositè somnio reficienti sitientem comparantur, bibit, & sitit. Hieronymus, *Ardentior sitis, est, quæ cassa potione delusa est.* 123. *Somnians bibit, qui ex mundi poculis.* Isa. 29. Hieron.

Audisti Tantalo fluminis vndas ostentari, sed nunquam concedi, vnde æterna siti discruciatur? En fluenta voluptatum, poculum ostentatur, non porrigitur. Vates appositè. *Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino. Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?* Psalm. 4. Quinam illi multi? Certè qui æstuantes siti, cupiunt mundi bonis impleri. Quare autem non dicunt, *Quis dabit nobis bona?* Quàm aptè *quis ostendit?* Quia bona mundi tantummodò ostentantur Tantalo sitienti, vndè æterna siti discrucietur. Liceat ex Senecæ epist. 110. penu cogitationem illustrare. *Hoc itaque ipse mihi dico, quoties tale aliquid præstrinxerit oculos meos, quoties occurrit domus splendida, cohors culta seruorum, lectica formosis imposita calonibus. Quid miraris? Quid stupes? Pompa est. Ostenduntur ista res, non possidentur: & dum placent, transeunt.* O Tantalum miserum, cui Bona solummodo ostenduntur, nunquam exhibentur? vt sitis excrescat, & acuatur, cùm videbatur esse extinguenda? 124. *Tantalo simulo, qui videbat, non hauriebat aquam.* Psalm. 4. *Aqua mundi ostenduntur, non dantur; quia apparentia bona, non vera.* Senec.

Observat. XIV.

Ad illa verba:

Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, &c.

Qui ex fonte cælestium bonorum potatur, numquam sitit, quia verè impletur.

Bonorum cœlestium stilla qualibet fontis efficit satietatem.

PRomittit Dominus se Samaritidæ fœminæ veram aquam daturum, ex qua satietas. Anselmus, *Promittit satietatem, quia apud eum est fons vitæ, quo inebriamur.* Ideo sitit iterum, qui ex voluptatum, aut diuitiarum, aut dignitatum puteo bibit; quia in eo fit vnda, non fons; qui autem bibit ex aqua, cœlestium bonorum plenè reficitur nunquam siti torquendus; quia fit in eo fons. 125. Anselm.

Paulus asseruit. *Bibebant de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus.* 1. Corinth. 10. Petra fons est, qui sequitur fideles, ne vnquam possint siti premi. Stilla cœlestis refectionis quælibet quasi fons est. Ideo 126. *Aqua cælestium poculum fons est, ex quo bibens non sitit.* 1. Cor. 10.

 non

non dicit, Bibebant consequentem eos petram: sed de consequente eos petra; quia vndam vnam haurientes, quasi totum fontem ad pectus traiiciebant, ne rursum siti premerentur. Ambrosius ad Psalm.39. *Petra, seu fons est Christus, eo quod sitientes sequatur, ne sitientibus aqua desit.* (Ambros.)

127. Ieremiam audi. *Et non dixerunt: Vbi est Dominus, qui ascendere nos fecit de terra Ægypti, qui traduxit nos per desertum per terram sitis: Duo mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquam.* Cap.2. En differentiam aquæ cælestis, & mundialis: hæc *terra sitis*, cisterna, quæ non valet aquas continere, vt sit persistens refectioni materia; illa autem *fons vitæ* saliens in vitam æternam. Gillibertus serm.15. in Cant. *Terra sitis. Cupiditates enim mundanas magis irritat, quam satiat. Infructuosa est istiu plenitudo; etsi quod est fructus, id fluxum est, & mutabilitate sua mortis præfert imaginem. Quomodo vbi mortis vides imaginem, odorem vitæ sentire te reputas? Odorem vitæ Christi fontis spirat vbertas.*

Aqua mundi, sitis: aqua cælestis, fons. Ierem.2. Gillib.

128. Preme verba illa: *Fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem.* Ioan.4 Quomodo fons dicitur, si à Samaritana puteus appellabatur: *Et puteus altus est?* Certè puteus, è quo Samaritana impudica hauriebat aquam *voluptatem seculi* (cum Anselmo loquor) *significat.* At fons Iacob erat ibi, quia Christus aderat fons vitæ sitientibus offerens satietatem, quam puteus secularis voluptatis offerre non poterat. Ambros. ad Ps.45. *Dominus* IESVS *sedebat ad puteum, erat autem ibi fons Iacob. Fons ibi est, vbi Christus est. Fons est, vt aqua superaffluant requirentibus.*

Mundi amatores aqua putei potantur, iusti autem vero fonte Iacob Christo. Ioan.4. Anselm. Ambros.

129. Dauid clamabat, *Sitiuit anima mea ad te fontem viuum.* Psal.41. Non puteum cuius vnda difficilè hauritur, & sitim acuit sed fontem viuum, in quo plena sitis extinctio. D. Enodius lib 2.epist.12. *Largis meatibus cælestium munerum vnda procurrit: transeunt haurientis ambitum, quæ à Christo veniunt fluenta bonorum. Sola vena est, quæ maciem nescit, & defectus abiurat: tantum cursibus suis suggerens, quantum meretur pectus sitientis accipere.*

Bona à Christo fonte non exhauriuntur, durat æternum. Psalm 41. Enod.

130. Inibi Vates, *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Psalm.41. Vt scilicet sitim possim explere fonte potatus, qui putei aquis verè acuisse me æstum profiteor. Bernardus epist.114. cum de gaudio, quod humana mens non de creatura, sed de Creatore percipit, egisset, adiicit: *Cui comparata omnis aliunde iucunditas, mæror est: omnis suauitas dolor est, omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne quodcumque aliud delectare possit, molestum. Apud te ô Domine fons vitæ.* Id est, omnium bonorum persistens abundantia. Augustinus lib.10. Conf. cap.6. Quid amo, *cum te*, vitæ fontem, *amo? Non speciem corporis, nec decus temporis, nec candorem lucis, non dulces melodias suauium cantilenarum, non florum, & vnguentorum, & aromatum suaueolentiam, non manna, & mella: non membra acceptabilia carnis amplexibus. Non hæc amo, cum amo Deum meum. Et tamen amo quandam lucem, & quandam vocem, & quendam odorem, & quendam cibum, amplexum interioris hominis mei, vbi fulget animæ, quod non capit locus, vbi sonat, quod non rapit tempus: Olet, quod non spargit flatus: Sapit, quod non minuit edacitas: Hæret, quod non diuellit. Hoc est, quod amo, cum Deum meum amo.*

Siti ad Christum fontem, vt explero vndas sitim; quia apud ipsum omnium bonorum affluentia. Psal.41. Bernard. August.

Nunquam non mendicans ostenditur, qui mundialium bonorum accedit ad puteum, vt difficili stilla potetur. Quam stultè præparato gratis recedit à fonte. *Cæcus quidam sedebat secus viam mendicans.* Luc. 18. Vbi Gregorius hom.2. in Euang. *Genus humanum, quod in parente primo à paradisi gaudiis expulsum, claritatem supernæ lucis ignorans, damnationis suæ tenebras patitur.* Bernardus serm.6. de Ascens. *Vsque quo ergo miser diuerticula captas, & consolationes propriæ voluntatis tanto labore quæritas, tanto rubore mendicas?* Chrysologus serm.163. *Degener nimis animus, mens tota seruilis, Instar Samaritanæ, est, quæ coquorum affluxus, squalores culinæ, hesterno horrore fœtentia, perquirat obsonia, cui ingiter Regius deseruit, atque adiacet apparatus.* 131.

Mendicat stillam, qui aqua mundi potatur; e contra abundat, qui cælestem accedit ad fontem. Luc.18. Gregor. Bernard. Chrysost.

Ex ore Prophetæ clamat Dominus, *Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum, & lac.* O fontem satietatis! *Quare appendistis laborem vestrum,* ô Samaritidæ similes, *non in saturitate? Audite audientes me, & comedite bonum.* Bonum bibite sitientes Isa.55. Augustinus ad Psalm.102. *Bonum tuum quære sitiens anima. Est enim bonum aliud alteri & omnes creaturæ habent bonum suum. Quære tuum bonum, summum bonum, hoc est, bonum tuum. Sunt & inferiora bona, quæ aliis bona sunt. Pecori quod est bonum, nisi implere ventrem. Bibere, &c. Tale tu bonum quæris cohæres Christi?* Non satiaberis. *Erige spem tuam ad fontem bonorum omnium.* Fonti perenni hærescens, haud siti cruciaberis. 132.

Apud Deũ omnium bonorum fons. Isa.55. August.

OBSERVAT. XV.

Ad illa verba:

Quinque viros habuisti, & quem nunc habes, non est tuus vir.

Si vir ille maritus erat Samaritidis impudicæ, ideo planè impudica fœmina erat, quia ille suus non erat vir, sed alteri hærebat amasiæ.

Qualis enim vnus coniux ostenditur, talis alter assolet ostentari.

SVnt qui asserant Samaritidem nuptam esse illi sexto viro, qui tamen eius vir non erat, sed alienus; quia alteri fœminæ hærebat amasius. Vnde mulier ex adulterio viri sumens documentum alteri etiam viro alligabatur. Quod vnico verbo ad mentem Samaritanæ Dominus expressit. *Quem nunc habes* maritum, & amasium, *non est tuus*; quia maritus tuus thoro excipitur in alieno, & vir non tuus tuo reclinatur in thoro. Didicit fœmina à marito violare thori immunitatem. 133.

Ex

134. *Cum occidū tur viri ob impietatem, iubentur occidi & vxores quoniā impiè plerūque vxor impio marito.* Num. 31.

Ex vita viri vxoris vita satis clarè censetur. Impius maritus est? Vxor didicit impietatem. *Cum filij Israel pugnassent contra Madianitas, atque vicissent, omnes mares occiderunt. Ceperuntque mulieres eorum*, &c. *Iratusque Moyses Principibus exercitus, ait: Cur fœminas reseruastis? Nonne istæ sunt*, &c. *Mulieres, quæ nouerunt viros iugulate, puellas, & omnes fœminas virgines reseruate.* Num. 31. Tanta ne cœlesti Principi iracundia? Cur nuptas fœminas iubet interimi hominum mansuetissimus? An non mariti digni, qui ab Hebræis interficerentur ob impietatem? Ita plane. Ergo simul interficiantur vxores; quia assolent hæ maritorum mores exprimere; vndè impiorum impiæ plerumque comperiũtur. Theodoretus pulchrè q. 49. apud Strabum. *Iussit legislator, mulieres interfici, quæ virum cognouerant, eo quod impietatis dogmata didicissent.* (Theod.)

135. *Si vir pudicus, cogit vxorem, pudicitiæ operam.*

Vulgare Hispanicum prouerbium audisti: *Marido haze muger.* Quàm verè! Qui expetit vxorem pudicitiæ hærescere coniugali, alieno abstineat ab amplexu. Vidi impudicissimis viris sæpe pudicissimas vxores colligari. Attamen maritos admoneo plerumque vxores morum mariti esse æmulatrices. Casti ipsi ipsæ puritate fulgurabunt. *Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius. Confidit in ea cor viri sui.* Prou. 31. Preme, *viri sui*. Suus erat vir, non alterius, fidem seruat coniugi maritus. Proh fœminæ fortitudinem! Mariana adhæc, *Fides mariti habita mulierem vigilantem facit.* Ergo penes maritum est, vxorem inter fortes adnumerari. Quonam iure expetis fortem fœminam, qui omni infirmitate pressus pares libidini? (Prou. 31. — Marian.)

136. *Angelus probat pudicam fuisse Mariā, quia vir eius purissimus extitit.* Mat. 1.

Ioseph suspicionibus agitato Angelus, *Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Mat. 1. Preme verba illa: *Noli timere, accipere Mariam coniugem tuam.* Imò ideo timet, quia coniux est. O quam acutè Angelus Mariæ adstruit pudicitiam? Ioseph marite pudicissime, si te virum Mariæ agnoscis, si immunem te circa criminis adulterij suspicionem vides; cur times tuam coniugem à puritate recessisse? An à tuo magisterio potuit discere impudicitiam? Eleganter Euthymius, *Vxorem quoque suam dixit, vt inde certiorem eum faceret, quod à nullo cognita esset viro.* Hinc enim ostenditur, qualis vita vxoris, si vita mariti oculis obijciatur. Maritus puritate cœlesti fulget Iosephus: Cœlesti Maria vxor eius micat puritate. (Euthym.)

137. *Ex impudicitia viri vxor nequā.* Eccli. 25.

Opportunè Ecclesiasticus, *Commorari leoni, & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam. In medio proximorum eius ingemuit vir eius.* Cap. 25. Cur, quæso, vir gemitum edit tristitia solutus? Quia nequitiæ vxoris eius fama turpatur. Profectò maritus in se debet vxoris vertere iniquitatem; ansam enim dedit libidini, impuritatis exhibuit magisterium, si fortè aliùs viri thorum violauit, aut vxoris ius abolere non timuit. Perpulchrè Chrysostomus ad Psalm. 3. *Res quidem valde molesta, quod auxiliatrix aduersaria facta est* (libidini seruiens.) *Te ipsum tamen examina, marite, numquid in mulierem aliam nous, quid attentaueris.* Discit à marito vxor thalamum violare. (Chrysost.)

OBSERVAT. XVI.

Ad illa verba:

Domine, da mihi hanc aquam.

Dominum Samarites Christum appellat, cum expetit ab eo aquam viuentem accipere.

Reuerentia enim præmissa, facilè à Deo impetrabis, quidquid oratione requisieris.

138. *Reuerentia orationis.*

DOmine (inquit mulier) *da mihi hanc aquam.* Prius dixerat iouibana, *Quomodo tu Iudæus cum sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana?* Cum autem Christus se innuit aquam viuam posse exhibere, Dominum vrbana vocauit: *Domine neque in quo haurias, habes.* Mox autem acceptura, instat: *Domine da mihi hanc aquam.* Profectò reuerentia præmissa efficaciorem efficit orationem.

139. *Moyses orās exhibita reuerentia exauditur.* Exod. 3.

Moyses apud desertum dum oues pascebat contemplationis exercitamento vacabat: etsi Interpreti non vulgari credendum, preces ad Dominum fundebat, vt sese exorabilem afflicto exhiberet Hebræorum populo, quem viderat ipse ab Ægyptijs dirè vulnerari. Precanti ergo responsum datur tus, *apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Properanti autem *vt videret visionem magnam, quomodo rubus arderet, & non combureretur*, Dominus proclamat, *ne appropies huc. Solue calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, terra sancta est.* Exod. 3. Cur pedum indicitur denudatio? Respondent Interpretes communiter apud Abulensem, in calceorum abiectione à Moyse orante, exoraturoque exposci reuerentiam. Oratio enim ex reuerentia magnam præsefert efficaciam. (Abul.)

140. *Oranti Iosue indicitur reuerentia solummodò, vt impetret, quod postulat.* Ios. 5.

Iosue apud agrum Vrbis Ierichuntinæ orationi proculdubio studens, *Leuauit oculos, & vidit virum stantem contra se, euaginatū tenentem gladium: Cecidit Iosue pronus in terram, & adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad seruum suum? Solue, inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, sanctus est.* Cap. 5. Calceamenti ablatione Duci indicitur reuerentia. Si enim exponenda erat Dei voluntas oranti, reuerentia erat præmittenda. D. P. Dam. lib. 3. epist. 8. *Iosue certè cum vidisset Angelum, orat: Quid Dominus meus loquitur ad seruum suum? Cui nihil aliud ille præcepit: nihil prorsus exequeretur, iniunxit, nisi tantum hoc: Solue calceamentum de pedibus tuis.* Dum enim orans reuerentiæ dat operam, omnia quæcumque postulauerit, assequetur. Reuerentiam expone, Deus pacem *loquetur in pacem suam*, quæ proculdubio erat Duci orationis materia. (Damian.)

141. *Orat Maria Christū Dominū appellans, velut Samaritana, & gloria resurrectionis potitur.* Ioan. 20.

Pulchrum do Ioannis testimonium, vt particulam illam Samaritanæ illustrem: *Domine neque in quo haurias habes, Domine, da mihi hanc aquam, Domine, vt video Propheta es tu.* Post passionem, ac sepulturam

Saluatoris, *Maria stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergò fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis. Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis, quia tulerunt Dominum meum, & nescio, vbi posuerunt eum. Hæc cùm dixisset, conuersa est retrorsum*, &c. Tandem Resurrectionis Dominicæ fulgore completur, ineffabilique gaudio perfunditur. Cap. 20. O fœminæ ad credendum tarditatem! An non ex sepulchro vacuo, ex linteis relictis, ex visis Angelis debuisti resurrectionis parere veritati? Quid ergò fecisti, quo dum oras, dum lachrymas profundis, Deum allíceres, vt te beatissimo IESV conspectu recrearet? Certè illam audio reuerentia preces, ac lachrymas copulasse, profatam: *Quia tulerunt Dominum meum.* Quid non detur gloriæ fons Magdalenæ petenti reuerentia præmissa: *Dominum meum*; si Samaritidi fons gratiæ exhibetur, dum precatur reuerentia exposita:

Cyril. *Domine, da mihi hanc aquam?* Cyrillus lib. 12. in Ioan. cap. 47. *Tarda hæc est ad intelligendum mulier. Nondum enim intellexit, quid visio illa significaret, fletus autem causam explicat. Verum quoniam Christum semper Dominum appellaret; propterea etiam ipsum videre digna indicata est.*

Centurio Christum adit, vt filio, aut famulo sanitatem exoret. *Domine*, inquit, *puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur.* Cui protinus IESVS, *ego veniens curabo eum.* Mat. 8. Accessit Chananæa, Miserere mei Domine, fili Dauid. Obiiciente autem IESV, *Non est bonum, mittere panem filiorum, & dare canibus*: instat fœmina: *Etiam Domine, nam & catelli*, &c. Mox Christus, *O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Matth. 15. Si Dominus venerat ad oues, *quæ perierant ex Israel*: si bonum non erat, *sumere panem filiorum, & dare canibus.*: Cur tam facilè & Centurioni, & Chananitidi Gentilibus panem exhibuit? Certè exauditi sunt pro sua reuerentia. Hæc enim orationem reddit admodum efficacem. Clamat D. Basil. Seleu. Orat. 19. *O sapientia fons! Idcirco Chananææ supplicanti moras iniecit, vt illa dilationis impatiens acclamaret*: Domine, & catelli comedunt. Centurio quoque dixerat: Domine, puer meus iacet, Domine, non sum dignus. Ideo igitur Samaritana Dominum appellauit, vt oratio eius efficacior redderetur. Theophylactus, *Dicit ei mulier, Domine, magnum ei honorem tribuens, Dominum vocando.* Vnde fonte aquæ viuentis illicò donata est.

141. *Et Centurionis, & Chananææ oratio impetrauit, quia ex reuerentia Iesum Dominum vocauerunt.* Matth. 8. Matth. 15. Basil. Seleu. Theoph.

SECTIO SECVNDA.

Samaritanorum Conuersio.

TEXTVS.

VERS. 27. ET continuò venerunt Discipuli eius, & mirabantur, quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit: Quid quæris? aut quid loqueris cum ea? 28. Reliquit ergò hydriam suam mulier, & abiit in ciuitatem, & dicit illis hominibus: 29. Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcumque feci: Nunquid ipse est Christus? 30. Exierunt ergo de ciuitate, & veniebant ad eum. 31. Interea rogabant eum Discipuli, dicentes: Rabbi, manduca. 32. Ille autem dicit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis, &c. *vsque ad vers.* 39. Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Discipulorum admiratione.

1. *Redeunt Discipuli.*

CONTINVO *venerunt Discipuli eius, & mirabantur, quia cum muliere loquebatur.*] In ciuitatem Sichar abiisse Discipulos, vt cibos emerent, dixerat Ioannes: ad Dominum reuersos addit. At quia cum Samaritide fœmina colloquentem repererunt, admiratione fuerunt affecti.

2. *Cur admirantur.* Chrysost. Cyril. & alii. *Non admittitur expositio.*

Vndenam ortum duxit admiratio illa? Chrysostomus, *Mirabantur Discipuli facilitatem, & incredibilem Christi humilitatem quod tam clarus, & tanti nominis, pauperem, & Samariti nam mulierem benignè alloqui non dedignatur.* Consentit Cyrillus, Theophylactus, Euthymius. D. Thomas, & Origen. Obiicio tamen expositioni. Discipulos sæpissimè vidisse, à Christo neminem pauperem, abiectæque conditionis tulisse repulsam. An pauperes despiceret, qui cum electis à se pauperibus commorabatur?

3. *Admirantur quia cum alienigena loquebatur.* D. Thom.

Addit Doctor Angelicus, *Mirabantur Discipuli, quod cum Samaritana, & alienigena Christus loqueretur.* Sciebant enim Discipuli, Iudæos non couti Samaritanis. Quemadmodum ergo fœmina admirata est, quod à se muliere Samaritana Christus potum petiisset, cum Iudæi Samaritanis non couterentur: sic Discipuli admirati sunt, quod Dominus cum alienigena muliere sermonem conferret. Approbo sententiam.

4. *Autoris sententia.*

Attamen verosimilius arbitror miratos Discipulos, quod Christus cum fœmina præsertim sola etsi loco publico, & omnibus patente, colloqueretur. *Mirabantur*, (ait Euangelista) *quia cum muliere loquebatur.* Non dixit, miratos, quia cum muliere Samaritana, aut cum muliere abiectæ conditionis; sed absolutè *cum muliere* colloqueretur. Caietanus, *Nulla in Textu alia redditur ratio huius admirationis, nisi locutio Christi cum muliere. Et dixit hoc Euangelista, ad significandum, insolitam fuisse locutionem Christi cum muliere. Miramur enim insolita.* Caiet.

Eusebius

Euseb. Eusebius lib 3. de Demonst.Euang.cap.6. *Cum ex causa necessaria, vt multu prodesset, cum Samaritana muliere loquentem Christum Discipuli vidissent: admirati sunt, quod cum muliere loqueretur; inopinatum quiddam hoc, neque insolitum se inueni arbitrantes. Tanquam, qui nunquam antehac idem vidissent. Commendabat enim Saluatoris nostri sermo nihil aliud nisi in moribus grauitatem, atque austeritatem.* Igitur noo mirantur Discipuli, Christum colloqui cum muliere, quasi aliquid sinistrum cogitarent; sed qoia in solitum ei erat, cum mulieribus colloqui, præter eas, quæ coninnctæ sanguine sibi erant, aut notæ.

5. *Saluatoris exemplum modestia.* Tolet. Haud prætereat sine pondere Saluatoris exemplum, de quo Toletus annot.21. *Est quoque exemplum Saluatoris prudens pro his, quibus ex officio incumbit, vt cum mulieribus colloquantur, ipsarum saluti consulentes: vt in loco publico, & patenti, vt omnis sinistra suspicio tollatur, sermo cum illis habeatur.*

6. *Discipulorũ erga Dominum reuerentia.* *Nemo tamen dixit, Quid quaris, aut quid loqueris, cum ea?*] Agnatum est admirantibus aliquem effectum, scire velle causam, & rationem eius: proptereaque interogationibus vtuntur. At Discipuli admitati quidem sunt cum muliere colloquium; sed causam præ Domini Cyrill. reuerentia non quæritant. Cyrillus lib.2. cap.98. *Mirari debes Discipulorum prudentiam, qui nihil* *Taxatur curiositas.* Basil. *hac de re interrogandum esse, non ignorabant.* Vtitur hoc loco Basilius in Regul. fusius disputatis cap 48. contra curiosos, qui quæ ad eos scire non pertinet sollicitè scire quærunt; *à qua curiositate Discipuli se continuerunt; nihil enim horum scire ab ipsos attinebat.* Cyrill. Addit Cyrillus, *Probi Discipuli officium est, tanta reuerentia Doctorem colere, vt nihil temerè interogare audeat.* Chrysost. Et D.Chrysostomus, *Discipuli Christi nihil rogarunt. Adeò Discipulorum mores imbiberant, acè Magistrum & timebant, & reuerebantur plurimum.*

§. II.

De Samaritana recessu.

7. *Samaritana fornax spirit.* **R**Eliquit ergo hydriam suam mulier, & abiit in ciuitatem, & dicit illis hominibus:] Vocata vocat alios iuxta illud Apocalypseos, *Qui audit, dicat, Veni: & qui sitit, veniat; & qui* Apoc.22. *vult, accipiat aquam vita gratis.* Cap.22. Audiuit Samaritana, dixit suis conciuibus: *Venite, & videte hominem, &c.* Samaritaoi audierunt, aquæ viuentis venerunt ad fontem, aquamque Chrysost. viuam gratis accepere. Chrysostomus, *Ita accensa Samaritana est, vt cele la hydria, in ciuitatem properaret, & ad Christum vniuersum populum traheret. Venerat hauriende aqua gratia, & cum verum fontem inuenisset, contempsit alte-* Cyrill. *rum.* Cyrillus. *Non est imitandus sermo ille, qui Matth.25. talentum obruit; sed multiplecanda sunt, qua accepimus. Quod probè nobilis hac mulier fecit; qua Samaritanis omnibus, quod accepit, proposuit.* Cassia. Et Simon de Cassia, *Hoc signum, si diligitur Christus; quod is, qui diligit, in eius amicitiam alios trahit.*

8. *Cur hominẽ vocat Samaritana lesum.* Origen. *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi, quecunque feci; nunquid ipse est Christus?*] Origenes, *Conuocat, ad videndum hominem continentem verbum supra hominem.* Cur hominem dicit, & non Christum, quæ crediderat iam esse

Ant. de Escob. & Mend. Tom. III.

Saluatorem? Respondet Alcuinus, *Paulatim adducit, primo vocans hominem, ne si diceret Christum, nollent ipsi exire.* Alcuin. Monet Chrysostomus haud verecundia affectam mulierem, vt Chrys. profiteri piacula. *Non est verecundata, hoc dicere: Qui dixit mihi omnia, quacunque feci. Anima enim diuino igne incensa, ad nihil terrenorum aspicit.* An sit verum id fœminæ proloquium, *Hyperbolicus sermo.* *Dixit mihi omnia, quacunque feci?* Assero, verum fuisse per hyperbolem quandam, modumque dicendi exaggeraotem præcipuè fœminis agnatum.

§. III.

De collocutione cum Discipulis.

I*Nterea rogabant eum Discipuli, dicentes: Rabbi manduca.*] Discesserat mulier vt conciues ad 9. *Christus ad prandium inuitatur.* Christum vocaret. Interim Discipuli, qui ex ciuitate emptos cibos adduxerant, Magistrum rogarunt, vt reficeretur, id hora flagitante. At ille salutis Samaritanorum studio Inflammatus, respondit:

Ego alium cibum habeo manducare, quem vos nescitis.] De cibo Dominus spirituali loquebatur; Discipuli de corporeo verba intellexere, 10. *Discipulorũ circa cibum Iesu cogitatio* ideo quæritant inter se: Attulit ne quispiam illi cibum? Chrysostom, *Quid mirum, si Samaritana aqua appellatione, aquam esse opinabatur:* Chrysost. *quando & Discipuli spiritualia adhuc non intelligunt.*

Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me.] Cum hæsitantes, & rogantes, Discipulos Dominus cerneret, quis cibus ille esset, 11. *Cibus Iesu, voluntatẽ Patris parere: & perficere opus eius.* aperuit. Peculiaris Dei voluntas, de qua hic sermo, hominum est salus. Vult, omnes homines saluos fieri. 1.Tim.2. opus item Dei peculiare hominum est redemptio. Christus in mundum immissus, vt hanc Patris voluntatem faceret, & hoc opus perficeret; id est, vt homines saluaret, ac redimeret. *Vt perficiam opus eius.*] Caietan. Caietanus opus creationis interpretatur in hunc modum: *Vt perficiat opus eius, hoc est, opus creationis; quia per Christum gratia perfectionem, opus creationis comparauit.* Facilius exposuerim: *Auctoris expositio.* *Meus cibus est*, facere voluntatem Patris, scilicet homines ex peccati dæmonisque acerba eripere seruitute. *Meus item cibus est, vt perficiam opus eius*, seu perficere, & ad finem vsque perducere opus hoc à Patre iniunctum.

Cur Dominus hominum salutem cibum appellauit? Chrysostomus, *Hominum salutem Christus cibum appellat, vt quanta salutis nostra cura, & desiderio teneatur, ostendat.* 12. *Cur cibum suum hominũ salutem appellarit.* Chrysost. Cyrill. Cyrillus. *Hinc discimus, quanta sit erga homines Dei charitas: quasi enim cibum suum putat peraitorum hominum conuersionem.* Rupert. Rupertus, *Hoc dicto Christus indicat, quam spontanea obedientia Deo Patri deseruiat, in operando salutem nostram; & quod magis delectetur in hac obedientia, quam aliquis esuriens.*

Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt & messis venit?] Prouerbium hoc erat, quo 13. *A messe terrena ad spiritualem sermo ascendit.* significabant, non esse rem aliquam propinquam, sed longè distare. Ex his verbis ad messem Christus transit spiritualem. Putat Barradius, fortè Discipulos sata intuentes, dixisse: Barrad. *Adhuc quatuor menses sunt, & messis venit.* Approbo, videns tot mensibus abesse messem à

tempore, quo Christus cum Samaritana locutus est. Iam facile expono. Vos dicitis, futuram messem post menses quatuor; messis quidem frumenti longe abest: animarum verò messis propè [illegible]. Post aliquot menses albæ messes agrorum fient: iam albæ sunt animarum segetes. Leuate Discipuli, oculos, cernite segetes iam albescentes, falcemque postulantes. Vt agrorum messis cibus est hominum, animarum messis meus est cibus: Chrysostomus. *Venientiam Samaritanorum turbam Christus videbat, quorum feruorem, & promptissimam voluntatem albas regiones appellat. Sicut enim spica flauescentes messem indicant, & iam manus postulant: ita isti properabant ad salutem.* Strabus, *Putatis, quatuor menses esse vsque ad messem. Sed ego aliam messem ostendo vobis albam, & paratam.*

Chrysost.

Strab.

14. *De Samaritanis loquitur Dominus.* Caietan.

An Dominus albas segetes appellet Samaritanos, an Gentes etiam reliquas? Caietanus. *Videte regiones vniuersas, vniuersorum populorum Gentes, quia albæ sunt iam, maturæ, & præparatæ.* Ast ego cum premo particulam illam: *Quia albæ sunt*, Samaritanos, non reliquos Gentiles intellexisse assero; quia albæ segetes dicuntur, quæ messi sunt propinquæ; soli verò Samaritani spiritualiter messi vicini aderant.

15. *De Samaritanis & de regionibus loquitur.*

Obiicis, dixisse, *Videte regiones*, non *regionem*. Haud enim ex Samaritanis solis poterant Discipuli regiones multas iam ad messem albas intueri. Respondeo dixisse, *Regiones*, quia de conuersione Samaritanorū, & Galilæorum, quæ propinqua aderat, locutus proculdubio est. Leuate oculos in regiones, scilicet in vrbem Sichar, & regiones Galilææ, in quam tendimus, quia albescunt ad messem. Probo ex verbis sequentibus, quibus affirmat Dominus, tam seminatores, seu Doctores testamenti veteris, quàm messores, id est Discipulos ex animarum fructu gaudium percepturos. Vnde colligo, de messe locutum, cuius semina in Iudæa Iudæi sparserant.

16. *De tempore colloquij huius.* Rupert.

Colligit hinc Rupertus, IESVM mense Februario Samariam pertransisse, & cum Samaritana texisse sermonem. *Ex eo, quod ait Dominus, Nonne vos dicitis, quia adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? colligimus, quia circa mensem Februarium hunc transitum fecit. Mense siquidem Maio plena messis in illis est regionibus. Vnde & in Pentecoste panes primitiarum offerri iubebantur.*

17. *De mercede messoribus præparata.*

Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam.] Spe præmij ad metendum suo Dominus excitat messores. Non equidem gratis, & sine mercede laborabitis. Qui enim metit, mercedem accipit, & congregat sibi fructum, id est frumentum in horreum quo se alat, non breui huius vitæ tempore, sed in sempiternum. Sic Chrysostomus, *Terrena messis fructus ad æternam non peruenit vitam; sed in hac fluxa, & caduca consumitur. Ille autem perpetuo nos comitatur.*

Chrysost.

18. *Aliter exponitur.*

Aliter etiam non aptius expono. Qui metit, mercedem accipit à Deo, & congregat fructum, id est, segetes: videlicet animas: congregat, inquam, animas in arcam Ecclesiæ, vt vita æterna in horreo cælesti tandem perfruantur. Vel congregat animas in horreum cœleste, suoque labori vitam conducit sempiternam.

19. *Vt & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit.*] Hoc est, vt tam Prophetæ ac Doctores veteris Testamenti, quam Doctores noui gaudeant. Videlicet quod fructus, id est, animæ in vitam æternam congregentur. Hoc enim gaudium commune erit tam seminatoribus, quam messoribus. Porro seminatores vocat Doctores veteris Testamenti, messores autem Discipulos; quia quæ illi seminarunt, ipsi messuerunt. Chrysostomus, *In terrenis si alium seminare contingit, alium metere, non simul gaudent; sed alteri dolent, vtpote qui pro aliis laborem susceperint. Soli autem messores gaudent. Hic autem* (id est, in agricultura spirituali) *qui non metunt, quæ seminarunt, eadem lætitia, qua metentes, afficiuntur. Vnde perspicuum est, mercedis esse participes.*

De [illegible] torum ac messorum communi gaudio.

Chrysost.

In hoc enim est verum; Quia alius est, qui metit.] D. Chrysostomus asserit, apud Hebræos Prouerbij loco circumferri. *Alius, qui seminat: alius, qui metit.* Hoc dictum frequens erat quando alius labores, alius fructum reportaret. Alij (ait Dominus) seminarunt, scilicet Doctores veteris Testamenti; alij qui messuerunt, fructumque ex labore eorum perceperunt, videlicet Discipuli. Ideo adiungit; 20.

De prouerbio Hebræorum.

Chrysost.

Ego misi vos metere, quod non laborastis: alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis.] Dixerat Dominus. *Vt & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit.* Quoniam verò in agricultura terræ idem agricola seminat, & metit suas segetes: aliud factum edocet in cœlesti, ac spirituali Iudææ agricultura. Nimirum non seminasse, & messuisse eosdem agricolas. Quod significat his verbis: *In hoc enim*, hoc est, in hac re, in hac agricultura; de qua verba facio, *verum est, Quia alius est, qui seminat: alius, qui metit.* Nam semina diuinæ doctrinæ in Iudæa Doctores legis veteris sparserunt: Christi Discipuli in labores eorum introierunt, segetemque messuere. 21.

Aptatur prouerbium argumento.

§. IV.

De Samaritanis credentibus.

Samaritana alegium. Origen. 22.

EX ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum.] Samaritidem fœminam à Christo effectam Samaritanorum Apostolam Origenes asseruit. *Tanquam Apostola hac muliere vtitur Christus, ad eos, qui in vrbe erant.* Simon de Cassia Euangelistam appellauit. *Christus Samaritanam fecit Euangelistam Euangelizauit enim conciuibus suis Christum.* Audierunt primùm Samaritanam, & crediderunt, *propter verbum mulieris testimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia, quæcumque feci.*] Postea audierunt Christum, fidemque vberiorem animo concepere. Vnde Samaritidi proclamabant: *Quia iam non propter tuam loquelam credimus, ipsi enim audiuimus. Et scimus, quia hic est vere Saluator mundi.* Ac si dicerent, credimus propter verbum tuum; sed iam nunc, postquam Christum conspeximus, & audiuimus: propter illius verba credimus, non propter tua.

Cassia.

Conuersio ciuium Sichar.

Quæstioni committam, num Samaritana fidem veram animo conceperit, postquam à Domino audiuit: *Ego sum Messias, qui loquor tecum*? Respondeo, fidem veram animo concepisse, gratiamque à Christo adeptam esse. Ambrosius serm. 30. *Samaritana relinquens aquæ vasculum, ad ciuitatem non fert hydriam. Sed refert gratiam. Vacua quidem videtur reuerti onere; sed* 23.

An Samaritana crediderit?

Ambros.

Cyrill. *sed plena reuertitur sanctitate.* Cyrillus, *Samaritana cælesti saluatoris gratia, & doctrina plena, ad*
August. *docendos alios continuo fuit profecta.* Augustinus, *Samaritana recepto in cor Christo, quid faceret,*
Theophyl. *nisi iam hydriam dimitteret?* Theophylactus, *Fides cor Samaritanæ occupauerat. Non solum Samaritana credidit, sed etiam alios ad fidem ad-*
Euthym. *duxit.* Et Euthymius, *Samaritana statim postquam didicit, credidit.*

24. Obiecies verba illa: *Venite & videte hominem,*
Obiectioni fit satis. *qui dixit mihi omnia, quæcumque feci, nunquid ipse est Christus?* Videtur fœmina dubitasse. Profecto haud locuta sic, quod dubitaret, sed vt
D. Thom. Samaritanos ad videndum adduceret. D. Thom. *Sub quæstione proposuit, num esset Christus? quasi hoc Samaritanorum iudicio committens. Hic enim*
Euthym. *facilior est suadendi modus.* Euthymius. *Non dixit Samaritana: Venite, & videte Christum, cum tamen crederet esse Christum; ne de huiusmodi re a se ipsa iudicare videretur. Maximum enim videbatur, cognoscere eum, qui expectabatur. Sed alios vocat iudices. Hæsitando loquitur tanquam*
Theoph. *addubitans, vt ab illis detur sententia.* Theophylactus, *Non dicit Samaritana, Hic est Christus, affirmatiuè, sed, Nunquid hic est Christus? volens etiam Samaritanos calculum addere, & facere sermonem creditu faciliorem.* Chrysostomus bæret.

25. *Samaritani rogauerunt eum, vt ibi maneret. Et mansit ibi duos dies.*] Apud ciuitatem Sichar duos dies commoratur, quos doctrinæ impendit: An docuerit eos perspicuè se esse Messiam? Ita planè. Caietanus, *Quoniam dicunt Samaritani, Nos audiuimus, & scimus: manifestant, quod Iesus euangelizauerat eis, se esse Messiam saluatorem mundi; quod nunquam publicè euangelizauit Iudæis, quoad illam particulam: quod esset Messias; propter rationem superius dictam.* An Christus miracula excitarit, ad Samaritanorum conuersionem? satis fuere Christi verba, & internum auxilium ad fidem in auditorum animis gignendam. Crediderunt esse Messiam, & saluatorem, non Samaritanorum tantum, aut Iudæorum; sed mundi. Chrysostomus. *Quam breui nouerunt Samaritani, Iesum orbem terrarum conuersurum, quod ad communem omnium salutem venerit, quod non solis Iudæis eius prouidentia præscriberetur, sed vbique terrarum verbum suum esset disseminaturus. Omnes in culpa esse confitentur. Cum enim dicerent, saluatorem esse mundi, intellexerunt mundi perditi, nec simpliciter, sed in rebus maximis saluatorem. Verè Saluatorem, inquiunt, qui veram salutem elargitur perpetuò duraturam. Mirabiles extiterunt Samaritani, & quod crediderunt, & quod sine signis, & miraculis crediderunt. Verba audierunt tantum, & tam certè locuti sunt. Quid si miracula vidissent? nonne plura, & maiora dixissent? Hactenus Doctor.*

De commoratione Domini apud Sichar. Caiet. Chrysost.

I N

IESVM COLLOQVENTEM

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS

CIRCA LITERAM.

EX SAMARITANORVM CONVERSIONE.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Mirabantur, quia cum muliere loquebatur.

Mirabantur Discipuli, quod Christus Sacerdos magnus Sacerdotum Princeps cum vili haud bonæ famæ muliercula sermonem texeret, ignari mysterij.

Quid sacerdoti cum muliercula impudica? quid Ecclesiæ ministro cum meretricula, dum eius spiritualis salus non geritur?

26. STRABVS profatur. *Non mirantur Di-*
Strab. *scipuli, quod cum muliere loquatur, id enim consueuerat; sed quod cum vili, ac alienigena, ignorantes mysterium Ecclesiæ de Gentibus futuræ.* Augostinus, *Bonum mirabantur, non* August.
malum suspicabantur. Ac si dicerent Apostoli, Bonum planè est, quod intuemur. Christus puritatis totius assertor, cum fœmina loquitur ex mysterio, quod quidem minimè callemus, & ideo in admirationem rapimur. Cum Sacerdos, cum Ecclesiæ minister solus soli alloquitur vili mulierculæ aut mysterium est, aut ingenti subiacet periculo. Miror igitur, quod Sacerdotes, qui Filij Dei non sunt, nec saluti animarum studium expediunt, audeant cum vilibus mulierculis colloqui. 27.

Vicarius Christi Petrus sequitur vinctum Saluatorem. *Sedebat foris in atrio, & accessit ad eum vna ancilla dicens: Et tu cum IESV Galilæo eras. At ille negauit coram omnibus.* Matth. 26. Vbi Strabus, *Per fœminam seductus Adam, per fœminam Princeps Ecclesiæ compulsus negat.*

Petrus ex colloquio cũ vili fœmina titubans cœpit, & miserè corruit, ad Ecclesiasticorum documentum. Matth. 26. Strab.

Non miror cecidiſſe Petrum, petram fragilitate laboraſſe. At me in admirationem arripit, Sacerdotum Principem cum vili fœmina colloquium iniſſe. *Acceſſit ad eum.* Fugere debebat Petrus. Dixit ipſa. Non debuit Petrus reſpondere. Pulchram do Interlinearis Gloſſæ particulam. *Acceſſit vna ancilla, id eſt, titubatio.* Sacerdoti cuilibet vilis quælibet mulier titubatio eſt, periculum eſt. Fugiat igitur ſacer miniſter nunquam cum vili fœmina colloquium gerere niſi ex miniſterij exigentia.

Interl.

28. Audi Samaritidem ex hoc capite commendandam. Domino petenti à fœmina potari, profatur: *Quomodo tu Iudæus cum ſis, bibere a me petis, quæ ſum mulier Samaritana?* Ioan. 4. Qui Domino conſecratus eſt iure ſpeciali, cum meretrice loquitur? cum vili hydriæ ferrula commoratur, & potari ſe poſtulat? Chryſoſtomus, *Anima mulier, in his meretrix laudem quærit.* Ipſæ fœminæ vilitate preſſæ admiratione afficiuntur, dum vident ſacros viros ab earum collocutione non abſtinere, quando non inſtat ſalutis occaſio.

Vel ipſa meretricia vile ſcandalo afficiuntur, dum videat Clericos cum ipſis colloqui. Ioan. 4. Chryſoſt.

29. Nazaræus Ioſephus typum gerebat Sacerdotum ex Auguſtini mente. Hic Ægyptiæ Dominæ ſic profatur: *Nec quicquam eſt, quod non tradiderit mihi Dominus meus præter te, quæ vxor eius es.* Gen. 39. Cur non vſus Ioſeph vrbanitate, fatus: *Præter te, quæ domina mea es?* Vndenam tam auſterus? Iſidorus Peluſ. epiſt. 79. *O virtutem, quæ cæteris quidem omnibus regum in morem; ſola autem voluptate tyrannicè vſa eſt!* Sacerdotum imago cum impudica Domina ſic ſe gerit, ac ſi reputaret ancillam. An cum ancilla, ſeu vili fœmina benignè loqueretur, qui Dominæ vti ancillæ loquutus eſt?

Ipſe homo Deo ſacratus Dominam deſpicit, & fugit quid ſi eſſet ancilla, aut vilis fœmina? Gen. 39. Peluſ.

30. Iſaac Presbyter de Contempl. mundi appoſita expoſuit ſimilitudine. *Sicut nobilis homo cum inebriatur, obliuiſcitur ſuæ nobilitatis, & ſtatus eius exhonoratur, & irridetur pretioſitas eius propter alienas cogitationes, quæ ſuperuenerunt eidem vini virtute; ita caſtitas ſacri viri turbatur ab incauta muliercula locutione: & eradicatur ab iſta omne ſuſtentaculum laudabilis ſtatus ſui.*

Sicut ebrietas deturpat ſtatus nobilis fulgorem, ſic colloquiũ cum vili fœmina ſtatum clericalis dignitatem. Iſaac.

31. An non Sacerdotij ſuſtentaculum firmiſſimum eſt? Adamus de Perſe. Sacerdotium Eccleſiæ firmamentum appellauit. Damianus D. Petrum Eccleſiæ firmamentum eſſe aſſeruit. Porrò ex vilis mulierculæ collocutione Principis Sacerdotum firmitudo contremuit, imò concuſſa fuit. Redeo ad Petrum cum ancilla colloquentem, & do D. Auguſtinum ſerm. 124. de Temp. *Petrus labia puella non ſuſtolit, ſed vbi locuta eſt, ille turbatur. Proceſſit ſermo puellæ, & immobilis columna concuſſa eſt.*

Firmamentũ ſacerdotale corruit ex collocutione cũ muliercula. Adam Damian. Auguſt.

32. Inſtas, Non ſolum firmamentum, ſed Deus ſum Sacerdotali dignitate decoratus, iuxta illud: *Ego dixi, Dij eſtis.* Profectò filij Dei dum aſpectant fœminas terrena vilitate preſſas miſerè depereunt. *Videntes filij Dei filias hominum quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores.* Gen. 6. Dei filij fuêre Sethi nati, queis ſpeciale offerendi Deo munera officium impenſum in ſacerdotalis dignitatis ſimulacrum, ex alicuius mente non inepta. Perit Sacerdotalis Deifica dignitas, deturpatur ex aſpectatione vilis terrenæ fœminæ: quid ex collocutione? Baſilius de vera Virginit. *Sufficit vel modicè nudata pulchritudo, Dei quoque filios ad voluptatem emollire, & quaſi homines eius cauſa morientes, mortales oſtendere.* Crede mihi Sacerdos, homo factus es, dum te vident homines cum homuncionum filiis texere ſermonem.

Sacerdos Dei filius homo fit, mulierculas aſpectans: quid colloquens? Gen. 6. Baſil.

33. Ideò Dominus habitum Sacerdotalem præſcribens ſuis Diſcipulis, fatur: *Sint lumbi veſtri præcincti.* Luc. 12. Vbi D. Fulgentius, *Præcinctos habete lumbos vt fugiatis libidinem.* Mox adiicit Dominus, *Et lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Id eſt, omnium virtutum exercitamenta exponite, iuxta Theophylacti expoſitionem. Cur ergo ſacerdotalis puritas ad fugiendum indicitur priusquam virtutes Sacerdotales exprimantur? Certè quia fuga à fœminis quaſi eſſentialis Sacerdotis conſtitutioni eſt. Haud Sacerdos apparebit, ſi non fugiat libidinem.

Sacerdotalis dignitatis habitus eſt fugere à fœminis. Luc. 12. Fulgent.

Observatio II.

Ad illa verba:

Mirabantur, quia cum muliere loquebatur.

Videntes Diſcipuli Dominum cum ſola fœmina commorari, mirati ſunt putantes magnum ineſſe myſterium.

Monentur viri caſtitatis amatores, cum fœminis fugere ſolitudinem.

Cardinalis Toletus ſic Diſcipulorum admirationis cauſam deſcripſit: *Non mirantur Diſcipuli, cum muliere colloqui Chriſtum, quaſi aliquid ſiniſtrum cogitarent; ſed quia inſolitum erat Chriſto, loqui cum mulieribus, præter eas, quæ coniuncta ſanguine ſibi erant, aut nota. Nec hactenus Chriſtum ignotis cum mulieribus, maximè remotis arbitris, loquentem viderant; propterêaque mirati ſunt, tanquam nouum quiddam, inſolitum, & inſperatum.* Illud adnota: *Maximè remotis arbitris.* Haud decet pudicum ſolum cum ſola colloquium inire. 34. Tolet.

Profectò Diſcipuli videntes Chriſtum, remotis arbitris, cum fœmina colloquentem, ne aliquid ſiniſtrum iudicarent, ad Deificæ maieſtatis eius accurrêre notitiam. Ac ſi dicerent: Deus eſt, incolumis exiſtit, myſterium procul dubio eſt. Sic D. Cyprianus lib. de ſingul. Cleric. loco præſenti vtitur, vt conſortium cum mulieribus à Clericis vitandum eſſe probet. Fatur Pulchrè, *Et vt de Apoſtolis breuiter probem, quantum eis fluxa familiaritas potuit diſplicere, qui compulſi ſunt & de ipſo Domino loquente cum fœmina dubitare; niſi eos maieſtatis notitia probata compeſceret, ſicut Euangeliſta refert, dicens: Inter hæc venerunt Diſcipuli eius, & mirabantur, quod cum muliere loqueretur; nemo tamen dixit illi, Quid quæris, aut quid loqueris?* 35.

Diſcipuli compellerentur dubitare de Ieſu modeſtia, niſi agnoſcerent maieſtatem. Cyprian.

Ad Chriſtum fœmina adducitur de adulterij crimine accuſata; defenditur à Domino *digito qui ſcribebat in terra*, recedunt accuſatores, *& remanſit ſolus* IESVS, *& mulier.* Mox puritatis 36.

Curat Chriſtus vel Iudex adulteram, eam demittere in iudicatam, ne cum ſola ſolus commorari aſpectaretur.

puritatis assertor fœminæ inquit: *Nemo te condemnauit, neque ego te condemnabo, vade.* Ioan. 8. D. Chrysologus serm. 115. *Cum illa accusaretur adultera, auertit faciem suam Dominus & declinauit in terram ne cerneret.* Postquam autem solum se cum sola videt, mox curat fœminam ablegare. *Vade.* Cur ô Iudex innocentissimè sine peccati macula, si non lapidem mittis, saltem non discutis causam, eamque condemnas, vt confusione affecta resipiscat? Crediderim, ne cogatur diu cum sola commorari ad puritatis documentum: *Nec ego te condemnabo, vade.*

Ioann 8. Chrysol.

37. Quæritat Magdalena Domini cadauer, viuum inuenit Saluatorem, properat vt pedes osculetur, Dominus autem prohibet, fatus: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem.* Ioann. 20. An non apud domum Pharisæi Magdalena *osculabatur pedes Domini?* Luc. 7. Cur igitur nunc illam auertis, ne rursum possit pedes osculari? Haud Dominus aufert à Magdalena pij osculi effectum, sed differt. An non dixit? *Præcedam vos in Galilæam, ibi me videbitis.* Cum ergo præsentibus arbitris me tibi exhibuero aspectandum, accedes, osculaberis pedes, non refugiam pij affectus excipere obsequia. At nunc in solitudine non decet diu cum fœmina colloqui. O mirabile puritatis documentum.

Non patitur à Magdalena tangi, dum solitario commoratur in horto. Ioann 20. Luc 7.

38. Mulier illa fluxu sanguinis laborans inclamitans accessit ad Christum: *Si tetigero tantum fimbriam vestimenti eius, salua ero.* Christus autem inquit: *Quis me tetigit?* Mar. 5. Vbi Hugo Cardin. *Quis me tetigit? Quis dicit? Dominus, sciens tamen, quod mulier tetigerat eum.* Accessit fœmina furtiuo ausu, & tetigit Domini fimbriam. At Dominus dixit: *Quis me tetigit?* & non *Quæ me tetigit?* dissimulans se à fœmina contactum. An non aliquando tactus à fœmina? Ita quidem, nec dissimulare contendit; nunc autem dissimulat; quia enim ex. gr. à Magdalena tangitur in domo Pharisæi, aderant arbitri: nunc autem fœmina quasi in solitudine accessit ad Christum, quia remotis arbitris pro furto fimbriam contingere est ausa.

Dum à fœmina sine arbitris attingitur, innuit, se à viro attactum fuisse, ex modestia affecta. Mar. 5. Hugo.

39. Abrahamus dixit Hethæis: *Date mihi ius sepulchri, vt sepeliam mortuum meum.* Gen. 23. Si mortua erat Sara vxor, cur eam terminatione masculina *Mortuum* appellauit; Hugo Card. *Cur non appellat mortuam, sed mortuum? Masculum pro fœmina ponit.* Profectò post mortem Saræ iam dissolutum erat matrimonij vinculum. Vnde videns pudentissimus Abraham se cum solo cadauere fœmina in terra veraciter *solitudinis* diu commoraturum, *mortuum* eam non *mortuam* appellat, quasi puderet eum in solitudine locum cadaueri masculo cum fœminco præparare.

Abrahamum post cõiugij dissolutionem, vxorem appellat mortuum, non mortuam. Gen. 23. Hugo.

40. Confirmo excogitationem ex Luca Episcop. Tudensi, qui hist. miracul. D. Isidori cap. 35. scribit apud vrbem Legionensem Hispanicam adesse Regiam iunctam D. Isidori Templo. Per fenestram Sanctia Regina virgo castissima noctu Diui sepulchrum aspectabat crebro preces profundẽs. Adest oranti Isidorus enixè petens Sanctiam, vt quamprimum Regiam à Delubro semoueret. Causam reddidit Doctor sanctissimus: *Quamuis ipsa virginitatis voto te Deo sacraueris, & ego Deo deuotas semper dilexerim fœminas: tamen nunquam acceptam habui earum mecum solitariam residentiam corporalem.* O exaggerationem viuentes edocentem, quam abstracti esse debeant à solitaria cum fœminis collocutione.

Non patitur Isidorus mortuus in solitario Delubro cũ Sanctia virgine purissima commorari. Lucas. Episcop.

41. Angelus Deiparenti apparet, quæ quidem *turbata est in sermone eius.* Luc. 1. Quænam turbationis occasio; Crediderim, vidisse virginem se solam cum solo Angelo sub specie viri commorari. Vnde quia Iosephus non aderat sponsus, turbatione affecta est, vt exhibeat virginibus documentum. Antipater Orat. de Nat. Ioan. *Non adest Ioseph, voci non assentior. Cum sola prima parente, locutus est ille, qui fuit primus autor malorum.*

Turbatur Deipara quia remotis arbitris, Angelis sub specie vidit adolescentem. Luc. 1. Antipat.

42. Preme particulam, *Cum sola prima parente locutus est ille.* Debuerat Eua sola cum solo serpente minimè commorari, sed ad virum aufugere. Lipomanus, *Tacere debuerat mulier, & protinus indicare marito. Periculosum est, confabulari veteratoribus*, præsertim planè in solitudine.

Eua periit, quia cum solo serpente sola colloquitur. Gen. 3. Lipom.

43. Clemens Alexand. in adhortat. ad virg. adnumerat multas puellas Apollinis carminibus prostitutas, nempè Steropes Arethusas, Zeuxippes, Narpissas, & addit perpulchrè, Daphnem effugisse, quia vidit solam se cum solo Apolline permutam. *Effugit enim sola Daphne & vatem, & vitium.*

Daphne liberatur ab Apolline, quia fugit solitudinem. Clem. Alex.

OBSERVAT. III.

Ad illa verba:

Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abiit, &c.

Post diuturnum colloquium Samaritana conuertitur ad Deum, qui assolet alios peccatores vnico verbo adducere.

Vnde colligo quam difficilè praua circa delicias consuetudo superatur.

44. Asserit Chrysostomus Samaritanæ perfectam esse cõuersionem instantia illa, cum hydriam reliquit: ac si Apostolorum in morem retia ablegaret, vt Dominum sequeretur Apostola. *Sicut Apostoli vocati, dimiserunt retia: ita hæc hydriam, & Euangelistarum opus fecit.*

Chrysost.

45. An non vides difficillimam fœminæ conuersionem; Fatur Dominus Petro & Andreæ, & Ioanni & Iacobo: Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. *At illi continuò, relictis retibus secuti sunt eum.* Matth. 4. Cur ergo Samaritana vocanti Domino mox non respondit, hydriamque velut retia reliquit *continuo*; Profectò quia difficilè admodum praua circa voluptates vincitur consuetudo. Vnde D. Augustinus adnotat, Dominum huic fœminæ *sex proposuisse quæstiones*, vt eam à libidine reuocaret, ad melioremque frugem adduceret.

Sex propositæ fuit Christus quæstiones Samaritanæ, vt eã reduceret ad virtutẽ. Matth 4. August.

46. Christus nascitur, & Angeli concinunt, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus.* Luc. 2. In excelsis Deo gloria ex peccatorum conuersione, & pax hominibus, quia Dominus pacificè incedit, solo verbo expresso triumphum

Alios pacificè Iesus peccatores adduxit, impudicam Samaritanã belligerans debellauit. Luc. 19.

phum agit, haud opus gladio vti. Accingitur gladio, sed non stringit. Zachæum Publicanum curat conuertere, & perficit breui illo sermone: *Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Luc. 19. Cũctos peccatores haud bello indicto adducit. Cur ergo quæstionum certamina ad vnicam conuertendam Samaritidẽ explicat? Difficilè admodũ de libidine triumphus paratur. Bellè Chrysostomus hom. de Samar. tom 5. *Samaritana certamina Christus nobis hodie promulgauit. Accingere gladio tuo super femur tuum potentissimè.* Non quidem vt stringas ad peccatorum communiter conuersionem, sed vt ad vnius Samaritanæ impudicæ reductionem valeas potentissimus ostentare aciem.

Chrysost.

47. Mysticus Saul, *quocumque se vertebat, superabat.* Regem Moab vicit, filios Amon deleuit, Edon milites comminuit, Philisthæos prostrauit. Addit autem Textus, *Congregato exercitu, percussit Amalech, & eruit Israel de manu vastatorum eius.* 1. Reg. 10. Vbi quærit Gregorius, *Quid est, quod contra Moab, & Amon, & Regem Soba pugnasse, & vicisse dicitur: non tamen exercitum congregasse; sed vt Amalech vinceret, exercitum congregauit?* Respondet acutè, *Amalech* seu *populum lambentem* impudicitiæ gerere simulacrum. *Ad extinguendum* igitur *fornicationis spiritum virtus vna non sufficit.* Saul fortissimus vel armis indutus solus non sufficit, curet exercitum comparare.

Saul facilè alios hostes superabat, luxuriem comparato exercitu, comminuit.
1 Reg 10.
Gregor.

48. Multitudo copiosa ægrotorum venerat, *vt audirent eum, & sanarentur a languoribus suis, & qui vexabantur ab spiritibus immundis curabantur; quia virtus de illo exibat.* Luc. 6. Vbi Beda asserit in languentibus omnium ægrotantium turbam annotari: in vexatis autem ab immundis spiritibus exprimi, qui *febre libidinis* corripiebantur. Iam preme particulam, *Quia virtus de illo exibat.* Virtus enim Dei specialissima requiritur ad libidinem comprimendam; cũcti alij facillimè languentes sanabantur: at vt ab immundo spiritu fornicationis pressi liberentur potentissima Dei virtus exeritur.

Vt luxuriæ febris extinguatur, virtus Dei necessaria.
Luc. 6.
Beda.

49. Deus Abrahamo: *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis.* Cui Patriarcha, *Nunquid perdes iustum cum impio? Si fuerint quinquaginta iusti in ciuitate, peribunt simul? Si inuenero quinquaginta iustos, dimittam omni loco propter eos. Quid si minus quinquaginta iustis quinque fuerint? Non delebo, si inuenero ibi quadraginta quinque: Non percutiam propter quadraginta: Non faciam, si inuenero ibi triginta: Non interficiam propter viginti: Non delebo propter decem.* Gen. 18. Cur Abraham non absolutè pro illorum conuersione rogauit, sicut Moyses aliquando inclamitat: *Aut dimitte hanc noxam, aut dele me de libro vitæ* Exod. 33. Profectò quia peccatum Sodomorum luxuries erat, quæ difficile abraditur: inueteratæ namque in voluptatibus conscientiæ quasi impossibilis pœnitudo est. Ait D. Thomas 1. 2. quæst. 73. *Diabolus dicitur maxime gaudere de peccato luxuriæ, quia est maxima adhærentiæ, & difficile ab eo eripi potest homo.*

Abraham non petit, vt Deus conuertat Sodomitas, quasi inconuertibiles: sed vt non extinguat.
Gen. 18.
Exod. 33.
D Thom.

50. Affine huic testimonium aliud Geneseos Noe Dominus ait, *Finis vniuersæ carnis venit coram me, & ego disperdam eos cum terra.* Gen. 6. Vbi ad rem Rupertus lib. 2. de Vict. verbi cap. 9. *Audiuit Noe vir iustus, atque perfectus, & tacet, nullamque precem pro miseris offert, vt Deum teneat, vt iram eius suspendat.* Preces Moyses pro idololatris emittit laudabiliter, & iustus, ac perfectus vir pro toto orbe minimè exorauit? Quare precor? An non Moyses scripserat? *Omnis caro corruperat viam suam.* Cur ergo inutiliter Deus pro impudicis precaretur? Luxuria *maxima adhærentia est, & difficilè ab eo eripi potest homo.* Porrò qui non igitur precasse asseritur prædicator impudicorum centum annorum spatio extitisse, curans monitis, homines à libidinis vitio reuocare futuræ cladis proximæ comminatione. Attamen nihil profecit. Cur ergo pro impœnitentibus de more adhærentis criminis huiusce exoraret?

Noe non rogat pro luxuriosis.
quasi inconuer tibilibus, ex tenacitate huius vitij
Gen. 6.
Rupert.
D. Thom.

Observat. IV.

Ad illa verba:

Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abiit in ciuitatem, & dicit illis hominibus: Venite, & videte hominem, &c.

Samaritana non promittit Christo, se ad meliorem frugem recipiendam: sed facto ipso vitæ mutationi dat operam.

Taxans eos, qui sese promissionibus vacuis deludunt circa pœnitentiam gerendam.

Anselmus, *Nota facilitatem, seu agilitatem peccatricis fœminæ ad pœnitentiam, & duritiem, & procrastinationem nostram.* Pœnitentiam geram, peccata diluam, vitæ corrigam excessus. O coruum in superliminare procrastinationem indicentem! Samaritana reliquit hydriam continuò, sicuti Apostoli retia, (vt asseruit Chrysostomus); neque enim Dominus gaudet promissionibus vacuis, dum potes votum dare executioni. 51.

Anselm.

Antiochus iniquitatibus illigatus, morbo graui corripitur, & à doloribus agitatus *Iudæos quos nec sepultura se dignos habiturum, sed auibus, ac feris diripiendos traditurum, & cum paruulis exterminaturum dixerat æquales nunc Atheniensibus facturum pollicetur, Templum etiam sanctum, quod prius spoliauerat, optimis donis ornaturum, & sancta vasa multiplicaturum, super hæc & Iudæum se futurum, & omnem locum terræ perambulaturum, & prædicaturum Dei potestatem.* An ad cœtum pœnitentium recipitur? *Orabat autem* (præmisit Textus sacer) *hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* 2. Mach. 9. An Deus piissimus peccatores non exaudit? Profectò exaudit, & admittit peccatores veniam postulantes toto ex cordis affectu. At peccatores vacuis promissionibus conclamantes non exaudit, non admittit; quia non verè promittit, qui potens illicò agere, neglexit. Vel Herodotus Gentilis aiebat. *Genus abnegationis est, promittere, te daturum, quod mox* 52.

Antiochus non recipitur ad pœnitentium cœtum, quia promittit, non facit.
2. Mach. 9.
2. Mach 9.
Herod.

mox poteras petenti donare.

53. Promittebat Prodigus ille, se ad Patrem rediturum: *In se reuersus, dixit surgam & ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui in cælum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus.* Luc. 15. An sufficit illi de futura pœnitentia promissio? Minimè, sed protinus iter arripuit. *Et surgens venit ad Patrem suum: Dixitque, Pater peccaui in cælum, & coram te, &c.* Excipitur, venia donatur epulum apponitur, ab inuido fratre defenditur, induitur, annulo, ac calceamentis ornatur. Certè non quia dixit: *Surgam, & ibo* sed quia *surgens venit ad Patrem.* Pulchrè Ambrosius lib. 7. in Luc. *Hæc apud se dixit surgam, & ibo, &c. Sed non satis est, dicere, nisi ad Patrem venias.*

Prodigus non solum promittit sed agit: ideo recipitur à Patre. Luc. 15. Ambros.

54. An putas, te ostendere iam Dei filium ex sola pœnitudinis promissione? Porrò Dei filium præbes, cum agis, non cum promittis inaniter plerumque. Dei filius plus ex facto agnoscitur, quàm ex futura promissione. Cum IESVS gereret de iudicij instantia sermonem, ait: *De illo autem die nec filius hominis scit.* Cur Dominus abnegat se à notitia illius diei abstrahi, si omnia nouit, quia omnia posuit ei Pater in manus? Curat Christus hac exaggeratione à filiorum Dei cordibus promissionis futuræ ablegare prætextum; quasi Dei filios non deceat promittere, sed facere. D. Hilarius Can. 26. *Dei Verbum non sane futuri in se fidem continet, quam facti, ideo extra definitionem futura dies illa posita est.* Ideo Prodigus vt verè possit Deum appellare Patrem, aptéque nuncupari filius: non tam nititur promissione, quam facto: *Surgens, venit ad Patrem, dixitque. Peccaui.*

Te Dei filiū esse ostendes ex facto, nō ex promissione inani plerumque. Hilar.

55. O vos, qui, ablegata seruitute, vultis ad Dei filiationem admitti! attendite, non decere Dei filios promissionem, sed factum. Nunciatur IESV Lazari ægritudo, & ait *Eamus in Iudæam iterum. Lazarus amicus noster dormit, vado, vt à somno excitem eum. Vado,* id est (ex mente D. Basilij Seleuc. orat. 40.) *Vadam.* Mox *dixit eis manifeste, Lazarus mortuus est. Venit itaque* IESVS. Ioann. 11. Cur prius promittit se venturum, *Vadam:* nūc autem sine promissione *venit?* Quia cum de resurrectione hominis apertè agitur non decet Filium Dei promissio, sed factum. Fatur Doctor. *Cum dicebat, Dormit, addidit, vadam, vt à somno excitem eum. Cum vero dixit, Mortuus est, non id adiecit: Vadam, vt eum suscitem. Qua enim re comprobaturus erat Dei Filius, verbis antè dicere noluit: docens, nihil simpliciter oportere promitti.* Si Deus cum agitur resurrectionis mysticæ peccatoris negotium non promittit, sed agit: cum tua gerenda resurrectio, cur promittis? Dedecet Dei filios promissio, cum factum potest illicò exponi.

Edocet, IESVS Dei filios decere factum non de futuro promissionē, dum possunt operari. Ioan. 11. Basil. sel.

56. Imo Dominus Prodigum sine promissione excipit, & amplexatur, quia ipse non promittit, sed agit. *Cum autem adhuc longè esse vidit illum Pater eius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* Luc. 15. An non ad succendendū animum filij ad vberiorem pœnitudinem oporteret, Patrem non abnegare quidem veniam: sed saltem promittere, & differre? Porrò *surgens venit* ille *ad Patrem.* At Pater non promittit illi, qui agit: sed sine promissione excipit eum, qui non promisit inaniter, sed gessit reuersionem.

Dominus non promittit se recepturum filium, sed recepit, quia ipse promisit, & agit. Luc. 15.

57. Confirmo ex Zachæo profante: *Domine, ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Dominus autem, *Hodie salus domui huic facta est.* Luc. 19. Cur non dixit, *Fiet*, sed *est facta?* Quia viro, qui non promittit, se facturum, sed agit, Deus salutem non promittit, sed donat. Ambrosius lib. 11. de Abel, cap. 8. *Festinauit Dominus* (audiens *Do, Reddo.*) *ad beneficium, & ideo non expectauit, vt promitteret, & impleret omnia; sed antea fecit, postea declarauit. Dixit enim, Facta est salus, quia præuenienti seruit* verbum illud (seu respondet) *non promittenti.* Ac si diceret, Christus non promittit salutem se daturum, sed dat; quia morem gerit peccatori non promittenti, sed danti: *Do pauperibus, Reddo quadruplum.*

Zachæus recipitur à Patre IESV, non promissione, quia ille non promittit, sed agit. Luc. 19. Ambros.

Observat. V.

Ad illa verba:

Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, & perficiam opus eius.

Obediens Dominus Patris voluntati, non potest esurire?

Edocet, omnibus abundare eum, qui soli impletioni voluntatis Dei studium impendit.

58. STrabus, *Voluntas Patris est, vt credatur in Filium, quem misit: opus Patris nostra salus. Facit ergo voluntatem Patris, docendo credere in se; facit opus Patris, maturando opus Redemptionis.* Et hic est Christi cibus obedire Patri. Offerunt Apostoli cibus Saluatori, *Rabbi manduca.* At ipse faciens Patris voluntatem, non admittit: quia minimè esurit: voluntati Patris studium qui expendit, omnibus videtur abundare. Quare existimas te mirum in modum apud seculum esurire? Certè quia propriæ voluntatis ditioni hæreseis: Dei præscriptioni non submitteris. Necessum est perfectum diuinæ voluntatis executorem omnibus temporariis (necessariis) ac spiritualibus bonis abundare.

Strab.

59. Eliæ Dominus. *Surge, & vade in Sarephta Sidoniorum, & manebis ibi; præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt pascat te.* Pergit Propheta, adit viduam ligna colligentem. *Da mihi*, inquit, *paululum aquæ in vase, vt bibam. Cumque illa pergeret, vt afferret: clamauit post tergum eius, dicens, Affer mihi, obsecro, & bucellam panis in manu tua.* Quæ respondit, *Viuit Dominus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho; en colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam illum mihi, & filio meo, vt comedamus, & moriamur.* Instat Elias, *Noli timere, vade, & fac sicut dixisti. Verumtamen mihi primùm fac de ipsa farinula subcinericium panem.* 3. Reg. 17. O fœmina fac quod tibi præceptum est. An non Dominus dixit? *Præcepi ibi mulieri viduæ,*

Temporariis subsidiis abūdas vidua, quæ gerens Patris voluntatē, pascit Prophetam. 3. Reg. 17.

vt

ut pascat te, Ergo obediens Patris voluntati, habebis quo pascas: & vt possis pascere Prophetam, viues. *Hydria farina non defecit, & lecythus olei non est imminutus.* Ibid. Patris voluntatem obsequium præstans eius præceptis, geris? Non esuries, quia indè tuus cibus profluet. Rupertus lib. 5. cap. 7. ad libros Reg. *Ve timere non debeas, vt merito spem habeas, vt in æternum viuas. de ipsa farinula mihi primum fac subcinericium panem.* Vt ìtte pascas iuxta Dei præceptum. *Hæc autem dicit Deus Israel: Hydria farina non deficiet, & Lecythus olei non imminuetur.* Nec enim Dei voluntati præstans obsequium poterit esurire.

Rupert.

60\. Præceperat Deus, *Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam.* Præcepto Patris submittitur ille, qui hospitio vagum illum acceperat, de quo Christus. *Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus venit de via ad me, & non habeo, quod ponam ante illum.* Luc. 11. Amicus ergo veniens de via excipitur, vt impleat qui recipit Patris voluntatem præcipientis: *Egenos, vagosque induc in domum tuam.* Vir ergo postquam impleuit Patris voluntatem vagum hospitio recipiendo, ante lucem pro panibus cœlestes fores pulsat. Cur ante lucem panibus petit a Deo donari? Respondet acutè Chrysologus serm. 40. *Plus hic iubentis Dei, quam non habentis hominis verecundia nunc laborat.* Ac si diceret, Postquam iubenti hospitalitatem obediuit, & se panibus egere aspicit, accedit in nocte, ne fortè Deus abnegans panis abundantiam verecundari in luce cogeretur. Vnde Dominus reddidit postulanti panes *quotquot habuit necessarios.* Sequitur enim temporalis abundantia circa necessaria subsidia eum, qui Patris exercet voluntatem.

Cum homo iuxta Dei præceptum suam voluntatem, vagum hospitio recipit, à Deo recipit panum, seu temporalium bonorum abundantiã. Quia verecundia afficeretur Deus quodammodo, si non largiretur.
Luc. 11.
Chrysol.

61\. Pondera verbum illud: *Videte regiones, quoniam albæ sunt ad messem.* Ioann. 4. Mihi Patris voluntatem gerenti cibus à Patre dulcissimus præparatur spiritualis, animarum scilicet salus. Nec enim obedientiæ granum excidit sine fructificationis spe. Arnoldus Carnot. de Oper. sex dier. *Futurum erat per Verbum Dei, quod verbum caro factum est, & habitauit in nobis; vt de semine obedientia virtutum segetes crescerent.* Nam acquirendorum proximorum ministerium virtutum est messis.

Ex semine obedientiæ spiritualiũ bonorum segetes crescunt
Ioann. 4.
Arnold.

62\. In cœlum rapitur Elias, & pallium reliquit Discipulo Elisæo, qui petierat: *Fiat in me duplex spiritus tuus* 4. Reg. 2. Ex mente Chrysostomi, Discipulo pallium relinquitur, cum status Regularis indicitur ei obedientia. *Elia melotes gratia præcepta dissoluit, hæc Elisæum duplicem Eliam fecit.* Quia Regularis obedientia ad perfectionis culmen suum alleuat alumnum, vt virtutum messe possit satiari.

Obedientia regularis duplicata virtutes in suo subdito.
4. Reg. 2.
Chrysost.

Observat. VI.

Ad illa verba:

Videte regiones, quia albæ sunt iam ad messem.

Ecclesia aptè frugum nomine signatur, quæ quidem triticum cum paleis exponunt.

Ne mireris, si multos aspexeris imperfectionibus subiacere obnoxios.

63\. CHrysostomus, *Messis hic indicat multitudinem animarum, seu fidelium in Ecclesia.* An cum Messis indicitur, triticum sine paleis ad horrea transferendum apponitur? Minimè planè, sed inter paleas latitat excutiendum, & repurgandum. Porrò stultus ostentabitur agricola, qui despiciat messis abundantiam, eo quod frumentum abscondatur in paleis. Triticea virtus hic haud potest sine specialissimo Numinis auxilio sine piaculorum aut imperfectionum paleis exponi.

Chrysost.

64\. Dominus, ne scandalo afficiantur Discipuli, dum viderint frumentum virtutum paleis imperfectionum admisceri, fatur: *Ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, Petre ne deficiat fides tua.* Luc. 22. *Vt cribraret?* Quænam Petri tunc paleæ? Certè trina negatio. Et quonam modo inter tam grauium criminum paleas frumenti nomen perseuerat? Vt cum videris sanctorum leuiores imperfectiones haud pungaris scandalo, si Christus velut paleas reputat Petri negationes.

Cum videris iustorum imperfectiones, non pungaris scandalo; paleæ sunt tritici.
Luc. 22.

65\. Mihi credite, duplex est frugum tempus, in area, & in horreo; dum apud aream est, paleis admiscetur frumentum, sine paleis autem in in horreum immittitur. Asseruit D. Augustinus serm. 107. de Temp. Christum esse fidelium suorum & aream, & horreum. An apud Christum poterit fidele granum paleis piaculorum admisceri? Certè dum Christus area est, quasi necessariò frumenti sustinet imperfectiones palearum. Erit horreum, quo triticum purissimum recondatur. *Modo corpus Christi, quod iustis area est, non recusat paleas sustinere; cum tempus aduenerit, reponet triticum, & à paleis segregabit.*

Vel in corpore Iesu cum in stra area est, palea admixta: est horreum nostrũ est, minimè: sed sine palea triticũ
August.

66\. Isaiæ, ex ore Domini, *Ego autem opera eorum, & cogitationes eorum venio, vt congregem.* cap. 66. Cur non dixit, vt discernam, sed, vt congregem? Verbum *Congregare* significat manipulorum ad aream adductionem. Cœlestis ergo agricola venit fideles ad Ecclesiæ aream adducere: non quidem sine paleis imperfectionum triticum; quia status hic area est, non horreum existit. D. Basilius, serm. de humilit. *Si proximum peccantem videris, ne hoc solum ipsius considerabis: sed & quæ fecit, aut facit probè animaduerte. Neque enim Deus hominem particulariter expendit. Ego, inquit, opera, & cogitationes ipsorum venio vt congregem.*

Dominus ut congregat sicut manipulos tritici cum inter paleas.
Isa. 66.
Basil.

67\. Pelagius aduersus fidem insurgebat asserens, posse hominem viuere absque aliqua labe peccati.

Dum Pelagius negat piaculorum paleas esse in Abele, Enoch, Iosue, & Elisao, abnegat eos esse manipulos Dei manu collectos. Hier. Auson.

peccati. At Hieronymus lib. 2. cont Pelag. cum causa fidei erat, vt minuta aliqua peccata in sanctis viris quæreret, profatur, *Quaris vbi Abel; vbi Enoch, vbi* IESVS, *Naue, vbi Elisaus peccauerint? non est necesse nodum in scirpo quarere. Vtinam possent manifesta reticere peccata.* Dic mihi, an Abel, Enoch, IESVS Naue, & Elisæus sint inter fruges, seu manipulos Ecclesiæ adnumerandi? Ausonius Episcopus, *Messis multa, Ecclesia vbertas, cuius manipuli sunt Dei.* Si ergo sunt manipuli, inter paleas piaculorum minutorum planè triticum reconditur. Fortè non aspicis paleas, aptius festucas vocitatim: quia minutissimæ sunt. At abnegare adesse paleas, idem est ac difiteri existere manipulos.

68. Magdalena manipulus erat iam manu agricolæ cœlestis collectus in messe. Totum illa vnguenti alabastrum moriturum profudit in Christum. Imperfectione proculdubio laborabat opus ex vtilitate præstantiori, si pauperibus traderetur. At Discipulis obiicientibus, *Vt quid perditio hac? Potuit enim istud venundari multò, & dari pauperibus:* Dominus profatur. *Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me.* Matth. 26. Vbi Isidorus Pelus. lib. 2. epist. 88. *Quoniam mulier oleum effundere anteuertit, ab ordinatum esse diuina sapientia indicauit, ipsius fidem obterere. Atque ipsius patrocinium suscepit his verbis: Bonum opus fecit. Non enim dixit. Bonum opus factum est* (triticum sine palea) *sed bonum opus fecit. Nec enim ipsum facinus priuatim expendit, verum vna cum mulieris persona.* Ac si diceret: Facinus hoc triticum est, sed quod ex persona mulieris agentis necessariò paleis imperfectionis copulatur. In frugibus enim Ecclesiæ quomodo potest triticum sine paleis reperiri sine specialissimo Dei auxilio, quod Baptistæ, quod Iosepho potissimæ Matris Dei sponso impensum affirmo.

Magdalena manipulus erat laudanda ex opere imperfecto, quia necessarie triticeũ inter paleas delitescit. Matth. 26. Isidor. Pelus.

OBSERVAT. VII.

Ad illa verba:

Ex Ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris: Quia dixit mihi omnia, quacumque feci.

Dum Dominus aperit Samaritanæ sine velamine piacula, illa ad meliorem frugem recipitur.

Hinc edisce, ideo peccatores fortasse non conuerti; quia prædicatores haud apertè vitia taxant, sed inaurare curant.

69. ACutè Chrysostomus, *Cõsiderabãt Samaritani, mulierem non enim grauanter fuisse admiratam, qui eius delicta redarguerat, nisi magnus aliquis esset, & excellens Prædicator.* Solus enim Prædicator excellens assolet auditoribus nudè aperire delicta. Profectò ideo conuertitur Samarites mulier, quia magnus Prædicator Christus ei quæcumque fecerat, aperuit.

Chrysost.

70. Recurre ad colloquij huius initium. Domine, inquit fœmina, da mihi hanc aquam vt non sitiam, neque veniam hùc haurire. At Dominus, *Vade, voca virum tuum.* Illa autem, *Non habeo virum.* Tunc Christus, *Bene dixisti. Quia non habeo virum; quinque enim viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir.* Ioan. 4 Plura audierat, nec affecta fuerat ad gerendã conuersionem ex recessu à secolarium voluptatum aquis. At cum reprehenditur, & manifestè de peccatis arguitur, cõuertitur ad fidem Prophetæ, quem postmodum Messiam agnouit. *Domine vt video, Propheta es tu.* Vbi Chrysostomus, *Postquam reprehensa est, non est contristata, nec abiit: sed admiratur, & profitetur; Propheta es tu. In hoc, quod mihi occulta peccata dicis, te Prophetam agnosco.* Ad Prophetam afficitur, qui tãdem se Messiam esse manifestat Inepta Prædicatorum excusatio. Exasperantur auditores, dum delicta aperiuntur. O seductio serpentis ad animarum ruinã. Non contristantur, sed conuertuntur, aut saltem afficiuntur ad Prophetam, ad Concionatorem: Hic Propheta, qui delicta taxat; tandemque rursum audientes omniò peccato renunciant, seque ad frugem recipiunt meliorem.

Samaritana non conuertitur, donec eius peccata aperiuntur; excipit enim Iesum verũ esse Prædicatorem, & audicat rursus tandem Deum agnoscit. Ioann 4. Chrysost.

71. Curat Dominus, Saolum repentè conuerti, quia vas electionis, vt augustissimum nomẽ ad Gentes portaret: & simul edocere eum, quonãmodo egregius Prædicator ad Deum alliceret auditores. Vnde è suggestu cœlesti clamat, *Saule, Saule, quid me persequeris; Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Act. 9. Mox Saulus Prædicatoris obedientiæ submittitur: *Quid me vis facere?* Cur non Sauli duritiem verbis blãdis emollire contendit? Quia si mox erat conuertendus Saulus, præstandum erat id peccatorum manifesta reprehensione: *Quid me persequeris?* Audi D. August. ad Ps. 103. *Cum Paulus petra adhuc esset in infidelitate aspera, volens iam rigare de superioribus suis, vt flueret repentè aqua in canalem clamauit: Saule, Saule, quid me persequeris?* Mox ille cõuertitur, *quia dixit ei* Dominus, *quacũque fecit.*

Saulus conuertitur illicò, quia ei Dominus dixit, quacumque fecit. Act 9. August.

72. De Euangelij Prædicatoribus Salomon, *Misit sapientia ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia Ciuitatis. Si quis est paruulus, veniat ad me, & insipientibus locuta est. Venite comedite panẽ meum, & bibite vinum, quod miscui vobis. Relinquite infantiam, & ambulate per vias prudẽtia.* Prou. 9. Vbi Paulinus epist. 4. *Vbique capiamus cibum vita, vbique aucupemur verbum Dei, de omnium fidelium Prædicatorum ore pendamus.* Quinam fideles Prædicatores? Certè qui nudè proferunt veritatem. *Relinquit infantiam, &c.* Et quinam obturet aures, se audiendi aures non exhibeat Concionatori fideli, qui vulnera aperit vt adhibere possit medicamina!

Fideles Prædicatores apertè taxant crimina. Prou. 9. Paulin.

73. Infidelis Concionator, qui deaurare peccata non veretur An non diabolum æmulatur? Populi status miserrimus Ieremiæ est ostensus, *Ollam succẽsam ego video, & faciẽ eius à facie Aquilonis.* c. 1. Anima peccatrix olla est vitiorum ardore succensa, peccatorum fæcibus plena. Accedit Propheta seu verus, fidelisque Cõcionator, & clamat: *Mors in olla.* Accedit infidelis Concinnator, siue diabolus, & affirmat ex olla sulphurea aromaticum virtutum profluere vaporem. Iob de diabolo, *Feruescere facit quasi ollam profundũ mare, & ponet, quasi cum vnguenta ebulliunt.* cap. 41. Vbi Gillibertus serm 17. in Cant. *Qualis iste vnguentorum artifex, qui de mortis olla vita vapores exire simulat? Qualis artifex, qui*

Infidelis Concionator diabolum imitatur, dũ deaurat auditorum crimina. Ierem. 1. Iob. 41. Gilleb.

olla succensa faciem quasi ab Austro feruere facis per quam potius ab Aquilone mala exardescant in terra? Ciuitas instar profundi pelagi cœno inficitur, è quo tartarei vapores excitantur, & tu ex olla vnguenta prædicas ebullire? Certè *Propheta es tu*, qui mihi dicis *quacumque feci*, id est, *Mors in olla*. Ac diabolus es, qui operire contendis, & simulare sulphur esse flores. Adiicit pulchrè Abbas, *Certè Propheta est, qui mortem in olla deprehendit, & vapores eius ab Aquilone venire. Sulphurei sunt vapores, quos olla tua carnis succensa euomit, & tu*, ex infidelis Concionatoris seductione, *in illis balsami tibi videris odores sentire*. Vnde non conuerteris, dum ab hoc non auerteris, ex Prophetæ clamoribus, errore.

74. Discipulis Dominos profabatur, *Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi*. Matth 6. Ad hominum condimentum, conuersionem, ac præseruationem sal estis, sed ideo, qoia sol cuncta cordis arcana reseratis, aperitis hominum delicta corripienda. Solis speciem Dominus ostentauit septem illis Episcopis: *Et facies eius sicut sol*. Apoc. 1. Au nou omnium piacula manifestat? *Habeo aduersus te pauca, &c.* Eo Prædicatoris Solis officium, crimina denudare ad correctionem peccatoris. Naxianxenus Orat. ad Patrem suum, *Quemadmodum sol oculorum hebetudinem, imbecillitatemque prodit: ita morbos animæ adueniens Deus coarguis.* Sunt ergo Prædicatores Euangelici lux mundi, qui æmulatores solis IESV morbos animæ ad sanitatem satagunt coarguere.

Sint Concionatores sol aperientes peccata, seu reprehendentes auditorũ excessus. Matth 6. Apoc. 1.

75. Veritas monet auditores, *Ab arbore fici discite parabolam: Cum ramus eius tener fuerit, & folia nata, scitis, quia prope est æstas.* Matth. 24. Asserit Hilarius hæc appositè ad peccatorem dici. Vbi nuditas impudicorum peccatorum viridantibus foliis vestitur vti Adami nuditas perizomatibus operiebatur: tunc propè adest ignis tartarei æstus. *Qui cum tenerescere cœperit, atque frondescere, tunc proxima esse æstas sentietur. Erit enim flos criminosorum, & honor facinosorum, quibus tamen æstus, id est, calor æterni ignis in proximo est.* O quam exitialis auditoribus Concionatorum adulatio! O diaboli æmulatores, cuinam existimatis iudicio subiacere?

Cum Concionator adulator curat auditorum crimina operire, propè est æterni ignis æstus. Matth. 24. Hilar.

PARS ALTERA.

COLLOQVIVM IESV CVM MAGDALENA.

PARAPHRASIS, ET COMMENTARII

literales ad caput septimum Lucæ.

Panegyrici Morales circa literam in Iesum colloquentem.

PROLVSIO.

RVRSVM Mariæ Magdalenæ accurrit Historia, quæ ex plorata Ciuitatis peccatrice pœnitudinis lacrymis in purissimam Agni mutatur Sponsam. Fatur cap. 7. Lucas, *Ecce mulier, quæ erat in Ciuitate peccatrix*. At cap. 8. Mariam appellat? Quare non prius etiam Mariam vocitauit? Respondet Richardus. Laurent. lib. Mariæ nomen necessariò cum puritate virginali coniungi debere. Angelus ait, *Et nomen Virginis Maria*. Luc. 1. Vt virginalis puritas sit quasi essentialis nominis Mariani proprietas. *Bene iungitur Maria & virginitas; quia nomini Mariæ virginitas & sanctitas inseparabiliter sunt adiuncta.* Addit pulchrè, *Quod cum agit beatus Lucas cap. 7. de pœnitentia Magdalenæ, propter huius nominis reuerentiam, non ausus fuit Mariam, sed mulierem nominare. At paulò post scilicet cap. 8. cum dicit eam iustificatam à Domino, vocat Mariam.* An tunc virginitas & Mariæ nomen colligantur? Profectò ea fuit pœnitudinis Mariæ Magdalenæ vis, vt de muliere peccatrice eam fecerit pulcherrima virginea quodammodò puritate nitere, ipsius Dei Matris æmulatricem.

Luc. 7. Luc. 8. Richar. Laurent. Luc. 1.

LVCAS

LVCAS CAP. VII.

PARAPHRASIS.

VERS. 36. ROGABAT IESVM quidam Pharisæus, vt manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi, discubuit.

36. *Pharisæi præ cæteris cognitione legis, & sanctitudinis opinione turgebant. Ex his quidam rogauit Dominum, vt apud se sumeret conuiuium. Nec dedignatus est id facere Iesus, qui nulli sui negabat copiam.*

37. Et ecce mulier, quæ erat in Ciuitate peccatrix, vt cognouit, quod accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti.

37 *Cum autem ingressus domum eius iam accumberet, ecce mulier quædam, quæ in ea Ciuitate erat nota peccatrix, simul atque cognouit, quod clementissimus Iesus, qui nullum repellebat, illic adesset: sibi tota displicens, sed ingenti fiducia de Iesu benignitate concepta, irrupit in ædes Pharisæi. Attulit autem secum delicias suas, pristinæ vitæ, quam oderat, monumenta, delicatum nempe vasculum vnguentorum.*

38. Et stans retrò secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.

38. *Quoniam autem lecti triclinij prohibebant, quominus coram sese prouolueret ad pedes Iesu, stetit à tergo, & quod licuit, cœpit lacrymis pedes illius irrigare, salubriter defœdans oculos, quos olim ad turpitudinem solita est stibio depingere. Lacrymarum imbre lotos pedes, capitis capillis extergebat vt linteo, lotis, & extersis pedibus defigebat oscula, iniungens nardo: vt omnia quondam voluptatis instrumenta in obsequium illius, qui solus amandus, verterentur.*

39. Videns autem Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se dicens: Hic si esset Propheta, sciret vtique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.

39. *At Pharisæus, qui Iesum ad conuiuium vocauerat, conspicatus hæc, cum fauere debuisset mulieri tot indiciis testanti vitæ prioris pœnitudinem: cum amare debuisset Iesu mansuetudinem peccatricem minimè repellentis: ad vtriusque calumniam prouocatur. Sic enim intra sese cogitabat: Hic si esset Propheta, qualis habetur, non ignoraret, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum, est enim peccatrix, notaque impudicitia.*

40. Et respondens IESVS, dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister dic.

40. *Iesus autem, vt certiori argumento declararet, se esse Prophetam, ad tacitam Pharisæi obiectionem respondit. Simon, inquit, habeo, quod tibi dicam. Tum ille, Magister dic.*

41. Duo debitores erant cuidam fœneratori: vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta.

41. *Duo quidam (mentem Dominus parabola expendit) debebant eidem fœneratori; quorum alter denarios quingentos debebat, alter quinquaginta.*

42. Non habentibus illis, vnde redderent, donauit vtrique. Quis ergo eum plus diligit?

42. Cum autem neuter esset soluendo, condonauit vtrique in solidum, quod debebat. Vter igitur horum vehementius tam liberalem debet amare creditorem?

43. Respondens Simon, dixit: Æstimo, quia is, cui plus donauit. At ille dixit ei: Rectè iudicasti.

43. Simon nondum intelligens quorsum tenderet hæc parabola, simpliciter respondit: Mea sententia, vehementius amare debet is, cui plus condonatum. Tunc IESVS *aperiens, cur ænigma proposuisset, ait Simoni, Rectè iudicasti, sed interim inque iudicium tuum applicas.*

44. Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti; hæc autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit.

44. Mox vertit sese ad mulierem ac locutus est Simoni: Vides ne hanc mulierem quam tu peccatricem vocas lacrymis opulentam, sparsis capillis, vnguenti sui, & osculorum prodigam: Hæc argumenta sunt immensi cuiusdam amoris in me. Veni in domum tuam rogatus conuiua, nec aquam dedisti pedibus meis, quod est vulgare humanitatis officium: hæc autem lacrymis pedes irrigauit, suis tersis capillis.

45. Osculum mihi non dedisti: hæc autem, ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos.

45. Osculum mihi non dedisti, quod ex more amico etiam vulgaris amicus impertit: hæc ex quo ingressa est, præ impotenti affectu non desiit pedes meos osculari.

46. Oleo caput meum non vnxisti: hæc autem vnguento vnxit pedes meos.

46. Ne vulgari quidem oleo vnxisti caput meum, quod officij vulgo quibuslibet conuiuis assolet præstari: hæc pedes meos abiectissimam mei partem, pretioso perunxit vnguento.

47. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.

47. Noli perpendere, quantum peccauit: sed considera, quantum amet; charitas enim operit multitudinem delictorũ. Illud affirmo tibi, quod illi remissa sunt multa peccata, quoniam dilexit multum. Porrò cui minus dimittitur, minus diligit. Vos vobis iusti videmini, nec multum habere, quod vobis Deus ignoscat: ideo frigidius condonantem amatis.

48. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata.

48. Hæc locutus Pharisæo Dominus, ad mulierem ait: Remittuntur tibi peccata. O lacrymarum gratissima Domino confessio!

49. Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?

49. At Pharisæi, qui simul accumbebant, IESV *clementiam inuidentes peccatrici, cœperunt tacitis apud sese cogitationibus obmurmurare: Quis est hic, qui tantum sibi sumit, vt auctoritate sua etiam peccata dimittat?*

50. Dixit autem ad mulierem: Fides tua te saluam fecit. Vade in pace.

50. Iudex autem, qui solus nouerat omnium corda, peccatrici patrocinatur, confitentem absoluit, & consolatur. Fides tua operibus ornata te salute donauit, vade, pace vera potire.

SECTIO TERTIA.

Magdalenæ Conuersio.

TEXTVS.

VERS. 36. ROgabat IESVM quidam Pharisæus, vt manducaret cum illo, & ingressus domum Pharisæi, discubuit. 37. Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix vt cognouit, quod accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti. 38. Et stans retro secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Peccatrice in ciuitate.

1. *Contextus.* ROgabat autem illum quidam Pharisæus.] Narrat Lucas peccatricem fœminam ad pedes Christi prouolutam peccatorum veniam obtinuisse. Quonam tempore gestum? Nec indicat Euangelista, nec vllum inuenio locum, è quo colligam. Apud domum Pharisæi cuiusdam cibo corporali Christus reficitur, vt peccatrix fœmina spirituali reficeretur.

2. *Quinam Pharisæus ille?* *August.* *Euthym.* *Tolet.* *Auctoris sententia de Simone leproso.* Quinam ille Pharisæus? Simonem appellatum ex narratione constat. Num fuerit Simon ille leprosus, in cuius ædibus soror Lazari Christum paulo antè passionem inunxit. Alium fuisse asserit Augustinus lib. 2. de cons. cap. 79. Euthymius, Toletus, & alij. Existimo cum Barradio & alijs bonæ notæ Doctoribus eundem extitisse. Allicior quia cum eadem fuerit fœmina, quæ in domo Simonis bis Christum inunxit, videtur idem fuisse Simon, cum quo familiaritatem vel consanguinitatem aliquam habuerit. *Maldon.* *Bonau.* Maldonatus sic ex Bonauentura, vita Christ. cap. 28. In Ecclesiastico officio hæc Antiphona canitur Magdalenæ: *In diebus illis mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quod* IESVS *accubuit in domo Simonis leprosi, attulit alabastrum vnguenti.*

3. *Obiectioni fit satis.* *Hieron.* Obiicies: Simon leprosus à Christo fuit lepra liberatus, asserente Hieronymo ad cap. 26. Matth. tantum ergo miraculum expertus non dubitaret, an Christus Propheta esset. At Simon hic Pharisæus dubitat: *Si hic esset Propheta, sciret, quæ, & qualis est mulier.* Respondeo, etiamsi mira valetudine fuerit donatus, potuisse illa affici dubitatione.

4. *Quonam in loco peracta fæminæ conuersio.* *Maldon.* *Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix.*] Ambigitur, quonam in loco fœmina hæc à Christo peccatorum consecuta fuerit remissionem? Quidam asserunt in ciuitate Nazareth. Plures in Bethania actum existimant. Sic Maldonatus. Nam Simonis leprosi domus in Bethania erat. *Factum est, cum esset Bethaniæ, in domo Simonis leprosi.* Matth. 26. Obstat, quod Bethania non appellatur ciuitas, sed castellum à Ioanne cap. 11. At hæc fœmina in ciuitate ad Christum videtur accessisse: *Quæ erat in ciuitate peccatrix.* Responderi tamen potest, sensum Lucæ esse huiusmodi: Ecce mulier, quæ erat, id est, habitabat in ciuitate videlicet Ierosolyma, peccatrix, cum Bethaniam venisset, quæ Ierosolymæ vicina est, vt cognouit, quod Dominus accubuisset in domo Pharisæi accessit, illiusque pedes inunxit. Appellat autem Lucas Ierusalem ciuitatem per excellentiam. *Cassian.* *Tolet.* Scio nonnullos in ciuitate Naim rem gestam voluisse. Sic Simon Cassianus, quem sequitur Tolet. Nec deest, qui apud Capharnaum potius Magdalenam Christum inunxisse affirmet.

Ego te in dubia, Maldonati opinioni obiicio, Christum nunc agere in Galilæa: Ergo nec erat in ciuitate Ierusalem, nec Bethaniæ: nam in Iudæa Ierosolyma, & Bethania conspicitur. Hinc assero probabilius conuersionem Magdalenæ in Galilæa gestã. Nam Magdalena tunc in Galilæa aderat, post ea delictorum locum reliquit secutaque est Christũ in Iudæam, & habitauit in Bethania. Simõ ergo leprosus non Bethaniæ, sed in Galilæa Christum cõuiuio excepit. Poterat enim tunc in aliqua Galilææ ciuitate commorari. 5. *Auctoris sententia.*

§. II.

De peccatricis fœminæ affectu.

VT cognouit, quod accubuisset in domo Pharisæi.] Vnde nam cognouit? An quia ipsa rogante, conuiuium erat à Pharisæo præparatum? Sic Simon de Cassia lib. 9. cap. 29. *Forsitan ipsa præuenit Pharisæum tanquam sibi familiarem, & cognitum: rogans eum, vt ipse pro discubitu in sua domo rogaret* IESVM. Attamen hærens Toleto, & communi interpretum expositioni, assero fama Christi mulierem iam antea commotam, ac desiderio ad eum veniendi, vt peccatorum suorum remissionem impetraret, flagrãtem occasionem requisisse. Nacta quidem simul atque nouit, in domo Pharisæi illum accubuisse, accurrit, tempus, & locum accommodatum iudicans, vt officium suum, quod expetierat, exhiberet. Sentiebat peccatorum suorum aculeos, Dei gratiam in Christo agnoscebat: ideo nihil eam retardauit, quin ægra cœlestem conuolaret ad Medicum. 6. *Vnde nam cognouerit Christũ accumbere?* *Cassian.* *Tolet.*

Attulit alabastrum vnguenti.] Epiphanius lib. de pond. & mens. ait, alabastrum vasculum vnguenti esse vitreum, libram olei capiens, alabastrũ autem vocatur propter fragilitatem. Aptius asseruerim vas ex alabastro lapide factũ extitisse. Nam Plinio teste lib. 13. c. 22. vnguenta optimè in alabastro asseruabantur. Et apud Tull. lib. 2. Academ. dicitur *alabaster plenus vnguenti.* Significat alabastri nomen ansis carere vas; quia à particula est priuans, & λαβὴ ansa. Porrò fœmina hæc non abs re, sed ex more attulit in conuiuiũ. Erat enim mos, conuiuas inungendi, vt constat ex Christi illa ad Simonem sententia: *Caput meũ non vnxisti.* Et alibi Dominus, *Cum ieiunas, vnge caput tuum.* Mat. 6. ac si cõuiuio exciperens. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum* Cant. 1. Hoc est, dum Rex in mensa accumberet, vnguento ex nardo perfecto eum inungere curaui. 7. *De alabastro vnguenti.* *Epiphan.* *Plin.* *Tull.* *Mos, in conuiuiis vngere.* *Matth. 6.* *Cant. 1.*

Et stans retro secus pedes eius.] Antiqui cibo recumbentes reficiebãtur. Vnde recũbere dicũtur, qui sumebãt cibũ. *Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abrahã.* Mat. 8. *Recũbentibus vndecim Discipulis.* Mar. vlt. Recũbebat ergo 8. *Olim recũbentes reficiebantur.* *Mat. vlt.*

Ant. de Escob. & Mend. Tom. III.

Dominus in lecto à terra sublato, pedibus supra lectum locatis. Quare fœmina non procubuit in genua à fronte; sed à tergo stetit, cœpitque pedes lacrymis irrigare. Non tamen erecta stetit, sed incuruata. Non enim lectus sublatus adeo fuit, vt stans recta, haud incuruata, lacrymis rigare, & osculari pedes potuerit.

9. *Maldonati expositio non admittitur.* Maldon.

Maldonatus sic exposuit: *Stans retro, id est consistens retrò, constituta retrò. Credibile, ait, non est, tam altum fuisse thorum, vt stans recta mulier, pedes oscularetur, & capillis tergeret. Stetisse igitur, id est, constitisse dicitur.* At contra

Iansen.

Iansenius, *Conijcere licet, triclinium more veterum in edito fuisse, ità vt stans attigerit pedes Saluatoris.* Porrò altos fuisse lectos indicat Poëtæ

Virgil.

carmen illud Æneid 2.

Inde thoro pater Æneas sic orsus ab alto.

Opinor igitur fœminam stetisse, sed incuruasse se ad pedibus Domini obsequia prælibanda.

10. *Christi tempore in lectis recumbentes epulabantur.* Philon.

An Christi tempore in lectis recumbentes Iudæi epulatentur? Colligo ex Philone lib. de Ioseph. Vbi de fratribus exceptis conuiuio scribit: *Iussi sunt, sedere iuxta ætatis ordinem. Nondum enim discumbendi mos receptus erat.* Ac si diceret, Iussi sunt fratres Ioseph non discumbere, sed sedere; quia discumbendi mos, qui nostro tempore seruatur, nondum erat. Vixit autem Philo Apostolorum temporibus; Porrò

Luc.22.

Dominus manifestè ad Discipulos: *Ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum.* Luc.22. *Lectos scilicet habens stratos*, vt Barradius exposuit.

§. III.

De quatuor Magdalenæ obsequiis.

11. *Quatuor præcipua Magdalenæ obsequia.*

LAcrymis cœpit rigare pedes eius, &c.] Christi pedibus quatuor præstitit Magdalena obsequia Lacrymis irrigauit, capillis tersit, osculata est, odorifero inunxit vnguento. Adepta erat corporis sanitatem à dæmoniis septem liberata. Luc 8. Marc.16. Nunc animo etiam grauius ægrotanti medicamen adhiberi cupiebat.

De verbo Rigare

Verbum *Rigare* fructum indicat irrigatæ terræ, & lacrymarum copiam, quæ, gemmarum instar, oculos, genasque Magdalenæ exornabant. Magdalenæ accommodo, quod de Dauide

Chrysost.

Chrysostomus profatur hom.30. in Gen. *Quid oculis illis formosius, perpetuo lacrymarum imbre, & quasi margaritarum decore ornatis?*

12. *An caput fuerit inunctum?* Matth.26.

Et vnguento vngebat.] Mos erat, in conuiuiis caput vngere iuxta illud: *Oleo caput meum non vnxisti.* Quamobrem accessit ad Christum *mulier habens alabastrum vnguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis.* Matth.26. Cur ergo mulier hæc pedes Domini accumbentis, non caput inunxit? Maldonatus credit,

Maldon. *Auctoris opinio.*

non solum pedes, sed & caput vnxisse. Verosimilius arbitror, pedes tantum vnxisse, postea verò & pedes & caput. Cum enim Christus omnia sigillatim fœminæ recenset obsequia, capitis etiam meminisset, si vnctum esset. At inquit, *Oleo caput meum non vnxisti, hæc autem vnguento vnxit pedes meos.* An non diceret, inuncto ab ipsa capite: Tu non vnxisti caput, hæc autem non solum caput, sed & pedes inunxit. Porrò Lucæ 7. mutasse videtur Maldonatus, quam Matth. 26. opinionem docuerat. Eo enim loci, cur pedes, non caput vnguento peccatrix imbuerit, rationem reddit; quia illud vnguentum minus pretiosum erat, & capite indignum.

Probabilius assero pedes potius, quam caput inunxisse humilitatis causa, & concepti ex peccato pudoris. Origenes, *Non fuit ausa, ad caput Christi venire, sed lacrymis pedes eius lauit. Quasi vix etiam pedibus eius digna, præ tristitia operante pœnitentiam in salutem stabilem.* Hieronymus, Matth.26. Non poterat statim capite Domini meretrix digna fieri. Addiderim ex Fuluio Vrsino append. de Tricli. pedes in conuiuiis inungi etiam solitos. Id quod ex Athenæo confirmat. 13. *Cur potius pedes, quam caput inunxerit?* Origen. Hieron. Fulu.

Si Dominus calceis vtebatur, quo nam modo pedes inungi potuerint? Respondeo, vsum sandaliis, quæ totum pedem minimè contegunt, atque adeò potuisse fœminam apertas pedum partes inungere. Attamen verosimilius arbitror liberum fuisse mulieri nudis pedibus litare obsequium; quia, vt Fuluius citat. asserit, lectos conuiuales ascensuri soleas deponebant, nè lectos pedibus defœdarent. Quod probat Cracconius lib. de Tricl. ex marmoribus antiquis, & Auctoribus. 14. *An potuerit fœmina vngere pedes calceati Domini?* Fulu.

Et capillis capitis sui tergebat. Non carebat linteis, sed vis amoris præstitit, vt pro linteis, ad extergendum lacrymas, capillis vteretur. Titus Bostr. *Vt per ea aucuparetur sanitatem, per quæ iuuentutem pellexerat ad noxam.* Euthymius, *Ab vnde prius ipsa suam venabatur perditionem ab eisdem nunc venata est salutem.* O fœlicem fœminam, quæ flauos ad Christi pedes crines abiicit: infælix, quæ pulchro Absaloni similis, seipsam suspendit ex crinibus. 15. *Cur tersit capillis?* Titus. Euthym.

Et osculabatur pedes eius. Humilitatis, ac singularis erga Christum amoris argumentum est. Quo etiam (monente Toleto) significabat, se pacem, ac reconciliationem cum eo, quem peccando offenderat, vehementer optare, osculum enim pacis symbolum est; vtque eorum, quæ malè olim amasio dederat osculorum iam pœnitere iudicaret. Euthymius, *Quæ primum fuerunt instrumenta peccati, ea nunc fecit instrumenta virtutis.* Gregorius hom.33. *Ore superba dixerat, sed pedes Domini osculans, hoc in Redemptoris sui vestigia figebat.* Ad hæc Chrysostomus hom.6. in Matth. *Ea, quæ in secreto mentis agitabat, multo erant feruentiora iis, quæ extrinsecus faciebat, multoque maiora, quæ tantummodo Deus ipse cernebat.* 16. *Cur pedes osculatur?* Tolet. Euthym. *De affectu interno.* Chrysost.

§. IV.

An peccatrix hæc mulier fuerit Maria Magdalena Lazari soror?

NOn fuisse, hisce rationibus asseritur. Maria soror Lazari nobilis erat fœmina, ergo non est credibile publicè fuisse peccatricem. Habuit sororem virginem Martham, & Lazarum, qui nullatenus Magdalenam infami vitio deturpari paterentur. Maria soror Lazari ex Bethania erat, Ioan.11. Nam Magdalena à Magdalo oppido Galilææ prope lacum Tyberiadis sito, oriunda fuit. At in Iudæa mulier illa conuertitur. Ergo non est Magdalena. Magdalena à septem dæmoniis vexabatur. Luc.8. quos ab illa expulit Dominus. Certè à 17. *Sententia negans septem fulcitur rationibus.* *Prima ratio.* *Ratio secunda.* *Ratio tertia* Luc. 8.

dæmoniis

dæmoniis vexatam fœminam homines fugerêt, nonamarent. Magdalena familiariter Christum sequebatur. Luc. 8. ministrans ei de facultatibus suis. Minimè autem decorum erat, fœminam paulo antè publicè impudicam Domino ministrare, & cum illo, ac Discipulis familiariter agere. Lucas capitis septimi fine mulierem peccatricem ad Christum venisse, peccatorumque remissione donatam asserit; mox autem capitis octaui initio de Maria Magdalena tanquam de alia penitus diuersa scribit. Dixit in fine capitis septimi Dominus ad mulierem. *Fides tua te saluam fecit, vade in pace.* Mox initio capitis octaui, *Et factum est deinceps & ipse iter faciebat, &c. Et mulieres aliqua, &c. Maria, qua vocatur Magdalena.* Narrat fœminas aliquot Christum esse secutas, illique de facultatibus suis ministrasse, inter quas numerat Magdalenam. Ergo non erat illa peccatrix. Peccatrix fœmina Gentilis fuit, Magdalena autem Iudæa. Gentilem fuisse probo, quoniam meretrix erat, meretrices autem esse Iudæas fœminas lege prohibitum. *Non erit meretrix de filiabus Israel.* Deut. 23. Spiritus sanctus voluit nesciri nomen peccatricis, idcirco illud Lucas subticuit; ergo etiam nunc ignoratur. Si enim scitum frustra illud silentio Euangelista pressit.

Ratio quarta. *Luc. 8.* *Ratio quinta.* *Luc. 8.* *Ratio sexta.* *Ratio septima.*

18. Origenes tract. 35. in Matth. asserit Mariam Lazari sororem haud esse hanc peccatricem. Tres enim fœminas credit vnxisse Christum, sororem Lazari Ioan 12. alteram Matth 26. ac Marc. 14. peccatricem autem, de qua agimus Luc. 7. Subscribit Euthymius, & Theophylactus fatus. *Ego credo iis, qui dicunt tres fuisse mulieres, qua Dominum inunxerunt, vnam quidem apud Ioannem, qua soror fuit Lazari, aliam apud Matthaum, & Marcum, & tertiam illam, de qua Lucas, scilicet peccatricem.*

Sententia adstruens tres fœminas. Origen. Ioan 12. Matth 26. Marc 14. Euthym.

19. Chrysostomus hom. 81. in Matth. existimat peccatricem hanc fœminam non fuisse Magdalenam sororem Lazari. Duas enim vnxisse Dominum putat fœminas, alteram peccatricem, de qua hic Lucas, & Matth. 26. & Marc. 14. alteram autem Lazari sororem. *Hac mulier vna, & eadem apud omnes Euangelistas esse videtur. Meo autem iudicio eadem est apud tres Matthaum, Marcum, & Lucam Alia vero quadam, & mirabilis Lazari soror apud Ioannem.* Heter Titus Bostr. & Hieronymus fatus *Nemo putet eandem esse fœminam, qua super caput effudit vnguentum, & qua super pedes. Illa enim & lacrymis lauat, & crine tergit, & manifestè meretrix appellatur. De hac autem nihil tale scriptum est.*

Sententia duas fœminas asserens. Chrysost. Matth 26. Marc 14. Titus. Hieron.

20. Dubitat Augustinus tract. 49. in Ioan. & Bernardus serm. de Magd. Quod verò soror Lazari non fuerit Maria Magdalena defendit noster Turrianus in explanationibus libri tertij constitut. Clem cap. 6. *Erant, (inquit Clemens) nobiscum Maria Mater Domini, & sorores eius, & Maria Magdalena, ac Maria Iacobi, item Martha & Maria sorores Lazari, & Salome, &c.* Hanc opinionem tribuit etiam Turrianus Machario Ægyptio homil. 12. censetque Mariam Magdalenam fuisse peccatricem, Mariam verò aliam sororem fuisse Lazari.

Sententia dubitantiū Patrum. August. Bernard. Turrian. Machar.

21. Assero tamen peccatricem Lazari extitisse sororem. Augustinus lib. 2. de cons. cap. 79. Gregorius lib. 6. epist. 22. Imperfectus hom. 15. Rupertus Ioan. 12 Beda, Toletus, Maldonatus, Barradius. Cornelius, & alij. Porrò est sententia hæc non solum recepta à Doctoribus, verum ab ipsa Ecclesia. An Spiritus sanctus permissurus esset, sororem Lazari tam ingentis infamiæ nota ab Ecclesia commaculari? Probo apertè ex Ioanne. *Maria erat, qua vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis, cuius frater Lazarus infirmabatur.* Cap 11. Toletum do sic confirmatem. *Probabilissimum est, & omnino tenendum, vnicam fuisse mulierem, & hanc, qua dicitur peccatrix, & Mariam sororem Martha, & Lazari. Quod non solum ob auctoritatem Augustini, & Gregorij, multorumque aliorum recipi debet, sed etiam quia tota Latina Ecclesia id confitetur, & vt vnam veneratur eam, qua peccatrix nunc dicitur, & qua soror fuit Lazari. Canit in Hymno, Maria soror Lazari. Qua tot commisit crimina, &c.*

Asseritur peccatricem fuisse Lazari sororem Mariam Magdalenam. August. & alij. Ioan 11. Tolet.

Argumentis oppositæ sententiæ respondebo. 22.
Ad primum assero Magdalenam publicam meretricem non fuisse, sed deliciis impudicitiæque addictam, idque palam, quod in fœminam nobilem cadere potuisse nemo inficiabitur. Nec verò vel frater Lazarus, vel Martha soror obstare potuerunt, præsertim cum illa ab eis discessisset, alibique in Galilæa habitaret. Appellatur hæc fœmina à Patribus meretrix Chrysostomo, Gregorio, Hieronymo, Augustino. Porrò meretrix dicitur, id est, impudica. Satis erat nobili fœminæ vt peccatrix, ac meretrix diceretur, si viri alicuius nobilis concubina existeret, toto vidente, & sciente populo.

Prima rationi respondeo. Chrysost. Gregor. August.

Ad secundum, affirmo, Mariam Lazari sororem habitasse quidem in Bethania, Ioannes enim cap. 11. Bethaniam oppidum appellat Mariæ & Marthæ. At habitauit quoque anteà in oppido Magdalo, à quo Magdalena est appellata, quoniam viro illius oppidi incolæ nupserat, asserentibus Iansenio, & aliis: addenteque Antonino oppidum Magdalum hæreditate coniugali illi obuenisse, vnde ab oppido nomen Magdalenæ potuit acquirere. Certum illud, in Galilæam venisse, indéque Christum Iudæam vsque fuisse comitatam. *Erant ibi mulieres multa, qua secuta erant* IESVM *à Galilaa ministrantes ei; inter quas erat Maria Magdalene:* Matth. 27. Itaque Maria in Galilæa nupsit, ibique postquam vir obiit, impudicitiæ addicitur amasio tradita. A IESV conuersa illum secuta est, Galilæam reliquit, & in Bethania cum Lazaro, ac sorore Martha habitauit. 23.

Secunda rationi satisfacio. Matth 27.

Tertiæ obiectioni respondeo, Magdalenam à septem fuisse dæmoniis Dei misericordia agitatam, vt impudicitiæ nuncium remitteret. Iis expulsis à Christo, peccatorum pœnitentiam animo concepit, diuinisque pedibus aduolata, remissionem impetrauit. Impudica autem fuit antequam à Dæmoniis vexaretur. Cum ergo venit ad Christum, iam à dæmoniis libera accessit. Crediderim, Magdalenam ipsam à Simone Pharisæo familiari, vel consanguineo petiisse, vt Christum inuitaret, vt posset magni beneficij largitori illis charitatis officiis gratiam persoluere. 24.

Tertia soluo.

Ad quartum, defendo, non fuisse indecorum, fœminam, cuius à dæmoniis liberatio, pœnitentia, vitæque mutatio nota erat, Christum sequi, illique ministrare. Imò gloriosum Saluatori, obiicere aspectantibus & humani 25.

Quartam infirmo.

 affectus,

affectus, & diuinæ charitatis, ac pietatis documenta.

26. *Quinta non urg.* Respondeo ad quintum: Lucam nomen Mariæ siluisse, quia in fine capitis septimi peccatricem appellauit: initio autem capitis octaui nomen aperuisse, quia opus laude dignum commemorabat, videlicet Christo ex facultatibus propriis ministrasse. Sacræ paginæ peruium, delictorum auctores suppresso nomine recensere.

27. *Sexta, ac septima coruunt.* Ad sextum assero peccatricem fœminam nec fuisse gentilem, nec scortum, sed impudicitiæ labe laborasse. Ad septimum verò, Spiritum sanctum noluisse, à Luca nomen peccatricis aperiri, vt edoceret nos, crimina proximi charitatis velamine obtegere. Itaque ex Lucæ Euangelio noluit, nomen peccatricis sciri; ex Ecclesiæ verò festo, & Doctoribus voluit agnosci, cum iam prælapsa crimina conuersa erant in commendationis materiam, ob charitatem fœminæ, quæ multitudinem peccatorum operuerat.

28. Obiiciunt denique aliqui: Maria Magdalena Christum sequebatur, il[l]que ex suis facultatibus ministrabat. Luc. 8. At soror Lazari Maria cum Martha sorore habitabat in Bethania, neque illi ministrauit, sed secus pedes sedit. Luc. 10. Ergo diuersæ sunt mulieres. Respondeo, Mariam sororem Lazari Christum sequi solitam in Galilæa, & Iudæa: aliquando tamen Bethaniam reuersam. In Bethania ergo erat cum Christus Bethaniam venit. Inde tamen ad sequendum Dominum discedebat. *Obiectio aliis respondetur.* Obseruo, non dixisse Euangelistam illo cap. 10. Christum esse exceptum à Maria, sed à Martha. *Mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam.* Ioan. 10. Quasi domus illa non esset Mariæ, quippe quæ Christum sequi solebat, Christum solum curabat. Quamobrem ad pedes eius se contulit, vt loquentem audiret, cibi præparatione Marthæ sorori relicta. Nam velut hospitio excepta simul cum Domino sorore, non curabat prandij studere præparationi. Scio huic sententiæ multa alia obiici posse, & nonnullos recentiores plusquam par est audaces opposuisse; quæ tamen facile ex præfatis soluuntur.

IN
IESVM COLLOQVENTEM
PANEGYRICVS MORALIS TERTIVS
CIRCA LITERAM.
EX MAGDALENÆ CONVERSIONE.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix.

Præstantissimum diuinæ potentiæ IESV documentum fuit, peccatricem esse conuersam. Ideo Euangelista præmisit particulam, *Ecce.*

Profectò mihi præstantius argumentum est, vt Christum Dei Filium profitear, conuertisse ad se peccatores, quàm mortuos suscitauisse.

29. Tolet. TOLETVS, *Particula ecce, attentionem excitat. Ecce communi tempore mulier pœnitentia lacrymas miscet; quia peccanti omne tempus est ad pœnitentiam aptum. Ecce in domum Pharisæi, qui mundiciem, & sanctitatem profitebatur* Barrad. *Magdalena conuersio miraculum?* *peccatrix ingreditur, quia quem verè pœnitet, præsentiam iustorum non refugit, apud quos peccata grauiora apparent.* Aptius autem argumento nostro Barradius sic expressit particulæ vim: *Ecce mulier. Est enim omnium virorum omniumque mulierum mirum exemplum. Ecce mulier admirabilis, pœnitentia insignis. Ecce mulier illa fortis. Mulierem fortem quis inueniet? Prou. 31. Ecce mulier, quæ fecit confusionem in domo Nabuchodonosor, id est, dæmonis. Iudith. 14. Procul, & de vltimis finibus pretium eius. Prou. 31. Rara res Magdalena, rara illius pœnitentia, rarus in Deum amor.* Tam rara, tam mira peccatricis fœminæ pœnitudo, vt Christi diuinitatem perspicuius manifestet, quàm mortuorum suscitatio. Prou. 31. Iudith.

Dauid exactus persecutionibus, Augustino attestante, Christum Dei Filium expressit. Postquam potuit Rex Saulem hostem horribilem interimere, & pepercit, vt verè gereret personam illius, qui profaturus erat: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* Matth. 5. humili admodum voce profatur: *Quem persequeris Rex Israel? Canem mortuum, pulicem vnum.* 1. Reg. 24. Porrò Moyses Christi imaginem præferens lapidem suscitauit mortuum; (vt cum Adamo loquar) fecit enim eum aquas viuas emittere, & auulsum à rupibus populum comitari. Quæsierim quinam horum augustius Christi Deitatem expresserit? An Moyses mortuum saxum (sic dixerim) vita donans; an Dauid lacrymas ex peccatoris pectore eliciens? Profectò Dauid mirabilius Christi expressit Deitatem. Maius etenim potentiæ diuinæ argumentum est, peccatorem conuertere, quàm 30. *Plus mirabile est Saulis conuersio, quam mortui saxi resurrectio.* 1 Reg. 24. Matth. 5.

(marg.: ...ſoſt.) quam mortuos ſuſcitare. Chryſoſtomus, *Non perinde miror, Moyſem quod e ſaxo fontes elicuit aquarum: vt admiror Dauidem quod ex oculis lapideis fontes eduxerit lacrymarum. Quoniam ibi vicit naturam, hic autem animum decretum.*

31. Adnotabam ego à Domino adoleſcentem ſuſcitatum, & continuo traditum *matri ſuæ*. Luc. 7 Mox Magdalenam conuertit, & ſecum adduxit; ex propriis enim facultatibus Domino miniſtrabat. Lazarum ſuſcitat, & illico Diſcipulis imperat, *ſoluite eum, & ſinite abire.* Ioan. 11. At Zachæum conuertens, eum ipſo manet, & ex Doctoris non indocti ſententia, ſecutus fuit Zachæus Saluatorem. Cur ergo mortuos ſuſcitatos dimittit, peccatores autem conuerſos adducit? Profectò vt ſint Chriſti Deitatis auguſtiſſimum documentum. An non reſurrectio defunctorum Deitatem Chriſti exponit? Ita planè, ſed conuerſio peccatorum mirabilius adhuc manifeſtat. Chriſtus rem impoſſibilem omnino, ac repugnantem expreſſit cameli per foramen acus introductionem. At dum Zachæus conuertitur, camelus verè ſtricto oſtium patens inuenit in foramine. *Excepit illum gaudens.* Luc 19. Beda, *Ecce camelus per foramen acus tranſit; id eſt, relicto diuitiarum amore, benedictionem Dominicæ ſuſceptionis accepit.* Vt igitur teſtes diuinæ IESV potentiæ præſententur, aptius Dominus ſecum curat conuerſos peccatores afferre, quam mortuos ſuſcitatos.

(marg.: Plus Chriſti commendauit Zachæi conuerſio, quàm Lazari, aut filij viduæ reſſuſcitatio. — Luc 7. — Ioan 11. — Luc. 19. — Beda.)

32. Chryſoſtomus videns Chriſtum Cruci ſuffixum, vulgaremque vocem audiens: *Si Filius Dei eſt, deſcendat nunc de Cruce, & credemus ei:* Quæritat, quare tunc Dominus mortuum aliquem non fecit adduci, vt in hoſtium conſpectu ad vitam reuocaret, apertè ſe Dei Filium oſtenderet. *Non enim* (hom. de latr. tom. 2.) *illo in tempore mortuum aliquem reddidit luci.* Profectò aliud exhibuit auguſtius ſuæ Deitatis documentum. Aſſerit enim Lucas, vnum è latronibus eſſe conuerſum. *Memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum.* Cap. 23. Vbi pulchrè doctor, *Latronis mentem auerſam voluit commutare, vt ex omni parte eius Diuinitas ſentiretur.* Cum mortuos ſuſcitat, ex vna parte Deitas euulgatur. Cum cæci vident, ex alia oſtenditur, &c. At cum peccator vnus conuertitur, ex omni parte Chriſti Diuinitas præſentitur.

(marg.: In cruce Ieſus ſe oſtendit apertius Dei Filium, dum latro conuertitur; quàm ſi mortuos ſuſcitaret. — Chryſoſt. — Luc. 23.)

33. Audite Vatem dulciſſimè præcinentem. *Quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas, labia mea laudabunt te.* Pſalm. 62. *Miſericordia tua*, id eſt, benignitas illa, qua me peccatorem à tartaro reuocaſti. Hæc melior eſt ad tuam Deitatem proferendam, quam vitæ redditæ Lazaro, viduæ filio, aut Principis filiæ. Euſebius Emiſſ. hom. 3. de Paſch. *Bene dicitur: Melior eſt miſericordia tua ſuper vitas. Meliores enim ſunt dies, quibus ad æternam vitam renaſcimur, quam illi, quibus in hæc tempora iam procreamur. Siquidem maiora ſunt dona gratiæ, quam naturæ. In gemino Dei noſtri opere ibi vel virtutis, hic muneris eſt: Ibi potentia, hic miſericordia continetur; prima natiuitate,* (& reſurrectione) *terrenis ingredimur; ſecunda cæleſtibus præparamur. Meliores ergo ſunt dies illi, quibus liberamur; quam illi, quibus in vitæ huius particula naſcendo,* (aut reſurgendo) *producimur.* Ergo quod melior eſt melius conditoris exprimet Deitatem.

(marg.: Melior eſt ad oſtendendam Filij Deitatem eius miſericordia operatis in conuerſione peccatorum, quàm corporeorum reſtitutio. — Pſalm. 62. — Euſeb. Emiſſ.)

Fateor, reſurrectionem corporum ad Filij Dei gloriam adſtruendam operatam fuiſſe iuxta illud: *Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro maiori gloria Dei, vt glorificetur Filius Dei per eam.* Ioan. 11. Pretoe, *Sed pro maiori gloria Dei.* Ergo maior gloria, ſiue ſuprema exundauit in Chriſtum apud homines ex Lazari corporali reſurrectione. Profectò maior iſta gloria à reſurrectione peccatoris ſpirituali, à conuerſione ſororis Magdalenæ ſuperatur. Pulchram do D. Rupert lib. 2. de Oper. Spir. ſanct. c. 28. ſententiá. *Oportebat quempiam electorum corporaliter mori pro maiori gloria Domini, vt per reſſuſcitationẽ eius glorificaretur Filius Dei vocando illum de monumento. Permiſſus eſt itaque Lazarus mori non ad mortem, ſed pro maiori gloria Dei. Oportebat nihilominus, quempiam electorum ſpiritualiter mori itidem pro maiori gloria Dei, vt ſcilicet per conuerſionem eius glorificaretur Filius Dei, dimittendo illi peccata multa. Permiſſa eſt ergo Lazari ſoror mori in peccatis, non ad mortem, ſiue ad interitum æternum: ſed pro maiori gloria Dei.* Itaque Lazarus moritur & reſurgit pro Dei gloria maiori; ſed Magdalena delinquit, & conuertitur pro adhuc maiori Filij Dei gloria. 34.

(marg.: Reſurrectio Lazari permiſſa eſt pro maiori Dei gloria; ad conuerſio Magdalenæ ceſſit pro adhuc Dei gloria maiori. — Ioan 11. — Rupert.)

OBSERVAT. II.

Ad illa verba:

Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix.

Magdalena appellatur Meretrix, non quia ſcortaretur: ſed quia nobilis mulier vni amaſio ſe tradidit.

Porrò quod eſt communi fœminæ omnibus ſe indifferenter tradere, eſt nobili ad infamiæ notam, vel ab impudicitiæ actione ſe ſe maculare.

VIdiſti in Commentario, Magdalenam à Patribus appellari Meretricem. Gregorius hom. 33. in Euang. *Conuertit Magdalena ad virtutem numerum criminum, vt totum Deo ſeruiret in pœnitentia, quidquid ex ſe Deum offenderat in culpa. Itaque facta eſt meretrix honeſtior virginibus.* Et Chryſoſtomus hom. 6. in Matth. *Illa in Euangelio meretrix Virgines quoque ipſas honeſtate ſuperauit.* At meretricem minimè extitiſſe oſtendi, ſed vnici viri nobilis amaſiam. Cur ergò meretrix appellatur? Certè quia vel vnica actio impudica nobilis mulieris ſufficit, vt à vulgo ſcortatio poſſit appellari. Vnde Patres morem gerentes vulgari opinioni, eam meretricem vocauere. 35.

(marg.: Gregor. — Chryſoſt.)

Olim equidem *vnus de filiis Iſraël intrauit coram fratribus ſuis ad ſcortum Madianitidem. Quod cum vidiſſet Phinees filius Eleazari, ſurrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione ingreſſus eſt poſt virum Iſraëlitem in lupanar, & perfodit ambos ſimul.* Porrò ſacer Textus aperit, quinam illi fuere. *Erat autem nomen viri Iſraëlitæ, qui occiſus eſt cum Madianitide Zambri filius* 36.

(marg.: Scortum vocatur fœmina Madianites nobilis, ob vnicã impudicitiæ publicam actionem. — Num. 25.)

Salu,

Salu, Dux de cognatione, & Tribu Simeonis. Mulier Madianites, quæ pariter interfecta est, vocabatur Cozbi, filia Sur Principis nobilissimi Madianitarum. Num.25. Filia ne Principis scortum erat, in lupanari morabatur exposita cunctis? Difficilè credam. Cur autem si non erat scortum, à sacro Historiographo *scortum* appellatur. Certè quamuis corpus non tradidisset illa communi impudicitiæ, sufficit se vni tradidisse, sciente populo; vt scortum veraciter vocaretur. Num quod in communi, seu vulgari fœmina singulare delictum est, quod non inducit famam meretriciam: in nobili sufficit, vt à vulgo putetur scortatio? Assero saltem mirum in modum aggrauari impudicitiæ crimen ex nobilitatis circunstantia. Igitur cum Cozbi filia Principis delinquit vel semel cum vnico viro nobilissimo scortum est, eius domus vertitur in lupanar.

37\. Quæsierim, cur post narratam impudicitiæ Historiam Textus sacer tàm accuratè & viri, & fœminæ expressit nobilitatem? Præmiserat, *Morabatur eo tempore Israel in Settim, & fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua.* Num.25. Non dixit ingressos Israëlitas ad scorta, sed ad filias Moab: Postmodum autem adiicit, ingressum Israëlitam ad scortum. Vt autem exprimeret, quare tam graui censura affecisset illam Madianitidem, quam vocauit scortum: explicat fœminæ nobilitatem. Ac si nobilis impudica fœmina dignior sit acriori persecutione, seu censura.

Acriori censura a vulgo afficitur fœmina nobilis impudica, quam vulgares. Num.25.

Damian. Petrus Damian. epist.6. ad Nicol. secundum. *Post digestam fornicationis, & dignæ vltionis historiam, quid opus fuit Moysi, vt genealogiam fornicatricis exprimeret, & eam nobilissimi Principis filiam esse narraret: Nisi vt diceret carnales illecebras in eminentioribus personis acrius persequendas.* Vulgares fœminæ impudicæ Moab filiæ vocitentur; at nobilis fœmina lasciuiæ addicta appelletur scortum. Vt acriori censura ac persecutione afficiatur fœminæ nobilis intemperantia.

38\. Iudith proclamat, *Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione sua, & denudauerunt femur virginis in confusionem.* Cap.9. O fœminarum prudentissimam! Quo iure innuis Dinam scortum extitisse? An alienigenæ cuncti ipsam denudauerunt? Minimè, sed vnus Sichem. Cur ergo & denudata dicitur, (quo quidem vocabulo scortatio indicator, fante Periandro Comico Græco: *Vidi ex egestate plures denudatas*, id est, communi libidini addictas.) & alienigenæ plures asseruntur illam violasse? Profectò nobilissima fœmina sciens nobilem Dinam vel vnico Sichem libidinis illectamenta ministrasse: haud dubitat de illa veluti de meretrice loqui. Libido etenim ex fœminæ nobilitate nimium exaggeratur.

Vel virgo Dina quodammodo meretrix habetur, ex vna vi ab vnico illata Sichem. Iudith 9. Periand.

39\. Ioanni Angelus, *Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ. Et abstulit me in Spiritu in desertum, & vidi mulierem sedentem supra bestiam coccineam. Et mulier erat circundata purpura & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso.* Apoc.17. Vbi Mariana ex Patribus, Romam asserit significari. *Vidi mulierem, hæc est Vrbs Roma.* De qua meritò Paulus Orosi. lib.2. Hist. cap.1. *Hic Christianæ Religionis continentissima æquitas.* Si continentiæ virtus ex Christianæ Religionis legibus puritatis in Roma, cur sub nomine meretricis magnæ exprimitur condemnandæ? Profectò taxatur Roma ex quo capite principes viri, aut fœminæ luxuriei vitio maculantur. *Purpura* fœmina circundatur? Ita planè. Quid ergo cum purpura meretricio nomini? Quia eo ipso quod fœmina nobilis ac purpura digna ex clarissimo sanguine luxuriei nota inuritur, meretrix magna potest deprædicari.

Purpura impudicitia sedata quodlibet crimen vel vnicum eam ostentat meretricem. Apoc.17. Marian. Orosi.

40\. Hinc acutè Chrysologus de Magdalena Lazari nobilissimi sorore profatur: *Non peccatrix Magdalena solum, sed totius ciuitatis facta fuerat ipsa peccatum.* Peccatum totius ciuitatis facta quomodo? Quia ex nota libidine quasi exposita toti ciuitati existimabatur. Faustus cecinit.

Nobilis Magdalena peccatū totius ciuitatis, quasi omnes cum illa commixti essent. Chrysol. Faust.

Nil scortum est aliud, nisi Augusta. O subdola Siren,
Quæ trahit humanum sub vada cæca genus.

Quidam illius Interpres asserit conditum carmen in fœminam nobilissimam, quæ magno Vrbis scandalo vni viro Principi colligata impudicè erat. Sufficit fœminæ nobili vni colligari, vt scorti notetur appellatione, quasi totam Vrbem, imò totum humanum genus traxerit in impudicitiam. Igitur Magdalena totius ciuitatis peccatum fit, cum vel vnico illigatur amasio; quia nobilis fœmina ob singulare crimen videtur cunctis à ciuibus fuisse corruptam.

OBSERVAT. III.

Ad illa verba:

Vt cognouit, quod IESVS *accubuisset, attulit alabastrum, &c.*

Cognitio, seu meditatio IESV accumbentis in mensa Eucharistica sufficit, vt impudica Magdalena nuncium remittat voluptati.

Alliciantur ad frequentem Communionem, qui luxuriei flamma absumuntur.

Asserit Anselmus, ex cognitione Magdalenam venia meruisse donari. Ex quanam cognitione? Cognouit Dominum accumbentem. O quàm aptè Dominus accumbens luxuriei extinguens incendium menti obiicitur. Ideo Magdalena ad conuiuium materiale ingressa, spirituale conuiuium inire curabat ex mente Chrysostomi, siquidem *verum panem vitæ amplexa est.* Mihi credite, nullum excogitari posse efficacius medicamen contra libidinis morbum, quam Eucharistiæ epulum. Si cogitata Eucharistia fecit Magdalenam voluptatibus renunciare: quid efficeret ipsa cibi participatio? 41. Anselm. Chrysost.

Seruierat Iacob quatuordecim annis pro dilectissima Rachele seruiturus mille, si posset. Pergit ad Palæstinam & *mortua est Rachel, & sepulta* 42. *Apud domū panis Eucharistici*

Amor licitus hominis refrigeſcit: quid illicitus. Gen. 35. Hieron.

pulsa eſt in via, quæ ducit Euphratam, hæc eſt Bethlem. Gen. 35. Quid Bethleem niſi domus panis? Apud domum panis ardentiſſimi moriuntur, & ſepeliuntur amores. Hieronymus lib. 1. in Iouin. *Illa quondam dilecta coniux, pro qua ſeruierat, iuxta Bethleem, in qua erat virginitatis præco naſciturus, à filio doloris occiditur.* Quidnam, precor, occidi dilectam coniugem à filio doloris iuxta Bethleem, niſi animum dolore affici, quod amaretur creatura ab eo, qui cœleſtibus poterat expleri voluptatibus. Si caſtus ignis erga creaturam extinguitur à filio doloris, ſeu contritionis huiuſce; quid non extinguantur flammæ libidinis à potentiſſimo Duce virginitatis?

43. Mulier illa, quæ ſanguinei fluxus ægritudine laborabat, curauit Chriſti fimbriam attingere in præſentiſſimum languoris medicamen. *Si tetigero tantum fimbriam veſtimenti eius, ſalua ero.* Matth. 9. Profectò pio attactu ſanitati reſtituta eſt. Myſticè Gillib. ſerm. 1. in Cant. *Felici furto attigit fimbriam* IESV, *& ſtatim ſtetit in illa fluxus ſanguinis, fluxus carnalis illecebra, carnalis delectationis.* Et quidem illa fimbriam tetigit in ſpecierum ſeu velaminum Dominicum corpus operientium ſimulacrum. Libidinis habitus ſacro epulo ſiſtitur.

Fluxus ſanguinum impudicitiæ ſiſtit Eucharistia fimbriæ attactu. Matth. 9. Gillibert.

44. Aſſerit Paulus, Corinthios quoſdam luxoriæ igne conſumi. *Auditur in vobis fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes.* 1. Cor. 5. Vbi Mariana exaggerat Corinthiorum impudicitiam. *De Corinthiorum luxu multa prouerbia, vt illud: Iſtum non indignatur Corinthius; tum Corinthiari, de eo, qui luxuria eſt deditus. Ita vt vxorem patris ſui aliquis habeat. Siue concubinam.* Vtrumque ſignificat γυνὴ, & vtrumque vetitum Leuit. 8. ad vxorem, & concubinam patris accedere. Profectò Corinthij tanta impudicitia preſſi in virginem Chriſti mutantur ſponſam. *Deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* 2. Cor. 11. Vndenam tam mirabilis immutatio? Certè ex deſpóſatione cum Chriſto, quæ fit ex Eucharistiæ participatione. D. Proſper de Promiſ. p. 2. cap. 15. ſic de impudicis Corinthiis: *Sed tales etiam ſua gratia* IESVS *noſter Dominus ſuſcipit ad ſalutem; Diuinitate illa potentia ſua fornicariam, virginem facit.* Preme particulam, *Sua gratia.* Certè *Eucharistia* idem ac *Bona gratia.* Tales ergo ſua gratia IESVS ſuſcipit ad ſalutem, & fornicariam Magdalenam virginem facit, dum ipſa bonam gratiam ſuſcipere aggreditur.

Corinthij impudici, ſponſi conuertuntur in virgines Eucharistico epulo. 1. Cor. 5. Marian. 2. Cor. 11.

45. Zacharias appoſitè, *Quid enim bonum eius eſt, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Cap. 9. Ad quæ Ioannes Mariana, *Hebraice eſt, quod bonum eius, & quod pulchrum eius. Frumentum & vinum iuuenes germinabit virgines, id eſt, pulchros faciet optimum alimentum. Aliqui per frumentum, & vinum Eucharistiam intelligunt.* O iuuenes exitiali flamma conflagrantes accurrite ad epulum ſacerrimum potentiſſimum planè, vt in virgines conuertat.

Iuuenes fiūt virgines Eucharistico mero. Zach. 9. Marian.

46. Porrò qui abſtinet ab Eucharistico cibo, miſere cogitur adulterio contaminari. Proclamat luxuries, vt iuuenum corda illigaret, calicéque potaret exitiali: *Non eſt vir in domo ſua, abiit via longiſſima.* Prou. 7. Voluptas introducitur? Ergò Chriſtus receſſit. Nam ſi Chriſti adeſſet conſortium, ſi fœmina conuiuium nuptiale ſoiret, haud daret ſtudium voluptatibus. Ambroſius lib. 2. Apol. Dau. cap. 3. *Meritò virum ſuum dicit abſentem; quoniam non poteſt adultera omnis Chriſtum habere præſentem.* Si præſentia Chriſti ablegat impudicitiam: quid ſacerrimi epuli participatio? Teſtor Samaritanam, quæ adultera ſine Chriſto erat: *Et ille, quem nunc habes, non eſt tuus vir.* Ioan. 4. Præſente autem Domino, inter pudentiſſimas virgines computatur.

Qui abſtinet ab hac menſa, haud mirū, adulterio laborare. Prou. 7. Ambroſ. Ioan. 4.

47. *Omnis caro corruperat viam ſuam.* Geneſ. 6. Vnde mundus fœditate impudicitiæ grauatus expetit oſculo IESV in Eucharistia donari: *Oſculetur me oſculo oris ſui: Oleum effuſum nomen tuum, ideo adoleſcentulæ dilexerunt te.* Cant. 1. Homines enim impudiciſſimi Eucharistico epulo virginitatis decore emicant. Ambroſius ad Pſalm. 118. ſerm. 1. Poſtquam homines donati ſunt Eucharistiæ epulo, Dei oſculo, caſtitatis pignore: poſtquam hominum labia ſanguine ſalutari rubeſcunt: *Qui totus immundis impuritatibus fœtebat mundus, nunc ſpirat vbique ſuauitatis pudicitiæ vnguentum, florem integritatis.*

Dum labia Eucharistia donantur oſculo, mundus corruptiſſimus puriſſimus mutatur, in virgines. Gen. 6. Cant. 1. Ambroſ.

Observat. IV.

Ad illa verba:

Vt cognouit, quod IESVS *accubuiſſet.*

Magdalena conuerſioni illico, vt cognouit, ſeu audiuit Dei vocem, ſtuduit, haud differre curauit.

Quia illud ipſum, mox non exequi Dei vocem pænitentiam monentis, idem eſt, ac præcordia obdurari.

Magdalena conuerſioni dedit operam, *vt cognouit*, vt Dei vocem vocantis audiuit, ac ſi Regis Vatis meditata eſſet carmen illud: *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Pſalm. 94. Id eſt, nolite differre conuerſionem. Cur ergo non manifeſtè dixit, *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite differre*, ſed *Nolite obdurare corda?* Certè quia idem plerumque eſt differre pœnitentiam, cum à Domino inuitaris, ac præcordia obdurare, nè cum velis, ſiue potius te velle præſumpſeris, haud velis vt oportet ad ſalutis conſecutionem. 48. Pſalm. 94.

Excitat Auſonius mentem ad illuſtrem excogitationem. *Cuncta animantia vt periculum, aut diſcrimen mortis poſſint repellere, maximè obnitantur. Exemplum exhibeo in homine fluuij obruto aut pelagi vndis: quid non ille præſtat, vt valeat a naufragio liberari?* Eadem præſtitiſſe eos, qui fluctibus damnationis agitantur ſæpe vidimus. Ad Confeſſarium accurrunt, peccata euulgant, reſtitutionem faciunt; & tamen ſine medicamine depereunt. Quare precor? Quia licet videntur, velle liberari, obdurato corde, vere non volunt. Iam exhibeo Abſalonis tragœdiam. *Ille ſuſpenſo inter cælum & terram, mulus, cui inſidebat, pertranſiuit.* 2. Reg. 18. Vbi Abulenſis q. 12. *Multa acciderunt Abſaloni hic,* 49.

Abſalon gerit peccatorum differētis pænitentiā, imaginē; videtur velle liberari, ſed nō vult. Auſon. 2. Reg. 18. Abul.

à qui

à quibus posse liberari videbatur. Nam potuisset tenere equum, nè intromisisset subter quercum ramosam. Etiam postquam introiuit, & alligati sunt capilli eius, poterat ipse tenens mulum, soluere illos & fugere. Poterat capillos amputare, vel si non habebat gladium, poterat manibus tenens arborem, illos soluere, sed nil horum fecit. Omnia hæc procurasse non dubito; quia *cuncta animantia, vt discrimen mortis possint repellere, maximè obnituntur.* Attamen videtur non verè præstitisse, id est, non ea diligentia, quæ ad liberationem requirebatur. O pœnitentis extra occasionem simulacrum! Vocaris à Deo, & vt cognoscis, non conuerteris; postea videberis tibi gerere necessaria ad salutem, & non verè præstabis. Vt possit de te proclamari: Cum hæc omnia faceret, *nihil horum fecit.*

50\. Iudas non semel à Domino vocatur; profatur Christus in horto. *Iuda, osculo* Filium hominis tradis? Matth. 26. *Iudas* idem est, ac *Confessio.* Quasi diceret Dominus, confitere, pœnitentiam age. Negligit miser. Postmodum autem *pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos, & ait Principibus Sacerdotum, Peccaui, tradens sanguinem iustam, & abiens, laqueo se suspendit.* Matth. 27. En pœnitentia ducitur, & crimina confitetur; & malè parta restituit, quod valde est difficilè auaris. Attamen mirè periit. Vndeoam ille damnatur? Certè quia nec verè eum pœnitet, nec ritè confitetur, aut aptè restituit. Obduratum enim cor licet videatur sibi gerere conuersionem, id minimè præstat; quia audientem Dei vocem non respondere, idem est ac obdurato corde, omnia fictè præstare plerumque. Origenes, *Si opportunitatem pœnitentia requisisset, fortè inuenisset.* Quænam ista opportunitas? Cum audiuit vocem Saluatoris, *Confessio.* Distulit, & obdurauit præcordia adeò, vt visu sibi pœnitere veraciter, non eum pœnitebat.

Iudas cum videtur velle agere pœnitentiam, non vult agere; quia audita voce, obduratus est differens. Matth. 27. Origen.

51\. Audit sponsa vocem Domini; *Aperi mihi sponsa mea.* Illa renuens respondet, *Spoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* At postmodum *surrexi,* inquit, *vt aperirem dilecto meo: Pessulum ostij mei aperui dilecto meo, at ille declinauerat; quæsiui, & non inueni illum; vocaui, & non respondit mihi.* Cant. 5. Cur quæsitus non comparuit sponsus? Crediderim, quia non verè quærebatur. Creaturarum commoditatem requirebat sponsa. Martinus Del Rio appositè, *Quo pacto inuenias, ò anima, in creaturis, quem res nulla creata potest exprimere.* Ergo videtur sibi aliquando anima Deum exquirere affectuosè, & potius quærirat creaturas. Clamat vti Iudas, *Peccaui,* sed non propter Dei dilectionem, sed ob temporaria fortassè incommoda. Vndenam animæ miseræ tanta calamitas? Porrò dum audiens Dei vocem distulit, consequenter cor obdurauit, vt dum quærit, non quærat: dum videtur pessulum aperire, potius claudat affectu.

Cum videtur anima quærere Dominum, non requirit; quia audita voce distulit aperire. Cant. 5. Del Rio.

52\. Prophetica voce monitus Dauid, illico respondit, *Peccaui Domino.* Non distulit ab *hodie* in crastinum, nè obduraretur. Vnde clamat, *Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Psalm 6. Vbi D. Ephrem tract. de Pœnit. *Dauid vna nocte peccauit, & quotidie lacrymatus est.* Cur quotidie? Ne vllus elaberetur dies sine fructibus pœnitentiæ, vt liberaretur ab obdurationis clade, si *hodie*, seu vna die audiret Dei vocem: & differens præcordia obduraret.

Dauid blandus ad pœnitentiam quotidianã, quia hodie audiuit, non distulit. Psalm 6. Ephr.

Audiuit Latro inspirationis vocem, & mox proclamit: *Memento mei, Domine, dum veneris in Regnum tuum.* Luc. 23. Audiuit & Latro socius, sed non respondens periuit obduratus. Eusebius Emiss. hom. de Latro. pulchrè, *Latro nec salutis tempora sciens distulit: nec remedia status sui in momentu vltima infelici fraude posuit: nec redemptionis sua in desperationis nouissimum reseruauit.* Preme proximam particulam, *In desperationis nouissimum.* Profectò idem est, audita Dei voce hodie, ad nouissimum tempus differre pœnitentiam; ac inire desperationem cum Iuda proditore. 53.

Latro audiens, non distulit, nè desperatione obduratus laqueo periret. Luc 23. Euseb. Emiss.

OBSERVAT. V.

Ad illa verba:

Attulit alabastrum vnguenti, & stans retro, &c.

Magdalena nuncium voluptati remittit, cum poterat indulgere voluptati.

Taxans eos, qui ex impossibilitate peccandi curant agere (haud semel fictam) pœnitentiam.

Magdalena vnguenti attulit alabastrum, capillos exposuit ad obsequium, quibus pridiè iuuenes illigabat, quasi proclamitaret: Dum adhuc possum inseruire libidini, puritatis addicor ditioni. Cæsarius Arelat. hom. 7. Nec ipsa se reseruauit, vt in fine vitæ suæ, seu senectute, *pœnitentiam ageret. Sed dum adhuc poterat peccare, sic voluit peccatu deserere; vt illam de adulteriis suis non impossibilitas subtraheret, sed voluntas.* 54.

Cæsar. Arelat.

Cainus de fratricidio arguitur. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Et quid abnegauerat, *Numquid ego custos sum fratris mei,* tandem profitetur. *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear.* Gen. 4. Vbi Chrysostomus, *Sufficiens confessio Cain, sed intempestiua.* Quare intempestiua? Quia excitata *ex impossibilitate negandi.* Non profiteretur, nisi conuictus esset. Pœnitudo autem, quæ ex impossibilitate peccandi exoritur, omnino à Domino reprobatur. 55.

Caini pœnitentia ficta, quia ex impossibilitate negandi. Gen 4. Chrysost.

Nabuchodonosor vidit arborem succidendam, cuius germen in pœnitudinem reseruatur. *Succidite* (clamat Vigil) *arborem, & præcidite ramos eius: excutite folia eius, & dispergite fructus eius. Verum tamen germen radicum eius in terra sinite.* Dan. 4. Porrò Princeps ad meliorem frugem se recepit. Assero pœnitudinem & conuersionem Regis in viridi germine fuisse expressam. Cur non potius in trunco senescenti, & siccitate affecto? Quia verax pœnitudo tunc gerenda, cum homo potest adhuc peccatis indulgere. Cum viget, cum donatur viriditate, tunc vtiliter virtuti litatur. Pulchrè rem expendit Richardus Victor. lib. 1. de Erud. inter. 56.

Verax pœnitentia in viridi germine non in trunco veteri assignatur. Dan 4. Richard. Victor.

inter. hom. cap. 5. *Tarda quidem nimis prouidentia eſt, cum iam pericula, aut vitia vitare non potes. Fœlix ille, qui preuidere poteſt ruinam imminentem, dum adhuc paſſionibus ſuis indulgere poteſt.*

Arbor commendatur illa quæ profert fructus pœnitentiæ, non quæ proferret. Pſalm. 14. Chryſoſt.

57. Truncum vis litare virtuti & germina iniquitati? Vereor, ne dierum malorum inueteratus occumbas. Cum cantatiſſimus ſit ille Pſalmorum titulus: *In finem*: decimoquarto Pſalmo non apponitur. Quare precor? Reſpondet Chryſoſtomus, *Quoniam docet de iuſtitia, & reliquis virtutibus, propterea non præſcribitur, In finem. Ne cum iuuentutem peccato tranſferit floridam; truncam, grauidam, & eneruatam ſenectutem virtuti reſeruet.* Audiendus Vates. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam. Qui loquitur veritatem in corde ſuo, qui non egit dolum in lingua ſua. Nec fecit proximo ſuo malum, & opprobrium non accepit aduerſum proximos ſuos,* &c. Concludit Dauid pulchrè, *Qui facit hæc non

Epiſcop. Chryſopol.

commouebitur in æternum.* Pſalm. 14. Ea Epiſcopo Chryſopolitano. *Non dixit, Qui faciet,* ſed, *Qui facit.* An danda peccato florens, ac viridis iuuentus, & ſenectus trunca litanda virtuti?

Latro pœnitens, cui adeſt ei peccandi poteſtas. Luc. 23.

Obiicis, latronem beatum ad Dominum
58. accurriſſe, cuio impoſſibilitas adhæſit delinquendi. Qui ergo latronem precantem. *Memento mei Domine, dum veneris in Regnum tuum.* audiuit, & excepit: me ſenem admittet. Non inficior, quia dum viuens peccator veniam verè poſtulat, à Domino venia donatur. Attamen aſſeruerim plerumque pœnitentiam in trunca ſenectute aſſolere ea impoſſibilitate peccandi ortum ducere. Ad obiectionem autem reſpondeo, latronem pœnituiſſe, cum aderat ei delinquendi poteſtas. An non ſocium audiuimus improperia in Dominum congerentem? Dum ergò Latro beatus proclamat, *Et nos quidem iuſtè.* Non ne poterat cum ſocio clamitare: *Si filius Dei eſt, liberet ſemetipſum, & nos?* Luc. 23. Ergo ex interno affectu, non ea peccandi impoſſibilitate confeſſus eſt.

Iudæ pœnitentia ex impoſſibilitate delinquendi. Matth. 27.

Quid de Iudæ pœnitentia attexam? *Pœni-*
59. *tentia ductus, retulit triginta argenteos, & ait Principibus Sacerdotum, peccaui, tradens ſanguinem iuſtum.* Poſt pœnitudinem, poſt reſtitutionem factam, poſt doloris ſigna expoſita, abiens miſerrimus *laqueo ſe ſuſpendit.* Matth. 27. Vndenam pœnitentia Diſcipuli proditoris claudicat. Affirmat Rupertus Iudam egiſſe pœnitentiam ab impoſſibilitate peccati ducens affectum. Tunc enim eum pœnitet, cum ſuum conſilium irritum cognouit. *Memoriam* IESV *omninò extinguere concupierat*: cum autem ducto ſolo IESV ad mortem vidit Diſcipulus relictos, ſacra Euangelicæ meſſis ſemina: *Prorſus deſperauit.* Proditorem imitaris, qui potens nunc crimen, affectumque tuum executioni dare non conuerteris, differens in tempus, quo volens non poteris. An caſtitas tua Domino æſtimabilis obiicietur, dum trunca ſenectus nulla viriditate ornatur? Quàm prudens Magdalena, quæ *ſic voluit peccata deſerere, vt illam de adulteriis ſuis non impoſſibilitas ſubtraheret, ſed voluntas.*

Rupert.

60. Abel obtulit Domino agnum, id eſt, ſe-
Cainus offert ipſum adoleſcentem myſticè litauit. Cain autem

ſuam ſibi reſeruans adoleſcentiam, *Factum eſt poſt multos dies, vt offerret de fructibus terræ.* Gen. 4. *Poſt multos dies* ſeſe terræ fructum vilem obtulit miſer, id eſt, ſenectutem oſſeam Domino conſecrauit. Quare Deus *reſpexit ad Abel, & ad munera eius, ad Cain autem, & ad munera eius non reſpexit.* Ibid. Imò iratus Cainum oſſeum addicit damnationi. Liceat tem fabellam expendere, quam refert Viues lib. 10. de ciu. cap 8 Prometheus duos boues mactat, vtriuſque oſſa animantis vnius corio tegit, carnes vero corio alterius recludit. *Tunc oſſeam* illam molem corio tectam altari approximat; carneam aliquanto ſeparatam reſeruans At Iupiter doli neſcius, ſibi proximiorem in ſacrificium delegit. Porrò ablato tegmine, inuenit ſola inutilia oſſa; quo iratus ignem homini abſtulit, nè vllum valeret offerre ſacrificium, quo Diuis placeret. Cain itaque ætatis florem cum dederit nequitiæ, *poſt multos dies* oſſa arida Deo vouet. O quam iuſtè ab huiuſmodi ſacrificulo ignis aufertur, nè poſſit placare Deitatem: Super Cain autem, & ſuper munera eius non *reſpexit.* Alij, *Non inflammauit.*

pœnitentiam litat miſer, Abel carneã maturam fœlix. Gen. 4.

Ludouic. Viues.

OBSERVAT. VI.

Ad illa verba:

Lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis, &c.

Huiuſmodi pœnitudinis portentum penè cœpit in Magdalena, & in ea quodammodò terminatur.

Nè dum videris peccatorem magnum fuiſſe venia donatum, fallaci fortaſsè ſpe affectus audeas adhùc indulgere peccatis.

CVr Euangeliſta particulam *cœpit* addidit? Vt oſtendat omnino inſolentem, ſeu mirabilem Magdalenæ conuerſionem. Poſtquam fuit in *ciuitate peccatrix*, nuncium remittens voluptatibus noxiis, pedes Domini irrigat lacrymis, capillos in linteum exponit, pedes oſculatur, inungit aromate. Ergo licet peccatis multis alliger, venia tandem donabor. O animam virginem ſtultam potiùs dixerim meretricem! Nimium ne fidas, ex pœnitudine mirabili peccatricis. Hæc enim *cœpit*, id eſt, quodammodò fuit prima, ſeu potius vnica, nec ſequentem fortaſsè habebit. Haud dubium, quin Dominus peccatorem reuertentem excipiat? ſed quis ſcit, num veræ ſit pœnitudinis donandos affectu. 61.

Si Magdalenam, ſi Petrum, ſi Paulum, ſi 62.
Matthæum, ſi Latronem, ſi Zachæum pœnitentem imitaueris, à Domino benigniter excipieris. At reprobabilem arbitror illam nimiam peccatorum confidentiam: Quemadmodum Magdalenæ, Petro, Paulo, Matthæo, Zachęo Latroni veniam impendit: dabit & mihi, ad conuerſionemque opportunitatem. Menand. Græcus aiebat,

Non datum omnibus fœlicitati naſci,
Quæ vni vel alteri præparata eſt.

Cum videſ, ex abundantia gratia peccatores magnos conſpuiſſe, non ideo minimum fidas te eiuſdem gratia donandum.

Menan.

Ergo stultè videtur tibi Latronis beari futurum te imitatorem. Nam Latro ex abundantia misericordiæ Dei post tot flagitia venia donatur. Ait Paulus, *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Rom.5. Vbi D. Cyrillus Ierosl.Cat.13. asserit Apostolum id de bono Latrone protulisse. *Admiratus est te, ô Latro, Paulus dicens: Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.* O mirabilem (ait Paulus) Latronem, qui post tot delicta venia est donatus. Id planè ex gratiæ mirabilis abundantia. Et putas te similiter mirabili gratia superabundanti donandum? Rarum est, quod mirabile est. Et confidis, te infallibiliter consecuturum, quod Apostolum sapientissimum in admirationem abripit?

Rom.5. Cyril. Ierosl.

63. Notasti, solum Lucam Latronis conuersionem expressisse? Matthæus non solum eam silentio inuoluit, sed & asserit Latroné vtrumque blasphemias protulisse: *Id ipsum & Latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* Cap.27. Marcus autem, *Et qui cum eo crucifixi erant, conuitiabantur ei.* Cap.15. Ioannes denique, *Crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc: medium autem* IESVM. Cap.19. Quare solus Lucas conuersionis Latronis scripsit historiam? Respondet doctissimus meus condiscipulus R. P. Didacus Nyssenus ex illustriss. D. Basilij Familia. *Ne ostium falsis securitatibus aperiatur: Consequar, quod Latro consecutus est.*

Solus Lucas exprimit Latronis cōuersionē, vt exprimat conuersionis huius modi raritatem. Luc.23. Matth.27. Mar.15. Ioan.19. Didac. Nyssen.

64. Ex Petri trina negatione fortè quis speret post multiplicata crimina, Ecclesiæ eligendum in fundamina. An semper vel in Apostolis multiplicata post crimina Dei venia fulgurat? Peccauit Petrus, admittitur pœnitens; Iudas autem pœnitentia ductus non admittitur, quia ineptè doluit. Non ex vnius Apostoli venia confidas, vt delinquas vlterius; sed ex alterius casu time, ne æterno tradaris exitio. Iudas sit tibi Lucifer, siquidem à Christo hac notatur appellatione: *Vnus vestrum diabolus est*, & cum Ruperto lib.2. in Gen. cap.3. clama, *Quid mihi faciendum pulueri, & cineri; cum ille summus Angelus tam magnus, ita terribiliter proiectus est?* Exsurges vt Petrus. Imò fortè vti Iudas sine medicamine deiiciar.

Non ex Petri casu confidas, vt delinquas; sed ex Iuda ruina à criminibus fuge. Rupert.

65. Vidisti viatorem inter Ierosolymam & Iericho vulneribus actum? Hunc Samaritanus Christus delictis planè innumeris morti addicendum excepit, & medicamine donauit. Ergo pergo ad latrones vulnerandus, & sine dubio sanandus. Quisnam tibi promisit Samaritanum accessurum? Scis ne an toto ex cordis affectu te clamaturum vt veniat? Quoties in Euangelio legisti Samaritanum cœlestem ad vulneratum hominem properasse? Bachiarius de recip. laps. *Vos, qui sine vulnere estis, non solationem plagæ illius deferre tentetis. Nolite esse sine formidine, fratres.* Percussus ille sanitate donatur, & percussi vos fortè morti addicemini.

Non excitemini ad peccādū ex vulnerato à Samaritano salute vestitato: semel enim venit ille Samaritanus ad percussum à latronibus. Bachiar.

Nec enim semper Samaritanus venit ad vulneratos, quia non semper vulnerati toto ex corde proclamant, vt veniat.

OBSERVAT. VII.

Ad illa verba:

Et stans retro, lacrymis, &c.

Retrò stat verecundiæ diro vulnere affecta, vt pudoris martyrium litet Saluatori.

Pudor enim perpetrati criminis apud nobilis animi præcordia diri vulneris superat grauitatem.

LVbet rogitare, cur Magdalena non procurrerit ad faciem Saluatoris anxia, sed post tergum steterit? Respondet D. Gregorius, *Quia turpitudinis suæ maculas aspexerat, lauanda ad misericordiæ fontem cucurrit; & quia se grauiter erubescebat intus nihil esse credidit, quod verecundaretur foris; quo dolore ardet!* 66.

Gregor.

Preme obsecro particulam: *Lauanda ad misericordiæ fontem cucurrit.* Affectus puritatis Mariam ad fontem impulit properantem. At quia *erubescebat grauiter intus*, retro stat, nec audet coram Domini conspectu apparere. Iam Vates requirit, *Quid est tibi mare, quod fugisti, & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum? A facie Domini mota est terra.* Psalm.113. Quid est tibi Maria quod fugisti? Quid ô Iordanis decurrens perditionis prius ad pelagum, iam *fluminis indicij* properans salutis ad alueum, retrorsum conuersa es, & stans retro lumina demittis? *A facie Domini.* An Absalone deterior, audebo coram Patris optimi facie apparere, post tot delictorum insolentiam. 67.

Magdalena ob verecundiā affectum tanquā Iordanis cōuersa est retrorsum. Psalm.113.

Pondero iam verba illa: *Quo dolore ardet!* Profectò horribilis est pudoris, ac verecundiæ tortura. Velòt flammis addicitur, qui pudoris vulnere sauciatur. Liceat illustrare rem ex Maronis pulchro illo carmine Æneid.8. 68.

Pudor est velut flāma tortura. Virgil.

Tum pudor incendit vires, & conscia virtus.

Et illo Silij lib.1. Silius.

Tum pudor accendit mentem, nec conscia fallit Virtus pressa loco.

Laërtius in Diog. vita sic: adolescenti cuidam erubescenti, atque ob id exardescenti. *Bene*, inquit Diogenes, *animo es, fili, istiusmodi est virtutis tinctura.* Quid mirum exardescant, qui pudoris tortura afficiuntur? Laërt.

Paulus egregiè, *Aspicientes in Auctorem fidei, & consummatorem* IESVM, *qui proposito sibi gaudio, sustinuit Crucem, confusione contempta.* Hebr.12. Anselmus, *Confusione contempta, id est, neglecta verecundia humana.* Quanam confusione Dominus fuerit affectus? Lyranus, *Confusio apparet ex quatuor. Primò ex loco, quia in Ciuitate celebri. Secundò ex tempore, quia passus est in festo Paschali, quando omnes de terra conueniebant in Ierusalem. Tertiò ratione societatis, quia inter latrones passus est. Quartò ratione præcedentis honoris; opposita enim iuxtà se posita maiora & minora videntur.* Iam requiro, quare Paulus post crucis, qua Dominus illigatus vita soluitur, non simul diræ passionis memoriam egerit? Proditio, flagella, asperrima coronatio, asportatio ligni, reliquaque passionis torméta cur non recenseantur? Certè quia dū vnā cōfusionis dolorē expēdens, cum 69.

Vnica confusionis, aut verecundiæ pœna ostēdere videtur cuncta Iesu tormenta. Hebr.12. Anselm. Lyran.

cuncta grauiſſima tormenta epilogauit, imò exaggeratius expendit; quia confuſio, ſeu verecuodia vincit facilè omnium pœnarum acerbitatem.

70. Fatur Iudith, *Domine Deus patris mei Simeon, qui dediſti illi gladium in defenſionem alienigenarum, qui violatores extiterunt, in coinquinatione ſua, & nudauerunt femur virginis in confuſionem.* Cap. 9. Vbi Tirinus, *Quomodo factum hoc Simeonis & Leui Deo adſcribi poteſt, quod quidem iuſtè reprehenſum, & meritò punitum fuit?* Certè reprehenditur, & flagellatur facinus dirum, ſed ſimul quodammodò vt optimum Deo tribuitur gladium porrigenti; quia quodammodò laudabilis vindicta, cum iniuria confuſionis præceſſit.

Tam graue delictum aliquem afficere confuſione, ve quodammodo excuſabile ſit Simeon, dū necem dirā intulit confuſionis auctori. Iudith 9. Tirin.

71. Lepra quidem *morbus infamis* à Plinio vocitatur. In lege dedecoris afficitur infamia. Aaron & Maria obmurmurationis delicto maculantur, & ab irato numine Maria lepræ morbo corripitur: *Et ecce Maria apparuit candens lepra quaſi nix.* Num. 12. Aaron delicti ſocius cur non eadem pœna flagellatur? Imò delinquens vir acriori, ingeoij quare pœnæ non ſubiacet grauiori? Porrò iam diriori ſupplicio fuit affectus, ſcilicet confuſionis. Quod biſce ille verbis expreſſit: *Obſecro, Domine mi,* (ad Moyſem ait) *ne imponas nobis hoc peccatum, quod ſtultè commiſimus.* Cur non dixit, *Ne imponas illi hoc peccatum?* Illa enim ſolummodò ſupplicio erat affecta. Profectò aptè dixit, nè imponas nobis, quia ipſe grauiori adhuc pœna fuerat flagellatus. Quanam, precor? Nonne confuſionis? Dirius ergo Aaron cōfuſione corripitur, quam Maria lepræ morbo vapulat. Saluian. l. 1. de Gubern. Dei *Maria ſupplicio afficitur, ut Aaron confuſione multletur.* Vincit ergo confuſio omnium ſuppliciorum grauitatem.

Confuſio vincit lepra vile tormentum. Num. 12. Saluian.

72. Iudæorum gens vicit reliquas finitimas gentes ſceleribus perpetrandis, quæ quidem ingratitudini ſtuduit poſt tot beneficiorum receptionem. Numen ergo iracundia ineffabili accenſus grauiſſimi ſupplicij torturæ dat operam, fatus Ezechielis ore. *Ergo & tu porta confuſionem tuam, qua vicisti ſorores tuas peccatis tuis, ſceleſtius agens ac eis.* Cap. 16. Si vicit ſceleribus ſorores, grauiori ſupplicio flagelletur. Iam id diuina iuſtitia præſtitit, confuſionis enim vulnus ſuperat gladij diritatem. Aſſerit Tertullian. Apol. adu. gent. cap. 4. id ex diuina pietate ortum duxiſſe: *Suffundere maluit hominem ſanguinem, quam offendere. Ne prorſus* (explicat ingenioſus noſter Iudithæ Interpres) *diſperdat populum quondam meum.* Crediderim id potius ab irato nimiùm numine actum, confuſionis grauiſſimo ſupplicio flagellare populum, qui flagitiis reliquos vicit delinquentes.

Qui ſceleribus grauioribus inquinatur, confuſione ſup plicio afficitur. Ezech. 16. Tertull. Celada.

73. Vt vineæ fructus Dominus perciperet, *miſit ſeruos ſuos ad agricolas.* Porrò ſerui ab agricolis vulnerantur, occiduntur, lapidantur. *Iterum miſit alios ſeruos plures prioribus, & fecerunt illis ſimiliter.* Matth. 21. Vbi Chryſoſtomus, *Per ſingulos gradus malitia.* Denique ſupplicium ab irato Domino præparatur. *Verebuntur,* ait, *fortè Filium meum.* Supplicium nè, an miſericordiæ ſummæ documentum? Imperfectus hom. 40. *Poſt tot ſcelera adhuc eis miſericardiæ locum ſeruabat. Sic enim dicit: Forſitan Filium meum venerabuntur.* Profectò tanti Patris venia, dixerim, tot ſcelera pannuntio ad ingratos Filium miſiſſe.

Agricolis ſupplicio verendus pro ſupplicio horribili infertur. Matth. 21. Chryſoſt. Imperf.

Ant. de Eſcob. & Mend. Tom. III.

Immiſit quidem vt miſericordiæ theſauros aperiret poſt temporalis ſupplicij grauitatem. Vnde non eos gehennæ addicit æternùm, ſed pro gehenna, in delinquentes deſæuit, eos afficiens verecundia: *Forſitan reuerebuntur Filium meum. Pro tantis enim* (ait illi) *iniuriis ſufficiebat ſola vindicta puderis.* Vt diſcas ab iniurioſis in proximum verbis abſtinere, nè ruboris eum vulnere afficias.

OBSERVAT. VIII.

Ad illa verba:

Attulit alabaſtrum vnguenti, & ſtans retro, lacrymis, &c.

Nec aliena domus, nec conuiuarum apparatus, nec pudor fœmineus Magdalenam ab vnguentis recedentem impediunt, nè faciliter accedat ad Chriſtum.

Cordis enim idola qui proiicit, faciliimè Domino colligatur.

Magdalena pœnitens nec alienæ domus difficultate retardatur, nec apparatu continuatum, pudoreque muliebri impeditur, quominus ad IESVM accedat. Quid mirum, ſi cordis iam idola ex affectus altari deturbarat. Affert illa alabaſtrum vnguenti, quo augendæ pulchritudini impendit obſequium. Comieus pulchrè. *An non purpuriſſum fœminarum idola?* Dum ergo Maria è corde proiicit fucus ac pigmenta, ſeu curam pulchritudinis colendæ deponit, facilè ad IESVM accedit. 74. Petiāt.

Curant Philiſtini arcam Dei à ſe captam ad propria remittere. *Tollentes ergo duas vaccas, quæ lactabant vitulos, iunxerunt ad plauſtrum, vituloſque earum concluſerunt Domi. Ibant autem in directum vaccæ per viam, & plauſtrum venit in agrum Ioſue, & ſtetit ibi.* 1. Reg. 6. Miraris, vaccas ad agrum IESV currere, & inibi ſtare? Quid mirum, ſi à chariſſimis vitulis receſſerant, ſi idola cordis reliquerant? Iuſtinus Mar. Dial. cum Triph. *Vacca peruenerunt in pradium viri, cui nomen Auſes, qui poſtea IESVS cognominatus eſt, & in id pradium delata haſerunt, manifeſta coniectura, quod huc deducto ſunt vt huius nominis.* Preme illa verba: *Et ſtetit ibi.* Coram Ieſu ſtat plauſtrum, dum à chariſſimis vitulis vaccæ recedunt. O vacca laſciuiens Magdalena à vitulo ab idolo abſtracta ſtas in Saluatoris conſpectu. *Stans retro.* 75.

Dum vacca laſciuiens recedit ab idolo vitulorum, ad Ieſum faciliter accedit. Sic Magdalena. 1. Reg. 6. Iuſtin.

Haud vna in ſede morari poſſunt Ieſus & idola. Sit tibi Arca illa Ieſu Saluatoris ſimulachrum, quia ab Arca ſæpe ſalus Hebræorum. Dagonis idolum corruit, vbi Arca conſpicitur. 1. Reg 5. Auguſtinus ſerm. 24 in feſto omnium Sanct. *Si vis eſſe Templum Ieſu, ſeu veritatis, frange idolum falſitatis. Iam in cor tuum, ſi placet, intret Arca Teſtamenti, & ruat Dagon.* Quonammodò ô fœmina, quæ curas fieri Ieſu Templum poteris IESVM excipere tibi ſalutatem, ſi adhuc colis falſitatis idolum? 76.

Si Templum vis eſſe Ieſu, ſine vlla difficultate, frange falſorum, ſeu ſucorum idolum. Auguſt. 1. Reg 5.

Et quidnam fuci pulchritudinem simulantes, nisi falsitatis assertores?

77. Olim *venerunt duæ mulieres meretrices ad Regem.* 3. Reg. 3. Expende particulam, *Steterunt coram eo.* En Magdalenæ stantis coram IESV simulacrum: *Et stans retro.* Quonammodo tam facilis illis meretricibus, & Magdalenæ meretrici ad Regem Salomonem vtrumque patet aditus? *Eramus* (inquiunt) *simul, nullusque alius nobiscum in domo, exceptis nobis duabus.* Vbinam amasij scortorum? Iam recesserant, iam miseræ mulierculæ fuerant de more relictæ discrimini partus. Tunc ergò facilis ad Salomonem patet accessus, cum meretrices idolo renunciant. Tunc Magdalena meretrix vero hærescit sine obstaculis Salomoni, cum proiecit idola.

Faciles meretrices Salomoni sistuntur stans, cum ab idolo recedunt.

3 Reg. 3.

78. Labanus fugientem Iacobum insequitur, vt idola recuperet ablata. Requirit, nec inuenit: *Delusa sollicitudo quærentis est.* Quid plura? Dixit Laban ad Iacob: *Veni ergo, & ineamus fœdus.* Genes. 31. Tam facilè fœdus initur cum inimico idolorum raptore? Profectò idolis dum Laban nuncium remittit, facilè cum Iacob fœdus inire potest. An non Iacob IESV simulacrum? Num non Laban meretricis Ecclesiæ ex Gentibus typus, quæ meretricis magnæ sub imagine à Ioanne visa est? Ergo meretrix facilè aditum ad IESVM inuenit, vbi dilectissima despicit idola. Cyrillus Alex. lib. 5. in Gen. apud Corder. Cat. in Luc. *Idolorum sublatio erat illustre facinus Ecclesiæ Gentium idola manu facta ignominia afficientis. At mundus falsos suos Deos non inueniens cum IESV amicitiam iniit, quin & pacis vinculum ipsi erit.* Non poteris IESV hærescere, nisi idola proiicias. At si ab hisce recesseris, facili negotio Domino illigaberis.

Meretrix Ecclesia Gentium virgo Iesu hærescit, dū proiicit idola.

Gen. 31.

Cyril Alex.

OBSERVAT. IX.

Ad illa verba:

Lacrymis cœpit lauare pedes eius, & capillis tergere.

Magdalena incipiens à lacrymis, illicò ineffabilia virtutis incrementa exponit.

Compendiaria enim lachrymarum via ad sanctitatis verticem.

DVm incipit rigare pedes lachrymis, dum incipit viam salutarem terere, iam perfe-
79. cta Magdalena ostentatur, Domino asserente: *Quoniam dilexit multum.* Iam in dilectissimum IESVM transformata exsurgit, dum sacros sibi capillis *suaues* acquirit, vti asseruit Ambros. Vndenam Magdalena tam agiliter à principio viæ cucurrit ad terminum: imò principium terminum egit? Crediderim, obortis lacrymis pœnitentiæ verticem tenuisse sanctitatis. *Lacrymis cœpit.*

Magdalenæ perfectionem viæ sic Dominus
80. exposuit: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Luc. 10. Quam partem nisi illam hæreditatis æternæ, seu sanctitatis eximiæ, quæ contemplationis studio perficitur? Profectò ad tam eleuatum sanctitudinis verticem auolauit non apud Marsiliæ deserta ab Angelis ad cœlum eleuata, sed mox post conuersionem. Vndenam ergo tam properæ profectiones, nisi quia *lacrymis cœpit*? Pulchrè D. Macharius hom. 25. *Maria stetit iuxta pedes Domini plorans. Inquit autem Dominus, Maria optimam partem elegit. O pretiosas illas margaritas in defluxione beatarum lacrymarum! O societatem arctam sponsæ erga sponsum animarum!* Societas illa arcta assolet assiduis exercitamentis virtutum acquiri. At Magdalena eam vnico luctus effectu acquirit? *O pretiosas illas margaritas.*

Magdalena ad sanctitatis verticem illicò ascendit, quia à lacrymis cœpit.

Luc. 10.

Machar.

Cecinit Vates, *Saturabuntur ligna campi, & Cedri Libani, quas plantauit. Illic passeres nidificabunt. Herodij domus Dux est eorum.* Psalm. 103. Arnobius, *Fulica domus Dux est eorum.* Quid fulica? Passerculos in aqua nidificans. Passeres ergo Christiani sunt perfectioni studentes, qui gradum summum sanctitatis tenent. Sic Ambrosius, *Passeres ideo Christiani nuncupantur, quia cœlestia & alta petentes, sic se seiungunt conuersationibus hominum, vt fugiant ipsos homines.* Iam requiro, cur tam sublimium virorum Dux fulica assignatur? Certè in aqua nidificat. Quid ergò aquæ habitatrici cum cœlorum vertice? Nidificat in aquis, & poli tenet sublimia? Incipiens ostenditur? Quid mirum, si in aquis luctus, ac lacrymarum fulica incepit? *Fulica* (addit ille) *Dux est eorum, quia in aqua manet, in aqua nidificat, in aqua viuit, & aqua domus eius est.* O quàm apti ad ducatum præstandum perfectionis asseclis, qui luctui studium impendunt! 81.

Fulica aquis nidificans est perfectorū ductrix, quia lacryma via compendium.

Psalm. 103.

Arnob.

Cum populus Hebræos vidit Pharaonem submersum spiritualis mysticè exsurgit. Certè populus lacrymis cœpit rigare pedes Domini vt tantam posset victoriam illicò perficere. Ait Abbas Cellensis lib. de Pan. cap. 12. *Hunc panem lacrymarum Adam comedit in exilio, Noë in diluuio, populus in deserto, Ezechias in lecto, David in adulterio, Petrus in negatione, Magdalena in corporis sui prostitutione, quare? Vt anima reueniatur, vt insequens hostis omninò demergatur.* An non perfecta victoria canitur, cum hostis omninò demergitur? Cum animus deperditam resumit stolam? Ergò *lacrymæ in prostitutione* dum decurrere incipiunt, Magdalenam innouant, eamque efficiunt omninò hostem comminuere. 82.

Incipiens à lacrymis, illicò perfecta victoria potitur.

Abbas Cel.

De prodigo illo iniquissimo Dominus ait, in se autem reuersus dixit: *Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus!* Luc. 15. Vndenam à Domino auersus, Patri inimicus optimo, non filius: tam facilè paternæ ditioni restituitur. An non quia lacrymis inclamauit obortis? Beda, *Vnde scire poterat hoc, in quo erat tanta obliuio Dei, sicut in omnibus idololatris fuit, nisi quia ista recogitatio iam resipiscentis, ac plorantis est.* Ex idololatra mox filius efficitur vi vtique lacrymarum. 83.

Prodigus ex inimico illicò fit filius dilectissimus, quia cœpit lacrymari.

Luc. 15.

Beda.

Perfectissimos vitæ æternæ possessores sic Christus descripsit: *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti IESVM CHRISTVM.* Ioan. 17. Cognoscere Christum vita æterna est, sine perfectio Christianorum? Igitur beatissimæ Magdalenæ lacrymæ, quæ incipiens profundere rigatum & 84.

Dū Magdalena incipit lugere, quasi vita æterna perfectione donatur.

Ioan. 17.

Christum

Christum agnoscit, & vita consequenter potitur æterna. Audi Dominum. O Pharisæe, *aquam pedibus meis non dedisti : hæc autem lacrymis rigauit pedes meos.* Luc. 7. Ad quæ Ambrosius epist. 89. *Ergo Simon Pharisæus, qui aquam non habebat, non habebat pœnitentiæ lacrymas. Nam si habuisset, lauisset oculos suos, vt Christum videret, quem adhuc cum simul accumberet, non videbat, nam si vidisset, non vtique de eius potestate dubitasset.* Cognoscit igitur lacrymans, quem siccus ignorat Pharisæus : & dum incipit lacrymari, iam vitæ æternæ perfectione potitur : *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.*

Luc. 7. Ambros.

OBSERVATIO X.

Ad illa verba :

Lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & vnguento vngebat, & osculabatur pedes.

Magdalena, vt deperditam possit gratiam recuperare, multa præstat obsequia.

Quia restauratio gratiæ non sine ingenti labore perficitur.

85. O Quot Magdalena Domino pœnitens libauit obsequia ! lacrymis pedes abluit, coma tergit, vnguento inungit, osculatur. Addit Chrysostomus, *Hæc quidem agebantur exterius, sed quæ interius reuoluebat, multo erant his feruentiora.* Cur tot replicatot affectus, tot obsequia exundant ? Quia restauratio gratiæ non sine ingenti labore perficitur.

Chrysost.

86. Pœnitentia *tabula post naufragium* aptè appellatur, quia restauratio perditæ gratiæ laboriosior planè est. Qui vehitur nauigio, vento secundo, nulla operatione disturbatur. At qui tabula post naufragium vtitur, magno quidem labori addicitur, vt possit ripa frui. Baptismus ergo tibi sit nauigium minimè operosum, tabula autem post naufragium pœnitentia. Fatus Eunuchus Philippo, *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* Act. 8. Quis prohibet ? Diaboli impugnatio, insidiæ, habitus improbi, seu nequissima consuetudo, idololatriæ impietas. Nulla ad primam gratiam excipiendam impedimenta ? Nyssenus orat. de oon differ. Baptis. *Minime operosum a se petitum Baptisma accepis.* Quia per Baptismum facile gratia recipitur, nauigij est deuectio, non tabulæ post naufragium. Quædam fœmina à Mago seducta naui pereunte, pelago immergitur, pœnitentiæ post modum recurrit ad tabulam. O quanto labore cœlestis gratiæ remeauit ad ripam ! D. Irenæus lib. 3. cap. 9. *Cum esset vxor eius speciosa, & sententia & opere corrupta esset à Mago, & secuta eum esset multo tempore post deinde cum magno labore fratres eam conuertissent, omne tempus in exomologesi consummauit.* Vt à lapsu valeas ad gratiam perditam reuocari, magnus labor indicitur.

Difficilius pœnitentia tabula remeatur ad ripam, quàm nauigio Baptismi.

Act. 8.

Nyssen.

Irenæ.

87. Ad. Hiram Salomon, *Nunc autem* (ait) *requiem dedit Dominus Deus meus mihi per circuitum, nec est Sathan, neque occursus malus. Quamobrem cogito ædificare Templum.* 3. Reg. 5. Porrò cum Nehemias Templi eiusdem reædificationi studebat, *Vna manu faciebat opus, & altera tenebat gladium.* 2. Esdr. 4. Quare Salomon in summa pace & quiete Templum ædificat, Nehemias autem summo labore pressus instaurat ? An non quia difficilius de perdita gratia recipitur ? Beda apud Strab. *Cum Salomon idem Templum ædificaret, nil de artificis structoribus, vel aduersariis impugnantibus dicitur; sed destructum propter peccata maiori laboris industria reficitur. Similis autem est ædificatio spiritualis, vt in Baptismo per fidem, & confessionem sanctæ Trinitatis sine labore per gratiam Dei domus eius efficiamur. Postquam autem, diabolo suadente, ad peccata relabimur, necesse est maiori studio affligamur.*

Gratiæ templum facilè ædificatur, difficulter instauratur. Reg. 5. 2. Esdr. 4.

Beda.

88. Obiicias, precor, menti illius maris mysteria : *Fecit quoque mare fusile decem cubitorum à labio vsque ad labium rotundum in circuitu,* &c. 3. Reg. 7. Quidnam fusili designatur in pelago ? Multi asseruere Baptismum significari. At Ribera lib. 2. de Temp. cap. 17. docuit capiendi pœnitentiam. Quid nam quæso, pœnitentiæ cum mari ? Quia amaritudine, ac difficultate plena, fante Propheta : *Magna, est velut mare contritio tua.* Thren. 2. De pœnitente Pelagia legi.

Pœnitentia mari comparatur ob difficultatem. 3. Reg. 7.

E pelago in pelagus lacrymosa Pelagia transit,
Tristitia dum lacrymis obruit acta suis.

Thren. 2. In eius effigie.

Ambrosius aptè, *Lethale scelus* (ait lib. ad virg. lapsam cap. 8.) *grandem habet necessariam satisfactionem.*

89. Baptismi Sacramentum fonti assolet comparari, pœnitentia autem difficili assignatur in pelago. Qui Baptismi vnda immergitur, quàm facilè diluitur : qui ad pelagus sese immittit, quàm difficulter tendit ad Dominum ! Vt Petrus ad Magistrum perueniret è naui exilit, *& misit se in mare.* Ioan. 21. Cur non nauis volatu ad Dominum placido reodit itinere, sed difficillimo pelagi meatu pergit ? Chrysologus serm. 78. *Misit se in mare, vt mare dilueret, quod negatio taliter sordidauerat.*

Quam difficile per mare pœnitentia tenditur ad Christum ! Ioan. 21.

Chrysost.

90. Ezechiel missus ad gentes peccatrices adducendas, accipit librum, *& scripta erant in eo lamentationes, & carmen, & væ.* Cap. 2. Cur vnum suaue scribitur, duo autem tristia ? Crediderim vnico in carmine gratiæ primæ receptionem exprimi, duplici autem lamentatione pœnitentiam assignari. Difficilius enim gratia resumitur, quàm initur. Ambrosius lib. de Pœn. cap. 6. *Ezechiel iussus est flere Ierusalem, & accepit librum, in cuius capite scripta erant lamentationes, & melos & væ : duo tristia, & vnum delectabile ; quoniam ille saluus erit in futurum, qui in hoc seculo* (post amissam primæ gratiæ melodiam) *plus fleuerit.* De fletu copioso salus initur, gratia recuperatur. Quàm stultus qui tam facilè amittit, quod tam difficilè erit recipiendum.

Multo fletu indiges, qui gratiam perditam resumere intendis.

Ezech. 2.

Ambros.

SECTO QVARTA.

Magdalenæ impugnatio, & defensio.

TEXTVS.

VERS. 39. VIdens autem Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se dicens: Hic si esset Propheta, sciret vtique quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est. 40. Et respondens IESVS dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister &c. 41. Duo debitores erant cuidam fœneratori; vnus debebat denarios quingentos, & alius quanquaginta. 42. Non habentibus illis, vnde redderent, donauit vtrisque. Quis ergo eum plus diligit? 43. Respondens Simon, dixit: Æstimo, quia is, cui plus donauit. At ille dixit ei: Rectè iudicasti. 44. Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. 45 Osculum mihi non dedisti: hæc autem ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos. 46. Oleo caput meum non vnxisti: hæc autem vnguento vnxit pedes meos. 47. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. 48. Dixit autem ad illam, Remittuntur tibi peccata. 49. Et cœperunt, qui simul accumbant, dicere intra se, Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? 50. Dixit autem ad mulierem, Fides tua te saluam fecit, vade in pace.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Pharisæi impugnatione.

1. *Reprehensio Pharisæi de contactu peccatricis, non de vnctione.*

VIDENS *autem Pharisæus.* Nouerat Pharisæus mulierem peccatricem, ignorare id Dominum potabat, apud se verò temerarius iudex aiebat: Hic si Propheta esset, quæ nam mulier hæc sit, non ignoraret, tangique se puritate fulgidus ineffabili à peccatrice fœmina minimè permitteret, verus Ioseph. Haud ille inunctionem taxat de more perfectam; sed factam à peccatrice acceptam reprehendit. O Pharisæe, cur non potius peccatricis lacrymas, affectuosaque oscula admiraris? Fœmina apud lætum conuiuium lacrymatur? Proh pœnitudinis affectum.

2. *Inepta consequutio Pharisæi.*

Hic si esset Propheta, sciret vtique quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix, &c.] Inepta prorsos consecutio hominis, quid sit Propheta, ignorantis. Nec enim Prophetis cuncta hominum secreta reuelantur. Elisæus etenim quid fœminæ Sunamitidi accidisset, ignorauit. *Anima* (ait) *eius in amaritudine est; & Dominus celauit a me, & non indicauit mihi* 4. Reg. 4. Potest ergo Propheta existere, & qualis sit fœmina non callere. At non ignorat, qualis est mulier, qui Pharisæi cogitationes non ignorauit. Imò quia nouit peccatricem, se tangi ab illa permittit pœnitudinis iam purissima affectu. Abiicienda peccatrix immunda, sed pœnitens omnino admittenda. Medici ne reprehendendi, quod ægrotantes curandos admittunt? Ergo non taxandus Medicus cœlestis, quia peccatricem sanandam benignè excepit.

4. Reg. 4.

3. *Patrum approbatio. Anselm. Grego.*

Patres sic: Anselmus, *Medicum reprehendit, quia sanabat.* Quod Gregorius hom. 33. vbertius expressit. Addit, *Oportet verò cum peccatores conspicimus, nos prius defleamus, quia in similibus aut lapsi sumus, aut labi possumus; destructionem debemus vitiis, compassionem naturæ. Si feriendus est peccator, nutriendus est proximus. Cum verò ipse per pœnitentiam percutit, quod fecit, iam peccator non est.*

§. II.

De Domini defensione.

SImon, *habeo tibi aliquid dicere*, &c.] Dominus igitur hominis cogitationes aspiciens, proposita apposita similitudine erudit indoctum. Duos debitores (ait) quidam habuit fœnerator, quorum vnus quingentos denarios, alter quinquaginta debebat. Porrò ad soluendum ineptis debitum omninò fœnerator dimisit. Dic, quæso, Simon, vter ex hisce debitoribus maiori prosequi amore fœneratorem debet? 4. *Parabola debitorum.*

Respondens Simon, dixit.] opinor, ex his duobus illum maiori amore fœneratorem complecti, qui maiori beneficio, nempè quingentorum denariorum remissione affectus est. Debito argenti tunc exoneratur debitor, sed amoris debito oneratur. *Rectè* igitur *iudicasti.* Amauit mulier? Ergo iam peccatrix non est. *Tanto* enim (cum Gregorio loquor) *amplius peccati rubigo consumitur, quanto peccatricis cor magno charitatis igne concrematur. Corporaliter* ergo (Anselmus) *videt, sed non aspicit mysterium.* Chrysostomus, *vt post imbrem vehementem fit serenitas, ita post lacrymas effusas tranquillitas, peritque iam caligo peccatorum.* Ergo quæ tangit pedes Domini, peccatrix non est. 5. *Parabola applicatio.* Gregor. Chrysost.

Vides hanc mulierem. Ad mulierem, quæ retro aderat, ore conuersus, sic Simonem vberius instruxit. En mulierem, quam vocitas peccatricem, 6. *Magdalena Pharisæo præfertur.*

cem, te factotum præstantia superantem. Aquam pedes meos non diluisti; hæc lacrymis illos irrigauit, omáque velut linteo extersit. Osculum de more non dedisti: hæc mille pedibus dedit. Oleo caput minimè perfudisti: hæc pretioso caput perfudit vnguento. Ergo à fœmina, quam peccatricem taxas, superatus compereris.

7. *Pedū ablutio.* *Aquam pedibus meis non dedisti.*] Vndenam Dominus de non dilutis pedibus conqueritur? An quia conuiua? An quia peregrinus? Certè in more fuit pedum ablutio, vt conuiuæ lectum ascenderent. At aptius asseruerim Dominum peregrinationis iura requisisse. Tunc enim in ciuitatem illam alio ex loco aduentarat. Porrò peregrinorum pedes ablui solitos probat Geneseos testimonium. Abraham enim & Loth pedes Angelorum, qui peregrinorum speciem præ se ferebant, curarunt diluere. Cap. 18. Græcè legimus, ἐπὶ τοὺς πόδας; id est, *aquam super, vel in pedes meos non dedisti.*

8. *Osculum de more.* Rom. 16. *Osculum mihi non dedisti.*] Pacis osculum dare antiquis mos. *Salutate inuicem in osculo sancto.* Rom. 16. *Hæc ex quo intraui, non cessauit osculari pedes meos.* Vehemens mulieris affectus & ardor indicatur. *De oleo.* *Oleo caput meum non vnxisti.*] Ex more quidem sumpta querimonia. Tu ne oleo quidem simplici, quo pauperes inunguntur, caput meum inunxisti: hæc verò fœmina vnguento pretiosissimo pedes meos inunxit.

9. *De dilectione Magdalenæ ob maiorem debiti remissionem.* *Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*]Ex parabola proposita, & ex concessis à Pharisæo, non videtur hoc colligendum, sed potius, *Quoniam remissa sunt ei peccata multa, ideo dilexit multum.* Parabola namque indicat maiori amore fœneratorem diligi à debitore, cui maius debitum remissum est. Atqui fœminæ peccatrici maius debitum dimissum est, quàm Pharisæo, vel magnum debitum dimissum est; ergo plus diligit, aut dilexit multum.

10. *Verosimilior expositio auctoris.* Missis pluribus expositionibus circa amorem antecedentem, & consequentem, sic lubet interpretari locum. Curat Dominus ex parabola inferre duorum debitorum debita multa, id est, peccata multa, aliquando magni amoris, ac sanctitatis occasionem existere. Quia ergo Pharisæus fœminam appellaret peccatricem, seque peccata pauciora commisisse putabat, similitudine ostendit potuisse Pharisæum à fœmina illa amore ac sanctitate superari, quamuis illa plura crimina perpetrasset. *Duo* (ait) *debitores*, &c. Tu Simon, & Magdalena duo estis Dei debitores. Tu debuisti denarios quinquaginta, hæc denarios debuit quingentos: tu paucioribus peccatis, hæc pluribus criminibus implicatur. Vtrique Deus remisit, tibi vtique, ac fœminæ. Quemadmodum verò is debitor, cui plures denarij condonati sunt, plus dilexit, quàm alter, cui condonati sunt pauciores: sic hæc fœmina, quam tu peccatricem arbitraris, & profers, cuique condonata sunt plura peccata, multo plus dilexit, quàm tu, cui pauciora sunt dimissa; atque adeò te longe superat sanctitate. Tum probat Dominus fœminam plus dilexisse ex officiis charitatis quæ exhibuerat, Pharisæus autem prætermiserat. *Aquam pedibus meis non dedisti*, &c.

Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.] Porrò Pharisæum minus dilexisse, quam fœminam verbis sequentibus ostendit. *Cui autem minus dimittitur, minus diligit.*] Id est, Tu Simon, qui tibi pauciora crimina dimissa esse existimas minus diligis, quam peccatrix, quemadmodum debitor ille, cui minus dimissum est, minus dilexit creditorem. 11. *De minori Pharisæi dilectione.*

Denique ad illam, *Remittuntur* (ait) *tibi peccata tua.*] An remissa fuerint fœminæ peccata, cum à Domino hæc verba remissionis audiuit, an antea? Si culpam spectes, peccata iam condonata fuerant priusquam fœmina accurrisset ad Dominum, concepto contritionis feruore, cùm à dæmoniis septem, quibus vexabatur, est liberata. Christus enim cum corporis sanitatem conferebat, peccatorum simul studens animi saluti tribuebat remissionem. Si verò spectes pœnam, tota pœna tunc illi remittitur, cum Christus illa verba protulit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Cum autem addidit, *Remittuntur tibi peccata tua*, remissionem, quam fuerat largitus, illi aperuit. 12. *Quandonam peccata Magdalenæ remissa.*

Et cœperunt, qui simul accumbebant dicere: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?]Quorum hæc verba fuerint? Caietanus putat stupentis fuisse Simonis, & aliorum, qui simul accumbebant. Paulò antè Simon nec Prophetam reputabat IESVM: modo autem stupens cogitat, quis est hic? At probabilius censeo cum Barradio, & aliis verba esse non stupentium quidem, sed incusantium Dominum, quod peccata dimitteret, Deique munus sibi vsurparet; Deum enim Christum esse ignorabant. Sic aliquando Scribæ, & Pharisæi: *Quis est hic, qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Luc. 5. 13. *Quorumnam hæc fuerint verba?* Luc. 5.

Fides tua te saluam fecit.] Peccatorum remissionem mulieris charitati tribuerat, salutem fidei tribuere dignatur. Fides enim & charitas (adde spem, & pœnitentiam) ad iustificationem concurrit: fides autem illa saluos nos facit, quæ cum charitate, & operibus coniuncta est. Credidit Magdalena, dilexit multum, pedes Domini inunxit, reliquaque charitatis opera exposuit. 14. *De Magdalenæ fide.*

Vade in pace.] Sumi potest pro fælicitate, estque modus discedentem salutandi. *Vade in pace.* id est, fæliciter abi, discede fælix. Theophylactus autem pacem dicit esse iustitiam. *Vade in iustitiam, fac ea, quæ te Deo concilieat. Pax enim iustitia est, sicut peccatum inimicitia cum Deo.* Aptius pax sumitur pro animi tranquillitate, quam pœnitentia, peccatorumque remissio parit. *Vade in pace*, id est, tranquillo, ac quieto animo viue Dei in gratiam reducta. Græcè πορεύου εἰς εἰρήνην, *Vade in pacem.* 15. *In quam pacem Magdalena mittitur?* Theoph.

IN
IESVM COLLOQVENTEM
PANEGYRICVS MORALIS QVARTVS
CIRCA LITERAM.
EX MAGDALENÆ IMPVGNATIONE, ET DEFENSIONE.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Videns autem Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se: Hic si esset Propheta, sciret vtique, &c.

Pharisæus temerè iudicans IESVM, ac Magdalenam, manifestè mendax obiicitur.

Et quando temerarium iudicium à mendacij piaculo liberaretur?

16. ASSERIT Pharisæus Christum falsò Prophetam appellari, quia fœminæ turpitudinem non calluerat. Affirmat fœminam peccatricem. At Dominus ipsius Pharisæi conscientiam aspiciens, fœminæque sanctitatem manifestans, aperit temerarij iudicij falsitatem. Quàm verè Ausonius, *Temeraria suspicio, aut iudicium ex mendacio ducit originem.*

Auson.

17. Gregorius 3. Mor. cap 18. *Qui ad alta virtutum signe veraciter appetunt, cum alienas culpas ostendunt, mox ad cor proprias reducunt, & tanto verius illas diiudicant, quanto verius illas deplorant.* Qui à iudicio temerario abstinet, veritati hæresćit, qui autem temerè iudicat non potest non mendacio attaminari. Plerumque tuæ suspiciones mendaces omnino. O quàm stultè credis!

Suspiciones plerumque mendaces.

Ideò Dominus, *Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate.* Ioan. 7. Noster sapientissimus simul & sanctissimus Ludouicus à Ponte legit, & exponit, *verum iudicium iudicate.* Nam qui secundum faciem iudicant, non possunt non mendacio maculari.

Ioann. 7. Ludouic. à Ponte.

18. Dominus monet, *Nolite iudicare.* Ioan. 6. Ac si diceret ex mente Chrysostomi, *Nolite mentiri.* Nam qui aspectata rerum, seu humani cordis superficie, putat se profundiora vidisse, & interiora iudicare audet: errore, seu mendacio implicatur. Addit Pater, *Nec facilè reperies quemquam, neque patremfamilias, neque claustralem expertem huius erroris, & mendacij.* Paterfamilias, qui tenetur filiorum, famulorum, vxorisque actiones scrutari, & aliquando ex superficie cordis coniectare arcana, fallitur plerumque. Quid, precor, qui aliena omnino præcordia audet iudicare ex superficie actionum? Claustralis timoratæ conscientiæ studens perfectioni, mentitur, dum iudicare audet fratrem. Quid sæcularis à timore recedens, dum e prauo proximum affectu iudicare non veretur?

Vel præcipitantia, & timorata conscientia viri dû iudicat, aut suspicatur, assolet mentiri. Ioan 6. Chrysost.

Qui ergo suspicionis, seu iudicij sui ex proximo conceptū exprimū arcanum, seminat granum vnicum ex quo innumera grana nascuntur. Exponam mentem ex Herodoto sic mendacij nocumentum explicante. *Ex vnico mendacio exposito seges errorum ingens assolet parturiri.* Quot grana numerasti ex vnico, quod seminasti granolo? Profer suspicionem quam de proximo concepisti. Existima te sementem fecisse, ex qua mendacia innumera colligas. Pulchrè Tertullianus Apol. cap. 7. *Os mendacium seminauit, quod sit aut ingenio æmulationis, aut arbitrio suspicionis.* En suspicionis natura. Qui suspicionem conceptam profert vnum mendacium seminat, ex quo crescente per ora audientium sermone, innumera mendacia de proximi syncera plerumque actione publicantur. 19.

Qui profert iudiciū, aut suspicionem conceptam, seminat vnū mendacium, ex quo innumera colliguntur. Herod. Tertull.

Paulus appositè, *Videmus per speculum in ænigmate.* 1. Cor. 13. Vbi Clemens Alexand. lib. 1. Strom. temerè iudicantes asserit ænigmata proferre, & in speculo aspectare. Quid ænigma nisi à veritate quædam abductio? Aliud enim palam ostendit, aliud in abscondito habet. Conatur interpretem à veritate abducere: & quò efficacius à vero sensu remouet, eò pulchrius ænigma. Qui ergò suspicionem concipit ænigma percipit mendaciorum vtique seminarium. Preme particulam, *Per speculum.* Vidi in aquæ speculo baculum integrum, rectum: incuruum, & fractum. O quot homines integris, & rectis moribus à tua suspicione, ac temerario iudicio curui & effracti apparent! O mendacium! *Tales sunt,* (inquit Clemens,) *quæ ex imbecillitate cernuntur phantasiæ, quemadmodum visio cernitur in aquis.* Aptè suspiciones & iudicia phantasiæ appellantur; quia omnis suspicio plerumque phantasmatibus, ac mendacijs plena reperitur. 20.

Suspicio & iudicium temerarium ænigma est mendaciorū parens, ac mendax in aqua speculo visio. 1. Cor. 13. Clem. Alex.

Audi Apostolum. *Nolite antè tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo.* 1. Cor. 4. Explicat Menochius noster, *Quandiu non habetur vera rei iudicandæ notitia nondum est tempus iudicandi; quousque veniat Dominus omnium iudex.* Ergo dum viuimus hoc in sæculo tempus iudicandi non est, quia vera notitia non habetur, vnde iudicans mendacio maculatur. Preme illud: *Tunc laus erit vnicuique à Deo.* Ingeniosus exponit Interpres. Vnicuique, id est, omnibus hominibus erit laus in die iudicij, quia temeraria iudicia tolerabuntur, veritas manifestabitur, 21.

In die iudicij erit laus vnicuique à Deo, quia hominum iudices sunt mendacio fœda . . . hominess. 1. Cor. 4. Menoch.

confu

coofutabuntur mendacia. Difficilè poteſt iudicium hominis circa proximi actiones à mendacio deflectere.

22. Conclamat conditor, *Clamor Sodomorum venit ad me. Deſceadam igitur, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non?* Gen. 18. Expendit pulchrè Gregorius fatus: *Ecce malum quaſi cum difficultate credidit cum audiret: vt nobis dares exemplum, quod maiora crimina tardè credenda ſunt, cum audiantur.* Quia cum proferuntur hominum iudicio, plerumque exponontur pleoa mendaciis.

Deus non credit hominum iudicia, quia mendacia plerumque. Gen. 18. Gregor.

Observat. II.

Ad illa verba:

Hic ſi eſſet Propheta, ſciret vtique, quæ & qualis eſt mulier, quia peccatrix eſt, &c.

Vt confundat Chriſtus Phariſæum murmuratorem, mirificè Magdalenam collaudat.

Detractio enim aſſolet, haud proximi famam lædere, ſed eum mirificè efferre præconiis.

23. CVrat Phariſæus Magdalenæ famam conſpurcare, eam proferens peccatricem. At Dominus Magdalenæ ideò ſe ſe effundit in laudes. Anſelmus. *Conuincit ſuperbum detractorem, ſub ſpecie mulieris commendans Eccleſiæ meritum.* Tot enim tantaque Magdalenæ profert præconia, vt meritò Eccleſiæ puriſſimæ tribuenda exponantur. Frequenter detractio proximi laudes amplificat, dum obſcurare famam nititur.

Anſelm.

24. Nota eſt operariorum parabola. Tempore ſtato ſedet procurator, vt eos, qui primo manè acceſſerant, & qui circa diei finem venerant denario diurno muneraret. Profectò illi *accipientes murmurabant aduerſum patremfamilias dicentes: Hi nouiſſimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei, & æſtus?* Matth. 20. Curatis ô ſtulti obmurmurando Domini famam conſpurcare, ſed eius interim miram benignitatem exprimitis. Anſelmus, Quia dum iuſtè quidem ſero accedentibus merces æqualis vltrò datur, dantis liberalitas, ac magnificentia mirificè expenditur.

Dñi obmurmurantes operarij ſe nantur patrisfamilias famam obſcurare, eum mirificè illuſtrãt. Matth. 20. Anſelm.

25. Angelus Ioſepho, *Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum.* Matth. 2. Vbi Chryſologus ſerm. 151. Expeteret Euangeliſta à verbo *Fuge* abſtinuiſſe, *Reuerentius diceret, vade in Aegyptum.* An non fuga Chriſti obmurmuratoribus occaſionem exhibebit contumelias in Dominum aceruandi? O artificium gloriam Domini proferendi Iſidorus Peluſ. lib. 1. epiſt. 54. *Quæ etiam in re teſtimonium ſuum Euangeliſtæ ab adulatione & gratia vſque adeò purum ſeruauerunt, vt probra etiam, quæ ſibi acciderunt, literis mandarint.* Occaſio dabitur murmurandi inimicis. Porrò obmurmuratio vberiorem cedet in commendationem.

Dum Ieſu fuga à detractoribus obiurgatur, ipſius vberiorem cedit in gloriam. Matth. 2. Chryſol. Peluſ.

26. Obmurmurant Iudæi poſt exhibitam à Domino Paralytico ſanitatem. *Sabbatum eſt, non licet tibi tollere grabatum tuum.* Ioann. 5. Curant IESVM taxare, quod iuſſus fuerit die Sabbati grabato onerare paralyticum. Cur Dominus anſam videtur murmurationi Iudæorum exhibuiſſe? Exiſtimo, ad vberiorem gloriam miraculo comparandam. Nam detractio ingenium eſt ampliandi hominis actiones. Maldonatus pulchrè. *Conſtat, Dominum Iudæorum murmuratione ad illuſtrandam gloriam Dei, & miraculi magnitudinem vti voluiſſe. Fecit enim illa reprehenſio, vt miraculum quod paucis videntibus factum fuerat, in totam, dum reprehenditur Ciuitatem euulgaretur.*

Murmuratione Iudæorũ miraculum Paralytici ſanati illuſtratur. Ioann. 5. Maldon.

Dauidico carmine confirmabo. *Poſuerunt in cælum os ſuum, lingua eorum tranſiuit in terra.* Pſalm. 72. Chaldaicè, *Poſuerunt in ſanctos cælorum os ſuum, lingua eorũ vſſit ſeu probauit ſanctos terræ.* Ignis probans aurum, id efficit magis rutilare? Sic detractorum lingua ſanctos non deturpat, ſed mirificè eos facit exaltari. Theodoretus ad hæc: *Non ſatis fuit ipſis detractoribus contra homines iniuſtè agere, verum cælum ipſum verbis auſi ſunt petere. Sed hæc ſine dubio reſpicit illud: In memoria æterna erit iuſtus, ab auditione mala non timebit. Non dixit, liberabitur, quia ſacra & profana ſolet lingua iniuſta inficere; ſed dixit, Non timebit, quia in tranquillitate eſt,* apud cœlos adeſt, ſublimis admodum aſpicitur, dum à detractoribus obiurgatur. 27.

Detractorũ lingua eſt ignis faciẽs ſanctos magis rutilare. Pſalm 72. Chald. Pſal. 112.

Alibi Vates, *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ à contradictione linguarum* Pſalm. 30. Quid eſt abſconditum faciei Domini? Diuinæ præſentiæ occultatio, quæ humanos oculos & animum fugit, vt conſpici nequeat. Quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt. Bernardus epiſt. ad Fratr. de monte Dei innuit tunc homines à contradictione linguarum detrahentium in Dei facie abſcondi, cum quodammodo deificantur, vt ab hominibus videri non poſſint. O detractionis vis ad hominum gloriam extollendam. Detractione deturpatis vt homo, & inuiſibilis vti Deus redderis. 28.

Murmuratio facit homines quaſi in Deos conuerti, dum ab ipſis feriuntur. Pſalm 30. Bernard.

Quid Salomon? *Sicut auis ad alia tranſuolat & paſſer quolibet vadens: ſic maledictum fruſtra prolatum in quempiam non ſuperueniet.* Prou. 26. Vbi Brixianus, *Sicut auis reuolat in nidum: ita maledictio redit in maledicentem, & non venit ſuper eum, qui male dicitur.* Cur non veniet ſuper eum obmurmuratio, ſi velox paſſer ad alia, ſiue (vt alij) *ad alta tranſuolat*? Quia eo ipſo, quod detractione quis impetatur tam ſublimis efficitur, vt nullatenus poſſit eum velox auis attingere. Quid mirum ſi, vti Deus, non videtur, *ſed nec videri poteſt.* 29.

Tam altus & ſublimis eſt, dum detractione afficeris, vt vel auis nõ poſſit ad te peruenire. Prou. 26. Brixian.

Observat. III.

Ad illa verba:

Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti: hæc autem lacrymis rigauit pedes meos, &c.

Antor

Amor IESV in Magdalenam conuersam eum excitat ad eius laudes vberrimè proferendas.

Quidquid enim amantibus aſpectatur oculis, optimum planè exponitur. Porrò in diuina dilectione, meritò.

31. Anſelm.

ANſelmus premens illud: *Vides hanc mulierem?* ait, *Corporaliter quidem vides Magdalenam* peccatricem prius, & ideo eam deſpiciendam iudicas *Myſterium non vides*, & ideo miraris, eam à Domino tam vbertim collaudari. Quodnam myſterium? Amatur à Domino iam conuerſa, & ideo comitas illa vnica Magdalenæ eſt eidem laudatori omnium obſequiorum colligatio: *Hæc lacrymis rigauit pedes meos, capillis terſit, non ceſſauit oſculari pedes meos, vnguento vnxit pedes meos.*

32. *Sponſus imperfectam dilectã ſine macula aſſerit, quia diligit.* Cant 4.

Sponſus cœleſtis eloqoentiæ profundit pelagus, vt dilectæ gloriam expendat. *Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es! Oculi tui columbarum abſque eo, quod intrinſecus latet. Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad.* Pergit, dentes, labia, eloquium, collum, vbera, veſtimenta collaudare, ac non ſemel ſingulorum membrorum pulchritudinem exprimere. Denique *Tota pulchra es*, inquit, *amica mea, & macula non eſt in te.* Cant 4. Quonammodo ab omni macula immunis aſſeritur, quæ pigritiæ vitio incuſabilis oſtentatur dum clamitat, *Expoliaui me tunica mea, &c.* Cant. 5. Profectò ſponſus apertè reſpondet, *Tota pulchra es, amica mea.* Amans te, mihi omnino immaculata oſtenderis.

Cant 5.

33. *Sponſa cunctas poſſibiles Sponſi perfectiones colligens, dũ aſſerit ſe eum amare.* Cant 5.

Reſpondet ſponſa eurans ſeſe in laudes dilecti profundere, vt ei laudatori inorem gerat. *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus. Caput eius aurum optimum, coma eius ſicut elata palmarum nigra quaſi coruus. Oculi eius ſicut columbæ. Genæ illius ſicut areola aromatum. Labia eius lilia. Manus illius tornatiles aureæ. Guttur illius ſuauiſſimum, & totus deſiderabilis. Talis eſt Dilectus meus.* Cant. 5. Miror ſponſam dilectiſſimam ſolummodo externam IESV pulchritudinem collaudaſſe, cum inuiſibilis Deitatis vbetius poſſet gloriam expendere. Chriſtus internam ſponſæ protulit pulchritodinem, animi aperuit excellentiam, dum dixit. *Abſque eo, quod intrinſecus latet.* Cur non ſimul ſponſa inuiſibilis Deitatis commendat pulchritudinem? Addidit opportunè Dilecta, *Et ipſe eſt amicus meus, filiæ Ieruſalem.* Ibid. Poſtqoam tot præconia de IESV meo audiſtis, quæ non poſſum recenſere apertè ionuo, dum aſſero, eſſe amicum meum. Nihil non magnum, & ſummum io dilecto conſpicio. Gillebertus pulchrè, *Obnixè adiurat, paratè reſpondet, diſtinctè partitur, ſuccinctè pertranſit; & neſcio, an ſufficienter exprimit. Scio quidem, quod efficiosè concludit: Talis eſt Dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus. Laudem iſtarum magnus ambitus.*

Gilleb.

34. *Idololatria orta ex amore in creaturas.*

Aurum, lignum, lapidem homines ſtulti adorauerunt idololatriæ ſtudentes. Vndenam tanta hominum cœcitas? Exiſtimo, quia ex nimia in res ipſas dilectione. Sic aurum quis amauit, vt dignom putaret diuina obſeruatione. *Diues effectus ſum, inueni idolum mihi.* Qui enim amat nihil in dilecto exiſtimat reſidere, quod diuinum non ſit. D. Athanaſius orat. cont. Gent. *Ea, quæ viſibilia ſunt, Numinum appellationes conſecrat; quippe cum ea ſola magnifaciat, quæ animo concupiſcit, & cum voluptate aſpectat.* Sic ſponſa, *Et ipſe eſt amicus meus.* Ac ſi diceret, *& ipſe eſt Deus meus.* Nam ſi amo veraciter, conſequenter Dilectum mihi Deum adorandum propono. Athan.

Inſipiens homo totius viſibilis orbis creatum aſſerit conditorem. *Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus.* Pſalm. 51. Et quomodo negat Deum eſſe, quem tot perfectionibus ſapientiæ, potentiæ, ac prouidentiæ fulgentem aſpicit? Reſpondet Bernardus ſerm. 36. ex paru. ideo abnegaſſe Deum eſſe conditorem, quia eum non diligebat. *Is penitus inſipiens eſt, cui nec timorem ſapit Deus, nec amorem. Cui ergo miſericordiam non ſapit Deus per amorem, is planè dicit in corde: Non eſt Deus.* Proculdubio Deum profiteretur, ſi diligeret, qui creaturas amatas confiogit in Deos. 35.

Qui non amat Deũ, eum deſpicere non veretur. Pſalm. 51. Bernard.

Paulus hinc, *In charitate radicati, vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum.* Epheſ. 3. En ſcientia Dei exprimens maieſtatem auctore Bernardo lib. de Conſid. ad Eug. *Eſt longitudo propter æternitatem, latitudo propter charitatem, ſublimitas propter maieſtatem, profunditas propter ſapientiam.* Addit, *Nommus hæc; num ideo arbitramur, nos comprehendiſſe? Non ea diſputatio comprehendit, ſed ſanctitas. Si quo modo tamen comprehendi poteſt, quod incomprehenſibile eſt. At niſi poſſet, non dixiſſet Apoſtolus, Vt comprehendamus cum omnibus ſanctis. Sancti igitur comprehendunt.* Quonammodo igitur hic tanta poterimus ſcientia circa Dei maieſtatem illuſtrati, vt quodammodo poſſit comprehenſio appellari? Reſpondet acutè Apoſtolus, *In charitate radicati.* Adſit amor Dei, ſic de Deo ſenties, tam magna de Numine excogitabis, vt videatis comprehendiſſe. Bellè Auguſtinus in Manua. cap. 20. *Qui vult habere* pleoam *notitiam Dei, amet.* 36.

Qui amat Deum eo tantaque de Deo præconia noſcit, vt videatur eum cõprehendere. Eph. 3. Bernard.

OBSERVAT. IV.

Ad illa verba:

Hic ſi eſſet Propheta, ſciret vtique, quæ & qualis eſt mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt.

Phariſæus ipſe Magdalenæ impudicitiam velut Propheta taxat.

Quiuis enim alienæ luxuriei ſe Prophetam oſtentat. O cenſorum falſa iudicia!

HAud benè arguit Phariſæus ſi eſſet verus Propheta, ſciret laſcioos fœminæ mores. 37.
Imò quia verus Propheta eſt, ſuper laſciuia non diuioat, neque prophetat; nam ad diuinandum de aliena luxuria nemo eſt, qui ſe Prophetam non profiteatur. Caue, obſcero, ab hac laſciuiæ

ſciuiæ noxia prophetia, quam planè immundus inſpirat ſpiritus.

38. Propheta quid uiſi videns? Quicumque nactus leuem aliquam circa laſciuiam proximi ſuſpicionem, ſibi videtur apertè vidiſſe, nec vlla ſubeſt animo iam ratio dubitandi. O prauos vates! Fugit Ioſeph caſtiſſimus Ægyptiæ illectamenta, ne igni exitiali abſumeretur. Acclamat illa adoleſcentem vim thoro intuliſſe. *In argumentum ergò fidei, pallium retentum oſtendit marito reuertenti domum. His auditis, Dominus nimium credulus verbis coniugis, iratus eſt valde.* Gen. 39. *Quid nimium credulus?* Ac ſi vidiſſet adoleſcentis impudicum auſum. O malè videns, ô malè Propheta! An non hoc indicium pallij oppoſitum atteſtatur? Baſilius Seleu. orat. 8. *Illa veſtem oſtentans, fidem facit. O inexpectatam maledicentiam! O infaniam barbaricam! Cum pallij, quo manus accuſantur, ſit geſtatrix, lingua accuſanti creditur.* Apprehenſi pallij demonſtratio oppoſitum demonſtrat? Ita planè. Cum de alterius laſciuia agitur, cuilibet videtur ſe vidiſſe, quod falsò plerumque à vulgò circumfertur.

Putiphar videtur ſibi, vidiſſe quaſi prophetico ſpiritu Ioſephi impudicitiam. Gen. 39. Baſil. Sel.

39. Quæ ſierim ad illa verba: *Tradiditque Ioſeph in carcerem, vbi vincti Regis cuſtodiebantur, & erat ibi clauſus.* Gen. 39. Quare Ioſephus innocentia fretus facinus confictum non excuſauit? Reſpondeo ex Anſonij illa ſententia: *irrefragabile argumentum viſio.* Videns eſt Putiphat? Operam perdet Ioſeph. Nec enim vel leuis circa alienam impuritatem ſuſpicio dubitationi traditur, ſed tanquam verax creditur prophetia.

Ideo Ioſeph ſua defenſioni non ſtuduit. Gen. 39. Auſon.

40. Magis miror, ſanctiſſimam fœminam Suſannam tam facilè ſenum iudicio ceſſiſſe, nec incredibilem accuſationem exſufflaſſe. *Credidit eis* (ſenibus) *multitudo populi tanquam ſenibus, & iudicibus, & condemnauerant eam ad mortem. Exclamauit autem Suſanna, &c.* Dan. 13. Cur ô ſanctiſſima fœmina, non accurris ad aduocati protectionem, ſed ad Deum immediatè confugiſti? Quia de aliena impudicitia tam credibiles exponuntur actiones, vt ſolus Deus poſſit homines infrænare, qui Prophetarum more putant ſe vidiſſe, quod à vulgo inaniter circumfertur. D. Zeo de Danie. *Suſannam iudicantium ſententia praua deiecerat. Teſtis inquit, eſt Deus.* Solus ipſe poteſt contra apprehenſam hominum viſionem militare.

Suſanna ſe non curat defendere, adulterij accuſata, quia haud credendat. Dan. 13. Zeno.

41. Luxuriem occultam Dominus Samaritidi expoſuit. *Quinque enim viros habuiſti, & nunc quem non habes, non eſt tuus vir. Dicit ei mulier, Domine, vt video, Propheta es tu.* Addit Ioannes, *Ex ciuitate autem illa multi crediderant in eum Samaritani propter verbum mulieris* Ioann. 4. Vbi Theophylactus aſſerit credidiſſe Domino Samaritanos, quia crediderunt Samaritidem adulteram fuiſſe, quod ipſa adhuc operuerat. O Samaritani, Chriſtus verus Propheta vidit fœminæ conſcientiam, & ipſa debuit credere ſui arcani reuelatori. At vos vndenam credere tenemini vera illum prophetia fulgere, ſi delicta Samaritidis ignoratis? Certè quia cum circa luxuriem alienam credulitas ſit, minimè dubitant Samaritani, ſed videntur ſibi more prophetico vidiſſe.

Vt videmus credunt Samaritani fœminæ impudicitiam. Ioan. 4. Theoph.

42. Poſt illuſtriſſimum Iudithæ facinus obtruncati ducis ſic Vidua puriſſima: *Viuit autem ipſe Dominus, quoniam cuſtodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem, & non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari, ſed ſine pollutione peccati reuocauit me.* cap. 13. An non ſufficeret, ſimplici verbo innuere, te aſſeruatam, quare tot verbis vteris, & iuramento affirmas tuam à luxuriei macula præſeruationem? Profectò quia vel leuis impudicitię ſuſpicio vulgo erit velut viſio prophetica. O quot falſi Prophetæ inueniuntur circa proximi puritatem.

Iudith timuit Bethulienſes credituros aliquid contra eius pudicitiam. Iud. 13.

43. Minerua Diua Gentilibus virginitate fulgentiſſima virginum ductrix. De qua aſſeruere homines draconem peperiſſe. Nazianzenus Orat. 2. in Iulian. *Minerua virgo eſt, & draconem peperit.* Si perpetua Mineruæ virginitas à Gentilibus colebatur, quonammodo eam aſſerunt peperiſſe? Certè quia homines quæ circa puritatem alienam, ſuſpicantur facinora adeò credunt, vt ſibi vidiſſe perſuadeant. Facilius credunt poſſe virginem parere, quam ſuſpicionem ſuam de libidine falſam exiſtere.

Gentiles in ipſam Mineruã circa ſuſpiciones habere impy. Nazianz.

Observat. V.

Ad illa verba:

Fides tua te ſaluam fecit, vade in vade.

Iubetur Magdalena, à via puritatis in viam ſcandali vlterius non labi.

Periculoſum enim eſt pœnitenti, vel ſolum reſpicere, ſtatum priorem.

ANſelmus exponit particulam, *Vade in pace. Quaſi dicat, ne à via veritatis in viam ſcandali vlterius labaris.* Periculoſum enim valde eſt pœnitenti, vel ſolum priorem aſpicere ſtatum. 44.

Anſelm.

Huiuſmodi ſtudebat Magdalena perſeuerantiæ, dum ad pedes Domini prouoluitur. *Stans retro ſecus pedes Domini, lacrymis cœpit rigare pedes eius.* Luc. 7. Cur ad pedes acceſſit? Reſpondet Ambroſius, *Quæ diu malè ambulauerat, veſtigia rectè quærebat.* Nihil magis timet Magdalena pœnitens, quam à via veritatis in viam ſcandali vlterius prolabi. Ideo quærit recta veſtigia, vt poſſit animantia illa ſequi, quæ *non reuertebantur, cum ambularent.* Ezec. 1. 45.

Magdalena curat ſemper recta veſtigia ad anteriora quærere. Luc. 7. Ambroſ.

Vrbanitatis prætextu diſcipulus ille copiam petiit à Domino redeundi in domum paternam illicò rediturus. Cui Magiſter, *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & aſpiciens retro aptus eſt Regno Dei.* Luc. 9. Cur tam ſcrupuloſè vel aſpectus interdicitur? Græcus apud Thom. in Cat. *Intuitus enim eorum, quæ deſeruimus, trahunt ad retro acta. Violentum enim quid eſt, ad retinendum ſibi.* Si vel intuitus vnicus tam noxius aſſeritur incipienti quid recurſio ad ſeculi pericula? 46.

Intuitus eorum, quæ reliquiſti noxius incipienti. Luc. 9. Græcus.

Teſtor vulgariſſimam vxoris Lothi hiſtoriam. *Reſpiciensque vxor eius poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis.* Gen. 19. Tanta nè fœminæ reſpicienti cœleſtis ira? Beda, *Si quis incipiens cum vxore Loth ad ea, quæ reliquerat aſpicere delectatur, futuri iam iam Regni munere priuatur.* Maius periculum ſubeſt incipienti, quam proficienti. 47.

Incipiens pœnitere vxor Loth perit, quid aſpicit, quæ reliquerat. Gen. 19. Beda.

cienti. Pœnitens fugiat vel prælapsas aspicere voluptates, si expetit, Regni munere non priuari. Pende particulas, *Iam iam.* Quàm velociter ad ruinam recurrit, qui incautè se gerit circa seculi illectamenta.

48. *Incipiens prohibetur domum redire vel ad renūciationem secularium.* Luc. 9.

Quidam futurus Domini Discipulus profabatur, *Sequar te Domine, sed permitte mihi primum renunciare his, qui domi sunt.* Ait illi IESVS *Nemo mittens manum suam ad aratrum, &c,* Luc. 9. Quid Discipulo Christi magis agnatum, quam renunciare seculi bonis? An non Apostoli, *relictis retibus, secuti sunt eum?* Quare ergo non permittitur bonis renunciare? Debuerat ille è præsentia IESV bonis remittere nuncium, non ad domum secularem recurrere; quia periculosus valdè reditus ad prælapsa. Beda pulchrè, *Si autem secuturus Dominum Discipulus, quia domi renuntiare velit arguitur: quid fiet illis, qui nulla vtilitatis gratia sæpè visitant domos illorum, quos in mundo reliquerunt?* Incipienti, seu pœnitenti vel domus, vbi deliquit, suspecta prædicatur.

Beda.

49. *Idee interdicitur vel sepultura patris, ne aditum pateat alicui negligentiæ.* Luc. 11. Chrysost.

Alij Dominus dixit, *Sequere me.* Qui respondit, *Domine, permitte mihi, primum ire, & sepelire patrem meum.* Cui Dominus, *sine vt mortui sepeliant mortuos suos.* Luc. 11. Cur filius à piissimo patris officio reuocatur? Chrysostomus, *Quid magis necessarium paternis exequiis? quid facilius, cum non esset multum temporis dandum? Per hoc autem docemur, quod diabolus insistit attentius, volens aliquem aditum inuenire: etsi modicam sumat negligentiam, magnam operatur pusillanimitatem.* Quam attentè diabolus incipientes aspectat, vt vel modicum aditum inueniat. Est planè exitiale incipienti perleuis ad priora reditus.

50. *Vel leuis cogitatio prolapsa mundi renūciatis in incipienti interdicitur.* Matth. 19.

Petrus proclamat, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* Dominus autem, *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me.* Matth. 19. Vbi Hieronymus, *Non dixit, vos, qui reliquistis omnia.* Quare integram Apostoli clausulam non expressit? Noluit, Petrum ad memoriam vel leuiter reuocare quæ iam reliquerat mundialia, ne oculis internis aspiciens, rursum ad ima prolaberetur. Gregorius hom. 3. in Ezech. *Pertimescit, vt retro per cogitationem redeat, qui iam mentis gressibus ad altabat.* Periculosus valde incipienti ad prælapsa respectus.

Gregor.

OBSERVAT. VI.

Ad illa verba:

Vade in pace.

Nec bellum vult Deus à Magdalena pristinis indici voluptatibus.

Hostis enim luxuries non bello adorto, sed fuga vincendus.

51. ALiter vidimus scribi, *Vade in pacem.* Vade quidem, sed in pacem. Non assumas contra luxuriei illectamenta certamina nunquam non periculosa; sed *vade* fugiens delinquendi occasiones.

52. *Vt Angelicus Ioannes claudit sanctos oculos ne videat libidinem.* Ambros.

Angelicus Ioannes Baptista puritate fulgurabat, Deo proclamante, *Ecce ego mitto Angelum meum.* At purissimus miles quàm cautus extitit castimoniæ custos! Obtruncatur Diuus, eiusque caput traditur puellæ saltatrici. Cur tam egregius miles tam properanter defecit Ecclesiæ? Ambros. *Clausit Propheta lumina, non tam mortis necessitate, quam horrore libidinis.* An non fortissimū ducem oporteret vita diu fungi, vt Christum Dominum militantem sequeretur, vicesque gereret Saluatoris obeuntis? Cur tam properè Ioānes è vita recedit? Cur qui vitæ veræ vi roborabatur oculos clausit, & nō potius, instar leonis, (sic appellatur ab aliquo docto deserti habitator) apertis luminibus se tradit mortis somnio? Profectò clausit Propheta lumina, *non tam mortis necessitate, quam horrore libidinis.* Nihil castissimo Angelo magis in optatis, quàm omnino fugere à libidinis aspectu. Quare non vincendam aspiceret? Quia fugiendo vincenda est libido.

53. *Infantes Sodomorum subuertit Dominus, ne vel memoria libidinis relinquatur.* Gen. 19. Alcuin. Adam.

Olim *Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem à Domino de cælo, & subuertit ciuitates has, & omnem circa Regionem, & vniuersos habitatores vrbium.* Gen. 19. Cur infantes eodem cum parentibus incendio perierint? Alcuinus respondet. *Pluit Dominus super omnes habitatores terræ, & infantes quoque cum parentibus cremati sunt, ne de Sodomorum origine aliquod remaneret vestigium.* Pulchrius Adamus, *Ne reliquiæ libidinis relinquerentur, cogitationique bellum inferret, quod periculosè quis propulsaret corde.* Nec bellum cùm libidine assumendum est; tunc securius deges, cum nec scintillæ memoria possit præcordia ad bellandi impetus succendere. Confirmo ex Augustino premente illud Apostoli: *Fugite fornicationem.* 1 Cor. 6. *Propterea Paulus* (inquit serm. 250. de Temp.) *cum omnibus vitiis prædicauerit resistendum, dum contra libidinem loqueretur, non dixit: Resistite, sed Fugite fornicationem. Vade,* obsecro, *in pace.*

August. 1. Cor 6.

54. *Elias fugit ad superos, ne pugnaret cum Iezabel.*

Testor Eliam fortissimum illum Ducem, qui tot Regis milites ignis gladio comminuit. Iezabel fragilis fœmina prosilit in campum. At Dux fugæ se tradidit victurus. Cur non potius certamina instituit? Quia luxuriei vis à fugiente comminuitur, à pugnante succenditur. Fulgentius serm. 7. *Elias Iezabel Reginam grauem passus est inimicam; quam dum fugit, totam vitam suam contriuit in fuga, cuius tantum timuit gladium, vt viuus fugisset in cælum. Quocumque pacto persequitur mulier, si placet, iugulat: si displicet excruciat.* Preme illud: *Cuius tantum timuit gladium, vt viuus fugisset in cælum.* Baptista enim & Elias Duces fortissimi visi sunt sibi quodammodo periculo gladij horribilis luxuriei premi, dum in terris commorarentur; ideo hic ad superos fugit, ille oculos claudit *horrore libidinis.*

Fulgent.

55. *Dauid fortissimus victus est à fœmina, quia nō fugit, ad campum procedere.* Psalm. 29.

Dauid fortissimus populi sanctissimi Imperator eo tempore, quo solent Reges ad bella procedere fœminam aspectauit, & debellatus miserè interiit. Quis crederet eum vincendum, cum ardore militari ad certamina præpararet? *Eo tempore, quo solent Reges ad bella procedere.* Fatetur victus Dauid, *Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Psalm. 29. Particula *Factus sum conturbatus,* Respicit Regis incautam aspectationem. Idem etenim est conturbatum esse, ac fœminam aspectasse. Caietanus,

Caiet.

Fatetur

Fatetur ergo se perdidisse fortitudinem, cum confitetur se fuisse territum. Et verè per iudis fortitudinem ad aspectum mulieris. Nimium ne crede fortitudini, fuge, ne bellum ineas; succumbit, qui in arenam descendere non formidat.

55. Veruerat Deus Israëlitarum cum fœminis Chananæis coniugia, ne simili bello caperentur à Chananæis, quo olim à Madianitis, quibus Balam persuasit, *vt non viri*, (loquor cum Theodoreto quæst. 45. in Num.) *sed mulieres cum illis decertarent, quæ armorum vice corporis venustate, & verborum illecebris essent præditæ, vt illarum pulchritudine, ac verborum lenociniis illecti, illorum idolis seruirent.*

Quam fortis fœminarum impugnatio validissimos milites debellans. Theodor.

56. An infirmi Hebræi? Certè generosi milites ad bella prodiere. Cur igitur tam ignobiliter victi conciderunt? Chrysostomus homil. 14. ad Popul. *Clypei quidem, & hasta, & sagittæ omnes frustrabantur; vultus autem forma, & animi lasciuia hos expugnabit alioqui milites generosos.* Nulla militaris artis vis proficit ad victoriam, vbi fœminæ fragilis potentissima pulchritudo vires exerit. Fuga igitur lasciuia superanda.

Milites generosi non fugientes comminuuntur. Chrysost.

Observatio VII.

Ad illa verba:

Vade in pace.

Peccatrix in ciuitate scandalum omninò iubetur auferre.

Qui non curat occasiones fugere, haud potest vera pace potiri.

57. Adhuc premo Bedæ sententiam. *Vade in pace, Quasi dicat, ne à via veritatis in viam scandali vlterius labaris.* Scandalum enim & pax vna in sede minimè commorantur. Non solum debet peccator pœnitens ab actionibus iniquis recedere, sed & omnia vitare, vnde possit scandalum rursum animo suscitari. Magdalena peccatrix, non solùm fugit à carnis illecebris, sed & alabastrum vnguenti frangit, ac Domino litat. Nec enim sufficit fœminam ab impudicis actionibus abstrahi, si cultus superfluitate, ac purpurissi coloribus rursum allicitur ad scandalum. Tunc ergo te vera pace frui existima, cùm scandalum omninò feceris obrui. Aliqui aut senectute pressi aut affecti libidinis vulneribus à luxurie abstinent, sed amasiæ plura obsequia gratitudinis ergo, nec omnino ab illa recedere conantur. Vereor, ne ob scandali excitationem flammis rursum tradantur miserè conflagrari.

Beda.

58. Lotho Deus, *Ne stet in omni circa regione.* Genes. 19. Non solum iubetur à Sodoma ablegari, sed & prohibetur in omni circa regione consistere. Stephan. Cantuar. apud Tilm. *Quidam enim peccatum oderunt, sed non nimis, quia peccata fugiunt, sed occasiones cum scandalo sequuntur.* Stant circa, non longè à domo olim suspecta commorantur, munuscula immittunt, inuisunt, salutant. O quàm periculosè degis! Minimè pace potieris, dum scandalo exhibes occasionem.

Lotho indicitur ne circa regionem Sodoma commoretur. Gen. 19. Stephan.

59. Fatus Sapiens, *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Prouerb. 1. Quinam pennati hi nisi qui præuident hostis insidias, ne retibus illigati pace interna priuentur. Occasiones fugiat, qui non vult retibus mundi complicari. Salonios, *Pennati isti sunt sancti viri, qui habent spirituales oculos, quibus & insidias hostis antiqui præuident, & peccata præcauent. Frustra ergo, id est, in vanum iacitur rete ante oculos pennatorum, id est, laqueus insidiarum diaboli obiicitur electis viris quia facilè superare possunt insidias diaboli*, & vera pace semper potientur.

Pennati cauti non illaqueantur retibus voluptatum. Prou. 1. Salon.

60. Vodenam Ioseph vera pace potitus est apud Ægyptum, qui nec possibile quodammodo iudicauit ea priuari: *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Planè ex accurata laqueorum, seu occasionum declinatione. *Nunquid*, (ait Salomon,) *potest homo abscondere ignem in sinu suo?* Prou. 6. Ad quæ idem Salonius, *Vidit hunc ignem Ioseph, quando eum adulterij cupida mulier allocuta est, voluit eum capere sermone, misit laqueos labiorum suorum; sed pudicum virum ligare non potuit. Soluit enim vincula mulieris vox pudoris, habena cautela. Misit illa manum, & apprehendit vestem eius, vt nedum stringeret; sed non retibus capi potuit mens pudica, nec nodo; excussa vestis, solutus est nodus; & ideò quia non alligauit ignem in sinu mentis suæ, non combussit corpus suum!* O pacem conscientiæ!

Ioseph in vià scandali abire, cautè vitauit, igni non tetigit. Prou 6. Salon.

61. Ne ergo *a via veritatis in viam scandali vlterius labaris*, si vis interna pace frui. Sic Dauid, *Ab omni via mala prohibui pedes meos, vt custodiam verba tua.* Psalm. 118. 110. Lorinus, *Ab omni via mala, id est, procliui, & præcipiti.* Chrysostomus, *Ab omni re lubrica, & ad peccandum prona.* Pulchrè Ambrosius, *Cum fragilitas humana prona sit, vt labatur, non ad vnum affectibus malum, sed vniuersum toto vestigio feratur in vitium: docet, quemadmodum vita istius lubricam declinans semitam, itineris huius anfractus viantem implicare non possit.* Iter hoc non resumere Magdalena iubetur.

Dauid ab omni via scandali prohibui pedes, pace potitur. Psalm 118. Chrysost. Ambros.

62. Quid Sapiens? *Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à semitis eorum.* Prouerb. 6. Ac si diceret, *Ne in viam scandali labaris.* Hilarius ad Psalm. 118. *Perfecta hæc, & Euangelici viri vox est, ab omni se malitiæ via abstinere, & tot vbique occurrentibus erroris semitis, nulla earum, per quam nequitia adeatur, incedere.*

Hec monet sapiens. Prou. 6. Hilar.

63. Alibi Salomon, *Sapiens timet, & declinat à malo: stultus transilit & confidit.* Prouerb. 14. Quæ eleganter expendit D. Cyprianus lib. de singul. Cleric. *Ille autem tutius sibi consulit, qui circa males semper infidus, species quascumque noxias extimescit; quorum distantiam Salomon differuit dicens: Sapiens*, &c. *Magnum sapientiæ diuinæ consilium inuentum est, vbi timoris auxilio liberemur. Magna remedia contulit Dominus ad salutem, vt habeat timidus laudem*, & pace perfruatur.

Quàm sapiens, qui audit admonitionem. Prou 14. Cyprian.

64. *Pax acquiritur, dum ad viam scandali non declinatur.* *Eph. 6.* Christus qui Magdalenæ dixit, *Vade in pace*, id est, ad viam scandali rursum non declines: profatur Apostolis ex ore Pauli, *State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitia, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis.* Eph. 6. Expende illud: *State in veritate.* Quod dixerat Dominus Magdalenæ, *Vade in pace, id est, ne à via veritatis,* (cum *Anselm.* *Beda.* *Gaudent.* Anselmo, & Beda loquor,) *in viam scandali labaris.* D. Gaudentius tract. 5. in Exod. *Non solum præcinctos debemus habere lumbos castitate, verum etiam calceati esse in præparatione Euangelij pacis.* Pace enim vera potitur, qui à via veritatis in viam scandali vlterios non labitur. Adiicit Doctor, *Quid enim prodest homini, si solam corporis habeat castitatem, & incautus, & sine instructione calceamentorum legalium, malis fuerit obnoxius: vel quod quotidie in vsu est cordis sui calcaneum patens præbeat comestioni serpentis?* Plura alibi.

LIBER

LIBER QVARTVS.

COLLOQVIVM IESV CVM IVDÆIS APVD TEMPLVM, FLAGELLATIS MERCATORIBVS.

PARAPHRASIS, ET COMMENTARII literales ad caput secundum Ioannis.

Panegyrici Morales circa literam in Iesum colloquentem.

PROLVSIO.

SE IPSVM Dominus amplius manifestaturus, è Capharnaum, vbi aliquod diebus cum suis manserat, ob instans Pascha Iudæorum, ascendit Ierosolymam, ibique è Templo mercatores abegit. Quærentes verò signum vendicatæ auhoritatis, & acerbæ illius castigationis, audiunt fore, mystico sermone, vt Templum ab eis diruendum, sua virtute triduò restauraretur. Vndenam IESV pietas tam acriter Templi vindicator exsurgit? Crediderim cum D. Ildephonso, quia Templum illius Deiparentis agebat simulacrum. *Si Dauid*, (inquit serm. de Assumpt.) *gloriam illius Templi, seu Arcæ, quæ euacuatur, tanto tulit honore; quoniam hæc rerum figuratarum gesta sunt: quantò magis Templum Dei viuentis decet hominum reuerentia? Illa namque omnia vmbra sunt futurorum, in Maria verò manifesta veritas; quoniam ipsa est Dei Templum, & Arca noui Testamenti, in qua verus Deus versatur, non in ænigmate, sed in veritate.* Sic Doctor.

Dominici vitalis ligni FRVCTVS QVARTVS.

Ildephon.

IOANNES CAP. II.

VERS. 13. & 14. PROPE erat Pascha Iudæorum, & ascendit IESVS Ierosolymam: & inuenit in Templo vendentes boues, & oues, & columbas, & nummularios sedentes.

PARAPHRASIS.

13. & 14. *IAm instabat celeberrimus ille dies Iudæorum, qui dicitur Pascha, quod Hebrais transitum sonat. Cum igitur id temporis ingens esset Ierosolymis hominum frequentia, IESVS eò se contulit ascendens ad PATRIS negotium. Mox Templum ingreditur. Offendit planè*

non Templi, sed fori speciem. Reperit enim illic permultos, qui in loco sacro sordidum, atque iniquum quæstum exercerent, & Religionis occasionem verterent in rapinam.

15. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de Templo; oues quoque & boues, & nummulariorum effudit æs, & mensas subuertit.

15. IESVS *iam tum ipso facto docens, quanta pestis Ecclesiæ sit turpe lucri studium, & quantum ab hoc morbo abesse oporteat eos, qui se Religionis Euangelicæ Proceres profitentur: contexuit sibi veluti flagellum è funiculis tanquam canes è domo Dei profligaturus; magnáque austeritate omnes illos exegit de Templo, etiam oues ac boues eiecit, æs effudit in terram. mensas subuertit.*

16. Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.

16. *Cæterùm his, qui columbas vendebant, indignabundus dixit: Auferte ista hinc, & ne ex Patris mei domo domum negotiationis feceritis.*

17. Recordati sunt verò Discipuli eius, quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me.

17. *Discipuli verò cùm viderent* IESVM *alioqui placidum ac mitem hîc tanta seueritate profligantem, qui sordido quæstu Templi religionem profanabant: recordati sunt eius prophetiæ Psalm. 68. Zelus domus tuæ comedit me.*

18. Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt: Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis?

18. *Profectò Iudæi vulnerati, si Deus Pater tuus est, inquiunt, & si Patris contumeliam vindicas: ede miraculum aliquod, vt intelligamus, te Patris hæc gerere authoritate. Si agis authoritáte tua temeritas est; si diuina quod signum profers, vt credamus tibi?*

19. Respondit IESVS, & dixit eis: Soluite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.

19. IESVS *autem sciens, eos calumniaturos etiam si quod miraculum edidisset: sub ænigmate miraculum mortis exponit, & resurrectionis. Soluite, inquit, Templum hoc, & in triduo excitabo illud.*

20. Dixerunt ergo Iudæi, Quadraginta & sex annis ædificatum est Templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?

20. *Porrò qualis erat Iudæorum intellectus, talis fuit & responsio. Quadraginta sex annis, aiunt, in hoc Templo post Babylonicam captiuitatem instaurando sudatum est: & tu triduo illud excitabis?*

21. Ille autem dicebat de Templo corporis sui.

21. *Hoc ænigmate Dominus corporis sui post triduum resurrectionem exprimebat.*

22. Cùm ergo surrexisset à mortuis, recordati sunt Discipuli eius, quia hoc dicebat, & crediderunt Scripturæ, & sermoni, quem dixit IESVS.

22. *Profectò ne Apostoli quidem tum intelligebant: sed cognita tandem resurrectione, ex re sensum orationis compe-rêre, hoc dixisse de Templo corporis sui, quod Iudæorum malitia morte esset solutura. Tum itaque Discipuli conferentes Scripturas, intellexerunt hoc esse maximum signum, quo Iudæis suam authoritatem ad flagellandum eos declararet, Deitatem videlicet.*

23. Cùm

23. Cum autem esset Ierosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa eius, quæ faciebat.

23. Cæterùm cum per aliquot Pascha dies Ierosolymis commoratus & signis, & doctrina aliqua Euangelicæ fidei semina iecisset, multi verbis illius fidem habuerunt, credentes, eum esse Dei Filium, quem se esse prædicabat: magis tamen miraculis, quàm verbis permoti.

24. Ipse autem IESVS non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes: & quia opus ei non erat, vt quis testimonium perhiberet de homine; ipse enim sciebat, quid esset in homine.

24. At Dominus iam tum formam ostendens Euangelici prædicatoris, quoniam sciebat fidem illorum adhuc esse rudem, & anticipem, & animos illorum nondum esse capaces mysteriorum Euangelicæ philosophiæ: ne subitò versis populi studiis tumultus aliquis nasceretur: non sese credebat promiscuæ multitudini. Id planè, eo quod ipse nosset omnium tacitas cogitationes: nec opus haberet, vt quisquam apud eum testificaretur de homine; ipse enim, quem nihil fugiebat, sciebat quid in recessu cordium vniuscuiusque lateret.

SECTIO PRIMA.

Profanatorum Templi Punitio.

TEXTVS.

VERS. 13. & 14. PRopè erat Pascha Iudæorum, & ascendit IESVS Ierosolymam, & inuenit in Templo vendentes boues, & oues, & columbas, & nummularios sedentes. 15. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de Templo, oues quoque, & boues, & nummulariorum effudit æs, & mensas subuertit. 16. Et his, qui columbas vendebant, dixit. Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis. 17 Recordati verò sunt Discipuli eius, quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De vendentium, & ementium è Templo expulsione.

1 *Pascha hoc secundum post IESV Baptismum.* PRopE *erat Pascha Iudæorum.*] Proculdubio Pascha hoc secundum post Christi Baptismum fuit. Baptizatus enim est sexta Ianuarij die, & Mense Nisan sequenti primum Pascha egit, cuius nullus meminit Euangelista. Verùm altero anno sexta item Ianuarij luce Canæ venit ad Nuptias, & Mense Nisan hoc secundum post Baptismum Pascha celebrauit.

2. *Seruãda Ecclesiæ instituta.* Anselm. Alcuin. *Et ascendit IESVS Ierosolymam.*] Vt gloriam suam, quam in Oppido Cana vno miraculo cœperat demonstrare, multis miris totius orbis capite declararet in vrbe. Anselmus, *Docet nos seruare instituta Ecclesiæ.* Alcuinus, *Bis legitur ascendisse, semel anno, quo Ioannes nondum missus in carcerem; de quo nunc agitur: iterum anno, quo est passus.* Addit, *Si autem Dei Filius legis decreta seruat, celebrans solemnitates cum cæteris: quantò nos studio oportet, solemnitatem celebrare?*

Et inuenit in Templo, &c.] Bis Dominus vendentes, & ementes expulit è Delubro. Semel quidem anno hoc secundo post Baptismum, rursum cum à populo paucis ante crucem diebus celebri pompa cum ramis exceptus acclamatur. Igitur postquam Dominus iniit Ierosolymam, Templum petiit. Beda, *Continuò Templum oraturus adiit, exemplum dans, quocumque properemus, domum Dei primò ingrediendi orationis causa.* 3. *Venit in Templum.* Beda.

Vendentes boues, & oues, & columbas.] Vendebantur in atriis Templi animalium illa genera, quæ sacrificiis erant destinata. Quonam 4. *Quonam in Templi loco hæc vendebantur?*

in loco mercatus hic haberetur? An intra Templum? Respondeo, Templum quatuor diuisum in partes, quarum intima Sanctum Sanctorum dicitur, secunda Sanctum, tertia Atrium Sacerdotum, quarta pars alia atria populi complectebatur. Res venales in atriis populi erant expositæ. Quorsum venderentur? Vt Iudæi, qui in Templum confluebant, præparata haberent sacrificia, quæ Domino offer-

Beda. rent. Beda, *Quia de longinquo venientes, quæ immolarentur, secum ferre non poterant, pretia deferebant. Itaque Scribæ, & Pharisæi in Templo vendi animalia instituerunt.*

5. *Quinam nummularij.* *Et nummularios sedentes.*] Sunt Nummularij pecuniarum permutatores, siue campsores. Græcè κέρμα monetam significat; hinc κερματισταί.

Abulens. Asserit Abulensis ad cap. 21. Matth. quæst. 67. tam nummularios, quàm animalium venditores ab ipsis Sacerdotibus lucrum captantibus in Templo fuisse collocatos. Idem

Hieron. *Sacerdotum auaritia.* putat Hieronymus fatus, *Sciendum, quod iuxta mandata legis augustissimo in toto orbe Templo Domini, & de cunctis ferè regionibus illuc populo concurrente, innumerabiles immolabantur hostiæ, maximè festis diebus taurorum, arietum, hircorum: pauperibus, ne absque sacrificio essent, pullos columbarum, & turtures offerentibus. Accidebat plerumque, vt qui de longè venerant, non haberent victimas. Excogitauerunt igitur Sacerdotes, quomodo prædam de populo facerent; & omnia animalia, quibus opus erat ad sacrificia, vendebant, vt & venderent non habentibus, & ipsi rursus empta susciperent. Hanc stropham crebra venientium inopia dissipabat. Posuerunt itaque & nummularios, qui mutuam sub cautione pecuniam darent.*

6. *Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis.*]

De flagello ex funiculis Lyranus refert quorundam opinionem asserentium, Christum pro cingulo vsum esse funi-

Lyran. culo, eóque in formam flagelli complicato animalia è Templo abegisse. Profectò existimans Dominum communi vsum & vestitu & cingulo, haud approbo opinionem asserentem funiculos cornibus forsitan bouis illigatos, vel humi iacentes reperisse.

7. *Omnes eiecit de Templo.*] Hasce nundinas

Mirabile hoc factum. cum Dominus conspexisset, diuini honoris zelo inflammatus venditores illos exturbauit è Templo. Mirabile factum! Hieronymus, *Mihi inter omnia signa, quæ fecit Christus, hoc videtur mirabilius esse, quod vnus homo & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, vt postea crucifigeretur, Scribis & Pharisæis contra sæuientibus, & videntibus lucra sua destrui; potuerit, ad vnius flagelli verbera tantam eiicere multitudinem, mensásque subuertere, & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non fecisset exercitus.*

8. *Ouis quoque, & boues, & nummulariorum*

Num flagellarit homines? *effudit æs.*] An Dominus funiculis non solum animantia, sed & homines è Templo

Iansen. Caiet. deturbarit? Iansenius & Caietanus, *solum animalia.* Dictio autem *omnes* sic ab illis interpretatur: *Omnes boues & oues.* Porrò non eiecisse homines flagello, ex eo probat Iansenius, quod vendentibus columbas dixerit: *Auferte ista hinc.* Non ergo expulit illos, sed vt caueas columbarum è Templo auferrent, præcepit.

9. Assero Dominum complicatis funibus tam homines quàm boues, oues, & columbas ablegauisse. Simili facto Matth. 21. *Intrauit in* *Authoris sententia.* Matth. 21.

Templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes, & ementes. Nec sine violentia aliter explicari posse Ioannis sententiam arbitror: *Inuenit in Templo vendentes boues, & oues, & columbas, & nummularios sedentes: & cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de Templo.* Quis non videat dictionem? *Omnes ad vendentes, & nummularios referri?* Deinde addit, *Oues quoque, & boues,* id est, præter venditores, & nummularios etiam animalia exturbauit. At quia columbarum caueas frangere noluit, ne columbæ auolarent, columbarum venditores verbo expulit: *Auferte ista hinc.* Augustinus confirmat tract. 10. in Ioann. August.

Qui flagellandus erat ab eis, prior illos flagellauit. Fecit flagellum de resticulis, & inde indisciplinates, negotiationem in Dei domo facientes flagellauit. Beda, *Funiculi, quibus Christus* Beda.

flagellando impios de Templo expulit, crementa sunt actionum malarum. Cyrillus lib. 2. in Ioan. Cyrill.

cap. 28. *Non verbis solum molestè se tulisse ostendit: verùm etiam verberibus tanquam iniquos seruos meritò cædens, è Templo eiecit.* Chrysostomus, Chrysost.

Non contemptus solis verbis, sed etiam flagello arrepto eos eiecit.

Nonnulli Pontifices summi credidere, hosce 10.

vendentes & ementes Sacerdotes fuisse. Anacletus epist. 2. *Accusatio errorum, super qua nos consulere voluistis, nonnisi ab idoneis, & probatissimis viris, qui & suspicionibus, & sceleribus careant, fieri debet. Quia Dominus sacri sui corporis tractatores à vilibus, & reprobis, ac non idoneis personis infamari noluit, nec calumniari permisit. Sed ipse proprio flagello peccantes Sacerdotes de Templo eiecit. Vnde liquet, quod summi Sacerdotes, scilicet Episcopi à Deo sunt iudicandi, non ab humanis, aut prauæ vitæ hominibus lacerandi.* Pius I. epist. 1. & Iulius I. in Rescript. ad Orient. pro Athan. idem asseruit. *An hi ementes & vendentes fuerint Sacerdotes?* Anacl.

§. II.

De Carmine Dauidico.

NOlite facere domum Patris mei domum negotiationis.] Id est, mercatum, & emporium. Anselmus, Hic apertè se Filium Dei dicit. Chrysostomus, *Patrem vocat, & non irascuntur; putant enim eum simpliciter dicere; postea verò, cum manifestius loqueretur, sæuiebant. Aduertendum autem, quod cum Dominus multa esset facturus, quæ eis viderentur legis transgressio, facit rem hanc, dans intelligere, quod qui periculis se exponit pro bono ornatu domus, Dominum eius non contemnit. Itaque non dixit domum sanctam, sed domum Patris mei.* Profectò circa Templum religio hominem ostendit Dei filium, cunctáque crimina velut operculo claudit. Denique Pater, *Veniens*, inquit, *ad passionem, (vt Matthæus narrat,) cum eos de Templo eiiceret, dicebat: Nolite facere domum meam speluncam latronum: Durioribus sermonibus vtens nunc verò in principio signorum non ita asperè loquitur.* Post beneficia maiora grauius ostenditur irreuerentiæ circa Templa delictum grauiori flagello vindicandum. 11. *De Christi in Patrem reuerentia.* Chrysost. *Religio circa Templum.* Chrysost.

Recordati

12. De zelo. *Recordati sunt verò discipuli, quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me.* Christi admirabile factum Discipuli admirati cum Dauide proclamauerunt. Psalm. 68. Zeli nomine quid significatur? Summum studium diuinæ gloriæ, quod Iesv pectus exedit, & velut fax ardentissima inflammauit. Zelus domus Dei, id est, Ecclesiæ comedit Christi pectus. Zelus domus Dei, id est, Templi eundem nunc comedit, & incendit, quo exardescens, & vendentes, & boues, & oues ex ipso deturbauit. Ait Saà, Sad. *Zelus hic est studium ardentissimum gloriæ domus Dei. Simile illud Psalm. 118. Defectio tenuit me. Et illud: Tabescere me fecit zelus meus. Potest & zelus pro indignatione iusta accipi, ob indignè habitam domum Domini.* Alcuinus Alcuin. autem, *Zelus cum in bono accipitur, est quidam feruor animi, quo mens, relicto humano timore, pro defensione veritatis accenditur.* Audi D. Augustinum, August. *Comeditur zelo domus Dei, qui quæ ibi peruersa videt, cupit emendare, & si non potest tolerare, & gemit. Non est patiendum in domo Dei quidquam peruersum; sed si amicus est, admoneatur leniter: si vxor, seuerissimè frenetur; si ancilla, etiam verberibus compescatur.*

13. Rogas, quonam tempore Discipuli carminis Dauidici fuerint recordati? Asserit Rupertus, non hoc tempore, sed post Resurrectionem, cum intellectum illis aperuit. *Ex tunc recordati sunt, hoc de Christo esse scriptum, ex quo aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas.* Hæret Titelmanus, Caietanus innuit. Ratione probatur; quia Discipuli hoc tempore scripturæ erant imperiti, ergo Dauidici Psalmi recordati non sunt. Affirmo tamen, tunc cum venditores expulit fuere recordati Discipuli Dauidici carminis. Probo apertè, quia non ait Ioannes post Resurrectionem meminisse, vt addidit inferius de illis Iesv verbis: *Soluite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Ille,* inquit, *dicebat de Templo corporis sui, Cùm ergo surrexisset a mortuis, recordati sunt Discipuli eius, quia hoc dicebat.* Neque verò Discipuli adeò imperiti erant scripturæ vt omnino Dauidis Psalmos ignorarent. Chrysostomus hom. 22. in Ioann. *Zelus ille pro domus Dei honore maximum fuit virtutis signum, quod boni aduerterunt. Recordati namque sunt Discipuli eius tunc, quia scriptum est; zelus domus tuæ comedit me. Iudæi autem Prophetam non meminerunt, sed signum quærebant.* Eadem est sententia Theophylacti, Cyrilli Alexand. & aliorum.

Quando tempore Discipuli fuerint carminis huius recordati? Rupert. Titelm. Caiet. *Auctoris sententia.* Chrysost. Theophyl. Cyrill.

IN

IESVM COLLOQVENTEM

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS

CIRCA LITERAM.

EX PROFANATORVM TEMPLI PVNITIONE.

Observatio I.

Ad illa verba:

Ascendit Iesvs *Ierosolymam, & inuenit in Templo,* &c.

Ierosolymam veniens Dominus, illicò ad Templum se recipit & dum à Dei laudibus incipit, miram perficit aduersus Templi profanatores victoriam.

Edocens, à negotiatione spirituali incipiendum esse, vel ad temporalium prosperitatem negotiorum.

14. Non dixit Euangelista, *Ascendit* Iesvs *Ierosolymam, & accessit ad Templum:* sed *Inuenit in Templo,* supponens vtique Christum, ad Templum properare cum primum Vrbem ascendebat. An non edocet, à negotiatione spirituali incipiendum, vel ad temporalium negotiorum prosperitatem? Beda ad Mar. 15. Beda. *Quod Dominus ingressus ciuitatem, primo in Templum adiit, formam nobis Religionis, quam sequamur, præmonstrat: vt cum fortè villam, aut oppidum, aut aliam quemlibet locum in quo sit domus orationis Deo consecrata, intramus: ad hanc diuertamus. Et postquam nos Domino per orationum studia commendauerimus, sic deinde ad agenda ea, propter quæ venimus, temporalia negotia secedamus.* O quàm prosperè temporalia geruntur, cum à spiritualibus institui curamus! Christus debellaturus Templi profanatores à laudibus Dei cœpit, ideò mira victoria potitus est.

15. Ait Iosaphat ad suos, *Audite me viri Iuda, & omnes habitatores Ierusalem, credite in Domino Deo vestro, & securi eritis, credite Pro-* Iosaphath incipit à Deo

 phetis

laudibus, vt prosperè potiatur victoria.

phetis eius, & cuncta euenient prospera. Deditque consilium populo, & statuit cantores Domini, vt laudarent eum in turmis suis, & antecederent exercitum, ac voce consona dicerent: Confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia eius. Cúmque cœpissent laudes canere, vertit Dominus insidias eorum in semetipsos filiorum scilicet Amon, & Moab, qui egressi fuerant, vt pugnarent contra Iudam, & percussi sunt. 2. Par. 20. Quis non crederet, Regem cinctum à Moabitis, & Amonitis, illicò properaturum ad bellica tormenta, ad exercitus robur? Cur, tam potenti hoste premente, curat suos incipere à Dei laudibus? Certè quia prosperè eueniunt temporalia, cum primum obsequium religioni litatur: *Cúmque cœpissent laudes canere, vertit Dominus insidias eorum in semetipsos.* Bellè Theodoretus, *Exercitum iussit præcedere, non pugnæ Principes arma portantes, sed Leuitas hymnos canentes. Qui autem dissipat consilia gentium, & populorum irritas facit cogitationes, hostes inter se inuicem concitauit. Rex autem aspiciebat cum subiectis stragem hostium.* Liceat proxima verba vulgariter expendere: *Quando se comienza por lo spiritual, lo temporal se hace ello mismo sin nuestro cuidado.* Non pugnat Rex, sed aspicit hostium stragem. *Nam Moabita, & Ammonita consumpserunt Idumæos.* Concludit Doctor, *Postquam omnes ceciderunt, securè mortuos spoliarunt, & omnem prædam abduxerant. Accepit autem campus ille cognomen benedictionis. Fuit enim appellatus Vallis benedictionis.* Cùm à sacris incipis laudibus omnia prosperè temporalia eueniunt, benedictionisque cœlestis gloria coronantur.

1. Par. 20.

Theodor.

Sine nostra ope victoria perficitur, dù primùm Deo litamus obsequium.

Theodor.

16\. Aduersus infinitam Madianitarum multitudinem pugnaturus Gedeon trecentos solos viros elegit, quibus *dedit tubas in manibus.* Iud. 7. An non aptius gladios tradidisset, quemadmodum Ieremias Iudæ, fatus: *Accipe gladium sanctum, munus à Deo, in quo deiicies aduersarios populi mei Israël.* 2. Machab 15. O quàm prudenter Dux fortissimus militibus electis tubas tradidit, quibus Dei laudes profunderentur! Pugnaturi à laude Dei, spirituali præsidio incipiunt? Sine manibus, sine gladio ipsa victoria caput extollet coronatum. Cecinit Sidonius Apol. Carm. 16. ad Faustum.

Gedeon vt innumerabiles milites vincat, solummodo curat, Dei laudibus studere.

Iud. 7.

2. Mach 15.

Sydon.

Firmasti Gedeona tubis inserte canoris,
Spiritus, & solo venit victoria cantu.

17\. Cum Rex Israël, & Rex Iuda aduersus Moabitas ingentem ducerent exercitum adducti in magnum vitæ discrimen ob aquæ penuriam, ad Elisæum confugerunt. Qui quidem, *Adducite*, ait, *mihi Psaltem. Cúmque canere cœpisset*, &c. 3. Reg. 3. Quid victoriæ cum canto? Taxat Propheta Regem, quod non incepisset à Dei laudibus, vt feliciter posset victoria temporali potiri.

Vt hostes superentur, Psaltes adducitur.

3. Reg. 3.

18\. Olim Abraham *plantauit nemus in Bersabee, & inuocauit ibi nomen Domini Dei æterni. Et fuit colonus terræ Palestinorum diebus multis.* Gen. 21. Cur Patriarcha non parat saxorum monumenta, muros æreos ædificat, ad diuitiarum, quas comparaturus est, custodiam; sed locum aptat, vbi quotidie possit Deo sacrificium offerre? Certè, (vt innuit Tyrinus,) dum quasi Templum construit, vbi quotidie diluculo à diuinis laudibus opera instituat: munitissima propugnacula excitat ad operum prosperitatem. Exclamat D. Nilus apud Cerdam aduers. sacr. cap. 153. *O religionem omnibus Regibus potentiorem! Quæ enim Reges armis excitabant, hæc sine armis dissoluebat.* Quibusnam armis Christus tot profanatores Templi debellauit, nisi vi religionis?

Abrahamus incipit à laudibus Dei ad prosperitatem cunctarum actionum.

Gen. 21.

Tyrin.

Nilus.

Observatio II.

Ad illa verba:

Et inuenit in Templo vendentes boues, & oues, &c. & nummulariorum effudit æs, & mensas subuertit.

Subuertuntur mensæ, disperduntur boues & oues eorum, qui Templa non verentur profanare.

O quàm labilis Respublica, vbi ciues Templorum religioni non student!

Dum profanatorum Templi video boues, ac oues disperdi, æs, ac mensas subuerti: non possum non luminibus spiritus aspectare euersionem ciuium illorum, qui non verentur Templorum iura lædere. 19.

Infaustissimo bello Israëlitos esse peremptos, Arcámque Dei captam esse legimus. *Ceciderunt de Israel triginta millia peditum & Arca Dei capta est.* 1. Reg. 4. At postmodum absque vlla pugna ad Israëlitas Arca ducitur: *Venerunt ergo viri Cariathiarim, & reduxerunt Arcam Domini, & intulerunt eam in domum Aminadab.* cap. 7. Israëlitæ in difficili prælio Arcam perdunt, sine prælio recuperant. Quare, precor? Leuitæ filij Heli auaritia Arcam, seu Templum Domini profanauerant, vnde ciuibus orta euersio. At dum religioni Arcæ ipsius, seu Templi pium litatur obsequium rursum ciues securitate potiuntur. E[illegible]sippus lib. 5. de excid. cap. 16. *Intermissa erat [illegible] Templi cura, Heli Sacerdotis neglegentia diuina imperia deserebantur, ideò irrogatur ab A[illegible]phylis prælium, victi Hebræi, capta Dei Arca est: & sine armis reddita illis. Quo indicio claruit, quod & sine religione Altaris arma non vincant, & religionem sine armis vincere.* Armati vincuntur Altaris profanatores, Deo vtique flagellante. 20.

Israëlitæ disperdūtur, ob irreligionem in Templum sacerdotalē.

1. Reg 14.

1. Reg. 7.

Egesipp.

Regnum Assyriorum toto orbe fuit celeberrimum, cunctis Nationibus obsequium litantibus. At repentè effusum æs, mensæque abundantissimæ euersæ, succedente penuria, & fame. Vndenam Regnum illud flagello cœlesti vulneratur? Crediderim, ex violatione Templi Ierosolymitani. Audi Eusebium in Cat. Græ. a D. Lucæ, c. 1. *Magnum quoque erat A[illegible]riorū Regnum, nec prius deletum est, quam Ierosolymis Dei Templum violauit.* Profectò Assyrij per sæcula multa triomphaerant, venere tandem Ierosolymam, Templum Dei profanant, vasa sacra asportant, illa Balthasar in conuiuium adducit, quibus 21.

Regnum Assyriorum euertitur ob Templi violationem.

Euseb.

eius

eius concubinæ potabantur. Tunc cœlesti voce indictum: *Diuisum est Regnum tuum, & datum est Medis.* Dan. 5. Dum colliguntur vasa sacra, quæ profanentur: effundirut prorsus Regei vis: dum luxuriei impio ausu violatur Templi religio, Regnum exitialiter diuiditur.

Dan. 5.

22. *Hebræi ob domum Dei violatam vulnerantur.* 1. Reg. 6. Dei Arca apud Philisthæos captiuitate pressa, de quibus triumphum agens vecta curru ad Hebræos adducta est. Quid plura? *Arca erat vsque in diem illam in agro Iosue Bethsamitis. Percussit autem de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent Arcam Domini, & percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis.* 1. Reg 6. Cur Arca sic Israëli venir exitialis tot Principes, tot ciues vulnerata? Crediderim, quia Israëlitæ in Arcam, Dei domum deliquerant, dum eam septem mensibus apud hostes captiuam reliquissent. Et quando non contra Dei domum impietas ciuium non est subuersio? Theodoretus quæst. 14. *Populus fuit castigatus, vt qui noluerit pro Arca adire periculum, & septem menses eam reliquerit apud alienigenas, & pro ea bellum non susciperet.*

Theodor.

23. *Dux illustrissimus perijt ob Templorum immunitatem non seruatam.* De quodam illustrissimo Duce, qui sufferat è Templo Dei quosdam ad supplicium læsor Templi immunitatis Paulus Otolcait lib. 7. cap. 36. *Sanè idem Mascezil elatus rerum secundarum insolentia, posthabito Sanctorum consortio, cum quibus antea Deo militans vicerat: etiam Ecclesiam temerare ausus est, atque ex ea quosdam non dubitauit extrahere. Secuta est pœna sacrilegium. Nam eisdem superstitibus, atque insultantibus, quos ab Ecclesia ad pœnam protraxerat, post aliquantum tempus solus & ipse punitus est: probauitque in se vno, ad vtrumque semper vigilare iudicium; quando & eum sperauit, adiutus: & cum contempsit, punitus est.* Edisicant, qui non verentur, Templa libidine impia profanare.

Observatio III.

Ad illa verba:

Omnes eiiciebat de Templo.

Christus diuinus prorsus ostenditur, dum omnes funiculo complicato è Templo exturbat.

Et quando non diuinus obiicitur, qui sacerrimo Templo litat reuerentiam?

24. Hieron. Meritò D. Hieronymus, (vti in commentario expressimus,) miratur, Christum huic exturbandi è Templo cunctos profanatores operam potuisse impendere, nullo repugnante: & inter miracula illustrissima factum hoc computandum esse affirmat. Nullus audet repugnare, quia eum non hominem, sed Deum esse existimarunt, cum eum zelo succensum circa Templi reuerentiam conspexerunt. Profectò pietas in Delubro hominem ostendit Deitate conspicuum.

25. *Phegeus ad-* D. Augustinus lib. 18. de ciuitat. cap. 3. de quodam Rege profatur: *Phegeus tamen frater Inachi Phoronei iunior, cum esset mortuus, ad eius sepulchrum Templum est conditum, in quo coleretur vt Deus, & ei boues immolarentur.* Vndenam homini Deitas adscripta? Lego, Regem Templi Diuorum iura seruasse, in eáque religiosissimum extitisse. Quid mirum inter Diuos foisse adscriptum? Addit Pater, *Credo, honore tanto ideò dignum putarunt, quia in Regni sui parte isto sacella constituerat, ad colendos Deos. Hac in eo noua mirantes rudes adhuc homines morte obita. Deum esse factum, siue opinati sunt, siue voluerunt.* *scriptus Diuorum numero, quia erga Templa religiosus.* August.

26. *Iesus ostenditur Patris æterni filius dum Templum cognoscit, & veneratur.* Postquam Iesvs à parentibus Ierosolymitano inuenitur in Templo à Doctoribus mirabilis est habitus, imò supra hominem existimatus Deitate nitere, D. Epiphanio authore. Ideò Dominus à parentibus querulis rogatus: *Quid fecisti nobis sic?* respondit, *Nesciebatis, quin in iis, quæ Patris mei sunt oportet me esse?* Luc. 2. Quæsierim, quænam sint Patris in Iesv? Certè quæ illum Patris æterni Filium esse ostentant. At eum apud Templum religiosus inspicitur colloquio sacro dans studium, Patris Filius verax ostenditur. Apud Cat. Corderij fatur Doctor, *Audiat & Ebion, quod ab anno duodecimo non tantum post trigesimum Christum reperiatur mirabilis in sermonibus gratia adeò vt nefas sit dicere, quod ex quo superuenit in eo Spiritus sanctus, factus sit Christus. Etenim cum ab infantia sua & Templum & Patrem cognouerit, non vtique merus homo fuit.* Agnoscis Templum? discernis Dei domum à mundialium habitaculo? Haud merus homo existere videris, Deitate quodammodo conspicuus aspiceris. Luc. 2. Epiphan.

27. *Samuel Iesv induitur ornamento, quia Templi pijssimus cultor.* 1. Reg. 2. De Samuele facta narrat Historia. *Samuël autem ministrabat ante faciem Domini puer accinctus Ephod lineo.* 1. Reg. 2. Aquila putat Ephod fuisse vestimentum quoddam eximium, quo quidem soli vtebantur Sacerdotes vt referent Iesvm, qui quidem Episcopis lineo indumento ornatus apparet. Vndenam ergo puer Christi Dei Filij vestimentis amictus apparet? Crediderim, quia Templo à pueritia litans reuerentiam non poterat non mirabilis haberi, ac velut Dei Filius æstimari. Theodoretus quæst. 8. *Est verisimile, quod Heli, cum in Samuele florentem diuinam vidisset gratiam, intúsque aleretur Sanctus in Tabernaculo tanquam Sanctum, & Nazaræum iuuenem eo honore impertiuisse.* Glossæ autem Magister Strabus sic Theodoreti sententiam transcribit: *Heli videns in eo florentem diuinam gratiam, tabernaculo deseruientem, tanquam Sanctum & Nazaræum (Iesvm,) eo honore illum imperitit.*

28. *Melchisedech similis Filio Dei, quia Templi cultor.* *Sic Nepotianus.* Hebr. 7. Hieron. Melchisedech à Paulo exponitur Sacerdotibos in exemplum verus Templi-cultor. *Melchisedech Rex Salem Sacerdos Dei summi, qui interpretatur Rex iustitiæ: sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, nec finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei.* Hebr. 7. Porrò Dei Filio assimilatur non habenti initium, nec finem vitæ, quia erga Templa religiosissimus fuit verè Sacerdos. Innuit Hieronymus, dum Nepotianum laudat in Epita. *Erat sollicitus, si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pauimenta tersa, si ianitor creber in porta, si sacrarium mundum, si vasa luculenta, & in omnes ceremonias pia sollicitudo disposita, non minus, non maius negligebat officium. Vbicumque eum quæreres in Ecclesia inueniret. Macte virtute,*

cuius talia principia, qualis finis erit? Nullus prorsus; quia finem vitæ non habet, qui similis Filio Dei in Templo inuenitur cum quæritur. Luc. 2.

29. Magnus Scipio fuit à gentilibus iuxta Martis statuam collocatus, eiúsque simulacrum aromatum fumo perfusum. Vndenam homini mortali diuinus honor? Respondet Titus Liuius lib. 26. *Ex quo togam virilem sumpsit, nullo die prius vllam publicam priuatámque rem egit, quàm in Capitolium iret, ingressúsque sacram ædem consideret, & plerumque tempus solus in secreto ibi tereret. Atque hoc illi ad summum illam commendationem hominum maximè valuit.* Sic ille.

Scipio Diuis adscriptus, quia in Templum religiosus. Tit. Liu.

OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

Et eiiciebat omnes de Templo, &c.

Acriter & flagello & verbo vulneratos IESVS Templi profanatores meritò exturbauit.

Quia domum vitæ domum mortis sibi constituebant.

30. EX Anselmi mente meritò Dominus Templi profanatores & flagello, & verbo vulnerauit, quia gratiæ domum profanabant, domum vitæ, mortis reddebant sibi domum. *Nolite*, inquit, *facere domum Patris mei domum negotiationis.* Quàm damnabilis, qui ex medicamine vulnus, ex vita mortem comparauit!

Anselm.

31. Aliquando ponderaui Absalonis impudentissimi facinus nunquam non vituperio afficiendum, qui ausus fuit apud domum paternam, vnde traxerat vitam, patris Dauidis vxores violare. Hinc Chrysostomus, Templi veneratur imaginem, vbi Baptismi fontem hominis natalitium contemplatur. O adolescentem damnatione agnatum, qui in Templo domo vtique vitæ, criminis tanti fuit morte peremptus.

Damnabilis Absalon, quia libidine domum vitæ fecit mortis domum. Chrysost.

32. Hinc senum illorum turpitudo increscit, & supplicium à Daniele indictum commendatur. *Facta est dies crastina, cúmque venisset populus ad Ioachim virum eius*, (Susannæ,) *venerunt & duo Presbyteri pleni iniqua cogitatione aduersus Susannam, vt interficerent eam.* Dan. 13. Domus Ioachim ditissimi planè, ac benignissimi, (vti ingeniosus noster proclamat Interpres,) erat cuncto populo asylum, vbi egestas ablegabatur, vbi cuncti aduersus fortunæ incommoda præsidia inueniebant. Ad domum ergo sanctam vitalem cunctis, senes illi primum venerunt subsidia etiam accepturi, & morte affecti sunt, dum Susannam ad libidinem allicere curarunt; postea redière vt ad vindictam ei mortem inferrent. O pleni iniquitate senes, quàm iustè à Propheta addicti estis damnationi, qui domum vitæ omnibus, vobis domum mortis reddidistis. En violatorum Templi damnabilem ausum, domum vitæ mortis sibi domum constituere non verentur, dum inibi student impudicitiæ.

Et senes, qui in domo Ioachim, vitali quidem omnibus, & sibi & Susannæ mortē quæsierunt. Dan. 13.

33. Audi Paulum. *In magna domo non solum sunt vasa aurea, & argentea; sed & lignea, & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo emundauerit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & vtile Domino ad omne opus bonum paratum. Iuuenilia autem desideria fuge.* 2. Timoth. 2. Hæc magna domus Templum Dei est, vas autem ad honorem ille, qui Templi sacerrimè iura seruat; ad contumeliam autem vas, qui violare Templi non veretur sanctitatem. Cur ergo conclusit Apostolus: *Iuuenilia autem desideria fuge?* Quia si apud Templum ausus fueris iuuenilibus lasciuis studere desideriis, vas efficieris in contumeliam; quia domum vitæ, mortis fecisti domum. Quam aptè Augustinus serm. 246. de Temp. *Nec vos fœminæ adolescentulæ alienum à vobis arbitremini hunc esse sermonem. Ad vos enim non tamen vt confundam vos hæc dico, sed vt filias charissimas moneo. Iuuenilia desideria fugite, nuptæ Susannam, viduæ Annam, virgines Mariam cogitate. Nec in publicum propterea procedatis, vt florem faciei vestri oculis hominum ostentare cupientes in domo vitæ mortem quæratis.* Qui Dei domum adit, vt lasciua desideria satiet, in domo vitæ mortem inuenire quis dubitet?

Dum quis Templum violat libidine fit vas in vituperiū & damnationem. 2. Tim. 2.

Fœmina apud Templum minus pudica domū vitæ faciunt mortis domum.

De filiis Aaron Nadab, & Abiu sacra fatur Historia. *Arreptis thuribulis, imposuerunt ignem, & incensum desuper, offerentes coram Deo ignem alienum. Egressúsque ignis à Domino deuorauit eos, & mortui sunt.* Leu. 10. Ignis alienus tunc thuribulo apponitur, cum apud Templum vitalem domum mortiferus libidinis ignis accenditur in hominum præcordiis. Nazianzenus Carm. ad Episcop. 34.

Filij Aaron igne absumpti, quia domum vitæ mortis domū fecerunt. Leu. 10. Nazianz.

Quin etiam sancti proles me terret Aaronis,
Qua quia non solitum sacris admouerat ignem
Protinus insolita iacuit quoque morte perempta
Sacrorúmque locus mortis locus extitit idem.

Porrò sacrorum locus idem ac vitæ domicilium Libidine ergo filiorum Aaron domus vitæ mortis domus efficitur. Quàm iustè flamma vltrix accensa prædicatur!

Domum orationis Dominus Templum appellauit: *Domus mea domus orationis est, vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Math. 21. Cur specus latronum appellatur Templum, nisi quia inibi cædes à latronibus perpetrantur? Domus orationis est domus incensi: si autem loco thuris sulphur libidinis immittas, iustè crudelissima morte vulneraberis. *Dirigatur*, ait Dauid, *oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Psalm. 140. Incensum decet Delubrum non sulphur. Chrysostomus hom. 4. in Math. *Quod si non incensum, sed mordacissimus abs te, & graueolens fumus ascendat: quibus suppliciis dignus eris? Quis autem est ignis iste tam grauis, quàm molestus? Multi ad formas mulierum aspiciendas, ad adolescentularum pulchritudinem curiosiùs intuendam, in Ecclesiam veniunt. Deinde non miraris, quomodo vndique fulmina non deferuntur, quomodo funditus non euertuntur?* Profectò si Deus visibiliter non subuertit mensas, inuisibili latronum vulnere percutit Templi prophanatores, qui veriti non sunt vitalem domum reddere mortis speluncam. 35.

Perit latronum vulnere, qui domū orationis vitalem, efficit sua libidine domum exitialem latronum. Math. 21. Psalm. 140. Chrysost.

OBSER.

OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

Omnes eiecit de Templo, &c.

Sacerdotes ementes, & vendentes Christus meritò flagellauit.

Grauißimum enim piaculum grauißima agnatum vindicta est, in Ecclesiasticis muniis lucris temporariis studere.

36. Pius. Julius. AIt Pius I. in Comment. citatus, *Episcopi à Deo sunt iudicandi, qui eos sibi oculos elegit. Nam à subditis, aut praua vita hominibus non sunt arguendi, aut accusandi, aut lacerandi: ipso Domino exemplum dante, quando per se ipsum, & non per alium vendentes Sacerdotes, & ementes eiecit de Templo.* Et Iulius I. in Rescr. ad Orient. pro Athan. *Quod à vobis non sunt damnandi, sed aut ab hac sancta Sede, aut sibi reseruandi, ipse manifestè Dominus dat exemplum, quando peccantes Sacerdotes, quorum locum modo in sancta Ecclesia tenent Episcopi, non per alium, sed per semetipsum vendentes, & ementes eiecit de Templo, & mensas nummulariorum proprio euertit flagello.* Mirabar aliquando Domini mansuetissimi insolitum illatum propria manu supplicium. At cum video Sacerdotes vendentes, & ementes, sacrificiorúmque prætextu lucris temporariis studentes, iam non miror horribili eos insolita vindicta mulctari.

37. *Iudas Deum vendidit ob lucrum Sacerdotes Iudæ sunt imitatores.* Nazianz. Act.1. Barrad. Nazianzenus orat.28. sic de Iuda proditore: *Ob pecunias fur ille zelotypiis erga crumenam æstuabat, ac Deum prodidit, & triginta argenteis vendidit.* Meritò *crepuit medius, & diffusa sunt*, &c. Act.1. Barradius noster tom.2.lib.3.cap.9. *Faxit Deus, vt Pastores omnes ferueant zelo potius animarum, quam pecuniarum, ne similes Iudæ sint.* Paulus, *Non quæro, quæ vestra sunt, sed vos*, 2. Corinth.12. Nam verus Sacerdos animarum Pastor non ouium ex spirituali ministerio quærit vellera, sed salutem. Gregorius lib.5. epist. 28. *Redemptor noster à Sacerdotis officio non quærit aurum, sed animas.* Vnde aduersùs Sacerdotes vendentes Dei munera acris vindicator exsorgit.

Gregor.

38. *Giezi vetitis Sacerdotum simulacrum è munere lucrum procurantium.* 4.Reg.5. Sacerdotum horum Giezi gessit simolacrum, dum Naamani ob gratiam à Propheta exhibendam munera accepit. *Accepisti*, (ait Propheta,) *argentum; & accepisti vestes, vt emas oliueta, & vineas, & oues, & boues, & seruos, & ancillas: sed & lepra Naaman adhærebit tibi.* 4. Reg.5. Cur supplicio percutitur? Quia Prophetæ sancti domesticus è munere prophetico temporale lucrum accipere est ausus. Cassianus lib.7. cap.14. *Giezi ea, quæ antea non possederat, volens acquirere sancti Elisæi maledictione perfunditur.* Ante sacerdotale officium pauperie laborabas, & ad sacerdotale munus assumptus, vis acquirere ex muneribus Ecclesiasticis, quæ antea non possederas? Meritò infami plecteris flagello.

Cassian.

39. Profectò qui terrena lucra ex sacerdotali munere expetit Sacerdotibus Pharaonis assimilatur, non Dei refert ministros. Deus enim Sacerdotibus possessiones non impertiit. *Ego*, inquit, *sum pars vestra.* Num 18. At Pharao solis Sacerdotibus terrenas possessiones permisit, cum reliqui ciues suas pro pane possessiones vendiderant. Genes. 47. Vbi Origen. hom.19. *Pharao terras concessit Sacerdotibus, Dominus autem Sacerdotibus suis partem non concedit in terra, sed dicit eis: Ego sum pars vestra. Obseruate ergo qui hæc legitis omnes Domini Sacerdotes, & videte, quæ sit differentia Sacerdotum, ne fortè qui partem habent in terra, & terrenis cultibus ac studiis vacant, non tam Domini, quàm Pharaonis Sacerdotes esse videantur. Ille est enim, qui vult Sacerdotes suos habere possessiones terrarum, & non animæ: sed agri exercere culturam; ruri, & non legi operam dare; Christus autem, Qui non abrenunciauerit, inquit, quæ possidet, non potest meus esse Discipulus.* Vnde velut Sacerdotem Pharaonis Diaboli eùm dito flagello à delubro deturbat.

Sacerdos lucrum quærens à sacro munere Sacerdos est Pharaonis, non Iesu. Num.18. Origen.

40. *Huiusmodi Sacerdotes sunt columbarũ, id est, donorũ Spiritus sancti venditores, meritò verbis flagellati grauioribus.* Ioan.2. Cur speciali sermone Christus columbas diuendentes homines taxauit? *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Ioan. 2. Spiritus sanctus columba est, eius munera columbarum nomine designantur. An non supplicio obnoxius ostenditur, qui Spiritus sancti munera pretio tradit? Simon ille curabat à Sacerdotibus emere Spiritus gratiam existimans planè, eos ad Pharaonis pertinere ditionem. *Obtulit eis pecuniam dicens: Date mihi hanc potestatem.* Cui Petrus Christi Sacerdos, *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Act.8. Nundinator iniquus volebat emere columbas vt venderet. Fante Augustino tract.10. in Ioann. *Simon ille ideò emere volebat Spiritum sanctum, quia vendere volebat Spiritum sanctum.* Qui columbas emit, vendere vult columbas. Qui pretio exhibito munus comparat Ecclesiasticum, plerumque idem diuendere conatur, lucrisque temporariis studere. Quid mirum à Domino vulnerari, qui vendentes, & ementes horribili flagello deturbat?

Act.8. August.

41. *Hi columbarum venditores sunt similes Caypha Deicidæ.* Isid.Pelus. Profectò emptores ac venditores columbarum assolent iniquissimi ostentari, vnde necessum est dirioribus suppliciis subiacere. Emerat Cayphas columbam sacerdotium summum pecuniæ accipiens commutatione. O quam hinc iniquus exsurgit ad Christi occisionem! D.Isidorus Pelus. lib. 1. epist.315. *Cayphas sacerdotium emerat, idque aduersus Christum illum armauit. Quocirca quisquis sacerdotium emercatur, hunc Christi carnificem Caypham esse constat.* Qui ergo pro occisoribus in Cruce rogauit, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt:* occisores in Altari flagellat scientes vtique quid delinquunt, vnde inexcusabiles omnino ostendantur.

Obsra

Observatio VI.

Ad illa verba:

Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis.

Ex funiculis Christus flagellum fecit peccatoribus è Templo deturbandis.

Deus enim nostris ex criminibus flagella ad supplicium componit.

41. Lyran.

AN ferebat Dominus flagellom? Asseruit Lyranus ex aliorum, (quam oon probaui,) sententia, Christum fune vsum pro cingulo, quod complicauit, vt flagellum componeret. At ipso in Templo funes ab ipsis venditoribus expositos arripuisse asseruerim, vt pro flagello vteretur. Haud fert flagellum mansoetissimus Domious, sed ex peccatis oostris velut funiculis flagellum componit.

43. *Longam vestem dat diriori flagello perficiendo, qui multiplicat scelera.* Isa. 54. August.

Isaias proclamat. *Va iis, qui trahunt peccata sua sicut vestem longam.* cap. 54. Punitutus Dominus peccatotem restem longam arripit, qua complicata, ditius flagellum ad vuloerandum perficit. Augustinus tract. 10. in Ioann *Vnusquisque ex peccatis suis restem sibi texit. Vnde Isaias dicit, Va iis, qui trahunt peccata sua sicut restem longam. Et quis facit restem longam? Qui peccato addit peccatum.* Ergo quo longior restis eo plures dabit complicatiooes ad flagelli grauitatem.

44. *Peccatores funiculos exponunt, è quibus flagella perficiuntur. Dauidem testor.* Prou 5. 2. Reg. 12. Barrad.

Peccata è domo pelle, flagellum minimè perficietur. *Iniquitates sua capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur*, vulneratur. Prou. 5. An non Dauid ex adulterio & homicidio funes Deo vulneraturo exposoit? *Vriam Hethaum*, (ait Nathan,) *percussisti gladio, & vxorem illius accepisti in vxorem tibi, & interfecisti eum gladio filiorum Ammon. Quamobrem non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum.* 2. Reg. 12. Audi sapientissimi Lusitani Sebastiani Barradij commentarium. *Inuenit Dominus in domo Dauidis funes adulterij commissi, atque homicidij, & flagellum fecit. Percurre domos alias, in quibus Deus funes reperit, flagella fecisse è funibus reperies.*

45. *Hebraos vulnerandis sua peccata dedere funiculos.* Esth. 14.

Clamat Esther, *Peccauimus in conspectu tuo, & idcirco tradidisti nos in manus inimicorum nostrorum. Coluimus enim Deos eorum. Iustus es Domine. Et nunc non eis sufficit, quod durissima seruitute nos opprimunt; sed robur manuum suarum idolorum potentia deputantes, volunt tua mutare promissa.* Esth. 14. Quinam manuum suarum robur, nisi durissima miseris hominibus inflicta flagella? Vndenam tam exitialia vulnera? An à difficultatibus tempôrum? An à fructuum infœlici prouentu? An ab agrorum sterilitate? An à loci situ? Minimè, sed à peccatis Hebræorum funiculos exponentium, è quibus flagellum componitur. Philo Iudæus lib. de Ioseph.

Philo.

Nec sunt audiendi, qui temerè culpam referenda in difficultates temporum, infœlicem prouentum fructuū, agrorum sterilitatem, loci situm in maritimis, aut mediterraneis, & id genus alia, veritatem dissimulant. Est autem vera causa auaritia, & mutua perfidia. Mercatorum illorum auaritia funiculos ad flagellum efformandum exposuit: nostráque crimina dant cœlesti vindictæ materiam.

46. *Nauis diuerberatur, quia Ionas delinquens dedit materiam flagelle.* Ion. 1. Chrysost.

Vix rebellis Deo Ionas cœpit naui deferri, *& Dominus misit ventum magnum in mare, & facta est tempestas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri*, vndis vtrique latera flagellantibus. Ionæ 1. Vndenam tam dira flagella? An ab inscitia nautarum? A nauisne fragilitate? Num ab importuno nauigandi tempore? Profectò Ionas delinquens funes exposuit, ex quibus nauis conficiuntur flagella. D. Chrysostomus hom. 24. de peccato & Confess. tom. 6. *Vulgus hominum propriorum quidem peccatorum patroni sunt, alienorum verò accusatores. Et multi frequenter dicunt malo loco esse rerum & ciuitatis statum, causámque ex imprudentia gubernantium esse perhibent. Ego verò dico, non Magistratus imprudentia, sed nostrum peccatum, illud omnia subuertit, illud omnes calamitates inuexit.* Cum vides æs in Templo effundi, subuerti mensas nummulariorum, Domino flagellante, agnoscis è Sacerdotum illorum auaritiæ funibus flagellum efformari? Cùm ergo contemplaris Hispaniæ euersiooem, clama cum Esthere, Peccauimus in coospectu tuo. *Nec aliunde*, (cum Chrysostomo citato loquor,) *rerum tristium examina nobis superfusa sunt.*

47. *Daniel iustus non verberatur, quia non dedit funes ad flagella, secus accusatores.* Dan. 6. Ioseph.

Daniel leonibus immissus incolumis obiicitur. *Tunc adducti sunt viri illi, qui accusauerunt Danielem, & in lacum leonum missi sunt, ipsi, & filij, & vxores eorum; & non peruenerunt ad pauimentum laci, donec arriperent eos leones, & omnia ossa eorum comminuerent.* Dan. 6. Accusatores Danielis tam horribili afficiuntur verbere, dum ipse Daoiel incolumis adstat? Vndenam huic incolumitas, illis aotem flagellorū vulnus apparatur? Certè Danieli nō contorquetur flagellum, quia funes peccatorum, è quibus perficeretur, non exposuit; accusatoribus autem flagellandis ipsa eorum crimioa funes dedere. Iosephus lib. 10. Antiq. cap. 12. *Eos sine mora dilaniarunt. Acuit enim ferarum rabiem non vexatio famis, sed obiectorum malitia.* Hæc Doctor.

Observatio VII.

Ad illa verba:

Eiecit omnes de templo boues, & oues, &c.

Præstantissimo Christus miraculo vendentes, & ementes è Templo exturbauit.

Exitialem admodum peccatorum societatem quasi timens, horrens peccati consortium, vt nos doceat à prauis socijs seiungi.

D. Hieronymus Matth. 21. *Mihi inter omnia signa, qua fecit, hoc videtur mirabilius esse quod vnus homo, & illo tempore contemptibilis, & tantum vilis, vt postea crucifigeretur, Scribis, & Pharisæis contra se sauientibus, & videntibus lucra sua destrui: potuerit ad vnius flagelli verbera* 48.

totam

totam eiicere multitudinem. An contra folium quod vento rapitur, ostendit Dominus potentiam suam? Minimè verò, sed contra validissimam peccati malitiam. Tanta est peccati vis, vt ad eam debellandam, necessarium quodammodo Deum totas suas vires colligere, ad suamque singularem accurrere potentiam, vt id destruat, & comminuat.

48. Deus Moysi, *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Exod. 7. Vbi Hugo Vict. *Ecce duo sunt, imo tres. Moyses in Aegypto, homo in mundo, Creator in cœlo, & habet vnusquisque Pharaonem suum. Moysi aduersatur Tyrannus Aegyptius, homini Mundus, Deo diabolus. Primus crudelitate, secundus aduersitate, tertius iniquitate.* Tres ergo hostes descendunt in campum Pharao tyrannus, Mundus & diabolus vt pugnent contra Moysem, contra hominem, contra Deum: & quo potentior est hostis, eo validiora armorum genera præparantur. Contra Moysem tyrannis, contra hominem aduersitas, contra Deum peccatum. Tanta enim huius malitia, vt si Deus posset vinci, à peccato vtique superandus esset.

Tanta peccati malitia, vt si Deus posset vinci, à peccato vincendus esset. Exod 7. Hugo.

49. Cum Dominus nunc Pascha celebrat Apostolica cinctus familia fatur ex ore Chrysostomi, *Nullus hic Iudas assistat,* nullus accedat peccator. Quodammodo enim Deus homo timet cum peccato inire societatem; quippe cum nihil magis sit contrarium Dei bonitati. Ad Zachæi peccatoris domum accedit, fatur autem Zachæus, *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Luc. 19. Cur se illico & eleemosynam facere, & restitutionem gerere manifestat? Certè vt Dominus sine horrore domum inire possit. Nam vereretur quodammodo cum peccatis commorari. Vnde potentissimo Deitas auxilio peccatorem excitat ad pœnitentiam, vt sibi inimicissimum peccatum excludat, priusquam domum Dominus ingrediatur. Ambrosius lib. 2. de Abel cap. 4. *Excipiendo Christum exclusit auaritiam, renunciauit fraudibus. Aliter enim non ingreditur Christus, nisi vitiis exclusis quia non cohabitat erroribus. Denique de Templo eiiciebat nummularios, quia ipse volebat habitare.* Vt Templum iniret auaritiam excludit, vt Zachæi domum ingrederetur, auaritiam ablegat. An Deus nō se fidebat eis? Num sine securitate degit Deitas in validissimę cōspectu iniquitatis?

Vt nobiscum comedat Iesus, timeat peccatorem ablegari à mensa. Cum ingreditur domum Zachæi primò expulit iniquitatem suspectum hostem. Chrysost. Luc. 19. Ambros.

50. Miser viator à latronibus vulneratus conqueritur, *Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum.* Luc. 10. Vt Deus ad hominem vulneratum accedat, iter facere cogitur. An non intimè præsens hominibus adstat? Certè à peccatore curat esse remotissimus, quia nihil Deo magis aduersum, quam peccatum. Augustinus apud D. Thom. in Cat. *Quantum remotius quam Deus ab hominibus, immortalis à mortalibus, iustus à peccatoribus?* Fugit Deus tanti hostis consortium, nam immortalis peccati vi potuit esse mortalis? O peccati malitiam ineffabilem!

A peccatoribus ideo Deus remotissimus adeo est. Luc. 10. August.

51. Ex peccati venialis fœditate efficacius argumentur. Cæsarius Arelat. hom. 8. *Quibus,* ait, *peccatis licet occidi animam non credamus, tamen ita eam velut quibusdam pustulis, & quasi horrenda scabie repletam horrendam faciunt: vt eam ad amplexus illius cœlestis sponsi aut vix, aut cum graui confusione venire permittat.* Audio illum pulsantem, & clamantem: *Aperi mihi sponsa mea, columba mea.* Ipsam autem è lecto respondentem: *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa, &c.* Cant. 5. Surgit denique & cœlestem non inuenit sponsum. Qui tam anxiè exigit, vt aperiat, quare aperturæ non expectauit amplexus? Quia licet amica & columba erat, videns illam veniali segnitiei piaculo fœdari, fugit iam horribilem sibi amplexum. Quid si graui inficeretur. Quam contrarium est crimen diuinæ puritati! quam suspecta cum iam horribili hoste vel Deitati potentissimæ societas!

Vel veniale peccatum Deum ablegat: quid letale crimen? Cæsar. Arelat. Cant. 5.

52. O stultos homines, qui non horrent peccati consortium, sed diu tam exitiali hosti colligantur! Deus non se peccatori fidit, tu te fidis peccato? Monet nos ab homine venialibus vitiis maculato fugere Dominus, dum inquit, *Sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus* quicumque post trinam admonitionem adhuc peccatis leuibus hæreseit. Matth 8. Ad quæ Origenes hom. 6. in Matth. *Nouissimè autem quia non pueriliter dixerit, sicut Ethnicus & publicanus, sed ita sit tibi: Qui in peccato leui correctus non se emendat, nos quidem sic eum debemus habere quasi publicanum & Ethnicum abstinentes ab eo.* Si horribilis debet esse homini societas illius, qui leui piaculo maculatur: quid si grauissimis peccatis infici aspectetur? Fuge malorum societatem tibi omninò mortiferam. Quonammodo fragilis poteris tantum superare hostem, quem Dei Filius suam ad societatem non admittit, sed curat expellere priusquàm vel ad Patris domum ingrediatur: suamque specialissimè potentiam exerit, vt ableget horribilem admodum animi hostem, imo vel Deitatis timendum quodammodo inimicum.

Iubet Dominus, nos abstrahi à peccatore venialibus infecto piaculis: quid ab iniquis? Matth. 8. Origen.

SECTIO SECVNDA,

Iudæorum Querimonia.

TEXTVS.

VERS. 18. RESponderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis? 19. Respondit IESVS, & dixit eis: Soluite Templum hoc. & in tribus diebus excitabo illud. 20. Dixerunt ergo Iudæi, Quadraginta & sex annis ædificatum est Templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? 21. Ille autem dicebat de Templo corporis sui. 22. Cum ergo surrexisset à mortuis, recordati sunt Discipuli eius, quia hoc dicebat, & crediderunt scripturæ. & sermoni, quem dixit IESVS. 23. Cum autem esset Ierosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa eius, quæ faciebat. 24. Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eos quod ipse nosset om-

nes: 25. Et quia opus ei non erat, vt quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat, quid esset in homine.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Templi solutione, & excitatione.

1. *Signum petunt Iudæi, quo probet, è caelo illam habere potestatem.* Cyrill.

QVOD *signum, &c.* Dixere Iudæi, Quonam signo ostendis, te auctoritatem, potestatemque habere, vt è Templo homines, animantiaque diuinis sacrificiis præparata ableges? Si Propheta es, hoc iussu Dei exerens, Prophetâ te esse excitato miraculo confirma. Cyrillus, *Negare nequeũt, non oportere Templum Dei, negotiationis domum fieri. Sed illo confugiunt, vt non esse sibi credendum velut Filio Dei contendant, nisi hoc ita esse signo demonstrauerit.* Pulchrè Chrysostomus, *Quid opus erat signis, vt quæ malè fiebant, facere cessarent? An non zelus talis pro domo Dei signum erat magnum virtutis?* O tempora! cùm tam rarus est, qui Templi consulat reuerentiæ, vt velut miraculo illustrissimo vel vnus exsurgat, qui intra Templi curet à profanatoribus expleri. An Templi, aut sacrificiorum zelus Iudæos succenderet? Chrysostomus addit, *Dolebant isti de suo turpi lucro impedito, eumque prohibere volebant.*

Miraculum quodammodo est, vel vnũ inueniri Templi verum cultorem. Chrysost.

2. *De Templi corporis Dominici excitatione.*

Soluite (ait Dominus) *Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Ænygmaticè loquitur Dominus, corpus suum Templum Deitatis appellat. Æquate solo Templum hoc, id est, corpus meum, & in tribus diebus illud excitabo, seu tertia die resurgam. *Dicebat* (addit Ioannes) *de Templo corporis sui.*] Iudæi autem de Ierosolymitano Templo intelligendum putarunt, idque postea coram Caypha obiecere: *Venerunt duo falsi testes, & dixerunt: Hic dixit, possum destruere Templum Dei, & post triduum reædificare illud.* Matth. 26.

Matth. 26.

3. *An sit dictio hæc iubentis?* Anselm. Theoph.

Illud, *Soluite Templum hoc*, an sit iubentis? Minimè planè, sed permittentis, aut prædicentis, quæ futura erant. Anselmus, *Non imperat, sed quasi diceret: Vos soluetis Templum corporis mei.* Theophylactus, *Non illos ad homicidium prouocat, sed hoc eis affectantibus, non sibi esse absconditum demonstrat.* Hoc itaque loci Dominus mortem suam, ac resurrectionem prædicit, diuinamque potestatem habere se ostendit, qua non solum è Templo vendentes possit exturbare, sed corpus etiam suum reuocare in vitam. Posteritatis meæ ad exturbandos è Templo venditores requiritis signum? Dei sum Filius. *Nam ego vt Deus cum Patre* (Anselmus) *corpus meum à vobis occisum resuscitabo.* Theophylactus, *Audiant Arriani, Dominum mortis destructorem. Excitabo, inquit, virtute propria.* Chrysost. *Hoc signum maximè ostendebat, eum non esse purum hominem.*

Locus exponitur.

Anselm. Theoph. Chrysost.

4. *Iudæorum ignorantia.*

Quadraginta & sex annis ædificatum est Templum hoc, & in tribus diebus excitabis illud? Poterant quidem Iudæi Templum illud saxeum soluere, poterat & IESVS non solum tribus diebus, sed temporis momento excitare. At de alio admirabiliori Templo loquebatur. Porrò Iudæi arcanum sensum minimè capientes, obiiciunt: *Quadraginta annis, &c.* De quonam Templo Iudæi loquerentur? Heracleon apud Origenem in Ioan. de Templo Salomonis loqui putat, aitque, Salomonem quadraginta sex annis illud ædificasse. Origenes autem dubitat. Existimo nullam adesse dubitandi rationem. Nam Salomonis Templum septem annis extructum est. 3. Reg. 7. Præterea euersum hoc tempore à Chaldæis erat. Non ergo de illo Iudæi loquebantur.

De quonam Templo Iudæi loquerentur. Heracl. Origen.

3. Reg. 7.

5. *De Templo secundo sermo procedit.*

Assero itaque de Templo secundo haberi sermonem, quod à Zorobabele post captiuitatem Babylonicam fuit extructum. Exædificandi facultas Cyri Persarum Regis anno primo concessa est; ædificatio cœpta anno eiusdem Cyri secundo, perfecta anno Darij Regis sexto. 1. Esd. 3. & 6. Porrò à Cyri anno secundo vsque ad sextum annum Darij quadraginta sex annos interfluxisse, affirmat Eusebius l. 8. c. 2. *Quadraginta sex anni à Regno Cyri Regis vsque ad sextũ annum Darij Regis colliguntur, sub quo omnis Templi ædificatio finem accepit.*

Esd. 3. & 6.

Euseb.

6. *An tot anni fuerint omnino insumpti Templi extruendo?* 1. Esd. 4.

An tot anni Templo extruendo fuerint omninò insumpti? Cœperunt Iudæi Templum exædificare, sed prohibiti, opus multis annis intermiserunt, ad annum vsque secundum Darij Regis 1. Esd. 4. Anno autem secundo Darij repetitum est opus, anno autem eiusdem sexto Templum absolutum, anno denique nono alia, quæ superfuerant, sunt perfecta. At Iudæi omnes annos tum ædificationis, tum intermissionis computauere.

7. *Obiectioni fit satis.* Aggæ 2.

Obiicis, Dominum tunc commorari apud Templum ab Herode exædificatum, non à Zorobabele. Ergo de Templo Herodis Iudæorum sententia explicanda. Respondeo Templum Herodis & Zorobabelis pro eodem reputari. Quia enim secundum Templum Zorobabelis ab hostibus non est euersum, Iudæi Templum ab Herode extructum ab eo non distinxerunt. Fatur Aggæus, *Magna erit gloria domus istius nouissimæ, plusquam primæ.* cap. 2. Loquitur de Templo, quod Zorobabel extruebat, cuius gloriam maiorem fore gloria Templi Salomonici prædicabat, eo quod in illud Christus esset ingressurus. At Christus in Templum ab Herode extructum ingressus est; ergo pro eodem Templum vtrumque reputatur. Existimata enim est Herodiana ædificatio Templi secundi Zorobabelis quædam instauratio ac renouatio esse.

8. *Haud improbabilis Baronij opinio de Templo Herodiano.* Ioseph.

Baronius tom. 1. pag. 109. Iudæorum verba de Templo ab Herode instaurato exposuit. Repugnante Iosepho, qui lib. 5. Antiq. c. 14. testatur, Herodem nouem annis cum dimidio Templum extruxisse, cum Iudæi hoc loci quadraginta sex ædificatum esse affirment. Porrò annorum numerus iuxta Baronij mẽtem sic computandus. Herodes decimo octauo anno Regni teste Iosepho eodem l. 15. c. 14. Templum ædificare statuit. Christus eiusdem Regni anno trigesimo secundo natus est. At à decimo octauo anno vsque ad trigesimum secundum anni quindecim supputantur. Adde annos Christi triginta, eo enim tempore, quo è Templo vendentes exturbauit, trigesimum primum annum agebat. Efficies summam annorum quadraginta quinque. Nec

mirum,

mitum, si Iudæi huic numero vnum anoum addiderior. Annotat Barradius, forsitan Iudæos anoos, quibus Templum à Zorobabele ædificatum est, cum annis coniunxisse, quibus ab Herode est structum, & aliquot aliis anois, quibus ab operibus non est cessatum, & ex omnibus numerum quadraginta sex annorum perfecisse. Barrad.

9. *Cum ergo surrexisset à mortuis, recordati sunt Discipuli, quia hoc dicebat.*] Tunc nec Iudæi, nec Discipuli Christi sermonem calluere. Post Christi verò resurrectionem dignouere Discipuli, Dominum ænygmatico illo sermone suum ad vitam reditum signare voluisse. *Et crediderunt scripturæ.*] Hoc est, Prophetarum vaticiniis, quibus resurrectio fuerat promissa: *& sermoni, quem dixit* IESVS.] Id est, verbis illis: *Soluite Templum hoc*, &c. *Post resurrectionem cognouere Apostoli.*

§. II.

De credentibus Iudæis, ac de Christo non se eis credente.

10. *Credentes Iudæi.* MVlti crediderunt in nomine eius videntes signa, quæ faciebat.] Qui petentibus Iudæis, *Quod signum facis, &c.* nullum dederat, sed tantum mortem suam, ac resurrectionem prædixerat: paulo post petitioni Iudæorum satisfecit abundè. Nam post vendentes è Templo exturbatos, Christus multa miracola edidit, quæ Ioannes silentio inuoluit. Profectò hisce miris affecti, multi ex Iudæis credidere *in nomine eius*. Quid sit credere in nomine Christi? Credere in ipso, quem nomen significat. Saa, *Multi crediderunt in nomine eius, pro in eo.* Addit, *Notandum verò apud Euangelistas pro eodem sumi credere Christo, in Christum, in Christo, in nomen Christi.* Vide Ioan. 3. 5. 6. 1. Ioan. 5. Exod. 14. Act. 8. Iansenius contestatur. *Quidnam credere in nomine eius? Saa.*

11. *Cur IESVS non se credebat eis?* *Ipse autem* IESVS *non credebat semetipsum eis.*] Credebant illi in Christum, Christus autem non credebat se illis, id est, non fidebat illis, quia tam illos, qui crediderant, quam reliquos Iudæos ipse in corde nouerat, sciens fidei illi imperfectæ, quam nunc conceperant, non admodum esse fidendum propter hominum inconstantiam. Chrysostomus, *Non curabat exteriora verba Christus, qui in ipsos animos ingreditur, & in humanas cogitationes irrumpit, qui eorum feruorem mox frigescere cognoscebat. Neque ac si perfecti essent discipuli, eis fidebat, neque arcanorum doctrinam tanquam fidelibus credebat.* Chrysost. Porrò Caietanus relatiuum *Eis* putat non demonstrare eos, qui crediderunt: sed Iudæos, qui ad Paschale festum celebrandum, Ierosolymam confluxerant quique audientes, & videntes signa non crediderant, hoc sensu: *Cum Christus Ierosolymis esset, multi Iudæorum crediderunt in eum videntes signa, quæ faciebat; ipse vero non fidebat eis, scilicet Iudæis non credentibus, quoniam omnes nouerat.* Caiet.

Porrò Toleti venia, qui sensum hunc violentum appellat, haud reputo improbabilem, imo eum Iansenius probabiliorem iudicat. Non enim oportet, relatiuum *Eis* ad id, quod proximè præcessit semper referre. *Fundamenta eius* (ait Dauid) *in montibus sanctis.* Psalm. 86. Et Magdalena, *si tu sustulisti eum.* Ioan 20. Attamen cum Barradio & aliis priorem Chrysostomi sequor expositionem, cui Augustinus, Cyrillus, Euthymius, Theophylactus, & communis positiua hærescit schola. 12. *Defenditur Caietani ex.. si.. Tolet.* Psalm 86. *Præfertur Chrysostomi.*

Eo quod ipse nosset omnes, &c.] Nouerat omnium animos Dominus non ex testimonio alieno, & aliunde accepta cognitione: sed propria ac infra sapientia. *Ipse sciebat, quid esset in homine.*) Augustinus tract. 11. in Ioan. *Plus nouerat Artifex, quid esset in opere suo: quam ipsum opus, quid esset in semetipso. Creator hominis nouerat, quid esset in homine, quod ipse creatus homo non nouerat.* Probat exemplo D. Petri nescientis quid in se esset cum aiebat: *Et si oportuerit, me mori tecum, non te negabo.* Christus autem sciebat, ideoque respondit: *Priusquam gallus cantet, ter me negabis.* 13. *Nouerat Christus hominum præcordia.*

IN
IESVM COLLOQVENTEM
PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS
CIRCA LITERAM.
EX IVDÆORVM QVERIMONIA.

OBSERVAT. I.

Ad illa verba:

Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis?

Querimonia Iudæorum de effusæ pecuniæ dolore exorta est.

Nil enim sic compungit auaros, quàm pecuniæ eis lucra prohiberi.

IVDÆIS querulis interrogantibus, *Quod signum ostendis?* Chrysostomus respondet, *Quid opus erat signis, vt quæ malè fiebant facere cessarent? Dolebant autem isti de suo turpi lucro impedito, eumque prohibere volebant.* Verberibus vulnerari non conquerantur, & ære profuso vociferantur? Plus auarus afficitur ex pecuniæ iacturis quam ex verberum inflictione. 14. Chrysost.

15. *Amor erga pecuniam omnes vincit amores mundiales.* Ambros.

Mihi credite, hominis amor erga pecuniam reliquos animi euincit affectus D. Ambrosius in Proœm. Luc. amorem in pecuniam *aruginem mentis* appellat. Sic enim afficit intellectum hominis, vt vnica sit illius aut fælicitas aut infelicitas: dolor, aut voluptas pecuniæ defectus aut incrementum.

16. *Affectu fœmineo maxima adhærentia comparatur.* Herod. Ambros.

Herodotus aiebat, *Affectus fœmineus maxima est adhærentia circa rem vnicè amatam.* Porrò amor circa pecunias effeminat animum, quia vnicè pecuniæ commodis delectatur, vulneratur incommodis. Ambrosius lib. 1. de Offic. cap. 39. *Auaritia virtutem effœminat, nihil enim tam contrarium fortitudini virili, quam lucro vinci.* Ideo auaritia designatur in fœmina amphoræ hærescente. *Et ecce mulier vna sedens in medio amphoræ.* Zach. 5. Vbi Gregorius lib. 14. Mor. cap. 26. *Per imaginem*, inquit, amphoræ quasi patens os auaritia designatur.

Zach 5. Gregor.

17. *Sponsæ comparatur affectus.* Iob 31. Pined.

Fatur Iob, *si putaui aurum robur meum.* c. 31. Lxx. *Si posui aurum coniugium meum.* Pineda ardentissimam erga pecuniam putat hic innui dilectionem, dum nuptiali coniugio comparatur. Addit mollem, ac effœminatum amatoris pecuniæ animum indicari, quo quidem vnicè pecuniarum hærescit studio; quia *affectus fœmineus maxima est adhærentia circa rem vnicè amatam.*

18. *Auari pecuniam vt Deum diligunt.* Epictet.

Deus solommodo vnicè totoque ex animo diligendus. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, &c.* Profectò homines pecuniam sic diligere assolent, ac si Deus eorum existeret. Epictetus apud Arrian. lib. 2. differ. cap. 22. *Ita natura comparatum est, vt nihil perinde amet homo atque vtilitatem suam. Hæc pater, hæc frater, & cognatus, & Patria, & Deus.*

19. *Magnū est Iesu innocentiæ testimonium, Iudam profudisse pecuniā agnoscentem Deum ei esse præponendum.* Matth. 27. Maxim.

Iudas plus æstimauit pecuniam, quàm Deum, dum Deum tradidit pro pecunia. Audi egregium planè innocentiæ Domini documentum. *Tunc videns Iudas, qui tradidit eum, quod damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & senioribus, dicens: Peccaui tradens sanguinem iustum.* Matth 27. Vbi pulchrè D. Maximus hom. 2. de Accus. & iudi. Dom. *Magnum igitur Dominicæ innocentiæ testimonium est, dum accusator eius & confitetur de scelere, & reus est de mercede.* Porrò se reum de mercede profiteri, contractum soluere, pecuniam reddere Iudam, maximum est innocentiæ Domini documentum. Liceat rem vulgariter explanare. *Grande innocencia de Christo, lo que obliga a vn auaro, à estimar y a en mas su razon, que al dinero.* Qui quidem auaro præsentatur in Diuum, iuxta illud: *Diues effectus sum, inueni idolum mihi.*

20. *Putauit Simon, Spiritus sanctū æquari posse pecuniæ valorem.* Act. 8. Clem. Alex.

Simon ille columbarum emptor, & venditor pro Spiritu sancto pecuniam obtulit. *Cum vidisset Simon, quia per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date & mihi hanc potestatem, vt cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum.* Act. 8. Quanti æstimabat iniquus pecuniam, quam putabat dignam Spiritus sancti commutationem? *Hæc pater, hæc frater, & Deus.* Ait Clemens Alex. lib. 6. Const. cap. 7. *Consilium & voluntas diaboli erat, vt ipsum Adam post degustatum cibum interdictum promissa immortalitate priuaret: sic nos pecunia delinitos, & captos dono Dei priuare: si hac permutatione facta, donum Spiritus sancti nummis ipsi addiceremus.*

21. *Zachæus laudibus effertur ministrus, quia Deum censui antepo-suit.* Luc 19. Nicetas.

Quare existimas, Zachæum miris laudibus à Patribus extolli? Quia auarus cum esset lucris studens, generosa mente pecunias profudit, vt Christum Dei Filium acquireret. *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Luc. 19. Nicetas ad Orat. Nazian. de sancto Bapt. *Sic tu quoque magnanimus esto, hoc est, pecuniarum contemptor, ac super res terrenas assurge; vt magnus secundum spiritualem ætatem, quæ in virtutis incremento sita est, appareas.* Pusillus antea Zachæus tam magnus apparet, magnanimus obiicitur; quia pecunias contempsit, vt Christo Dei Filio donaretur. Homo tam magnanimus, vt Deum pluris ducat, quam pecuniam, dignissimus, qui à Patribus efferatur. Nazianzenus appositè citatus, *Zachæum imitare, facultates omnes tuas ingredienti Christo in munus offer; vt licet corporea ætate paruus: animo tamen excelsus, Christum egregiè conspicias.* Quàm magnanimus, qui scit Christum præponere pecuniis! *Et Deus.*

Nazianz.

22. *Præponitur fraternitati amor pecuniæ.* Gen 37. Basil. Sel.

Preme quæso etiam Epicteti illam particulam: *Pecunia frater est.* Imo fratre charior, Ioseph somniis fratrum inuidiam excitat, neci addicitur, à fratre liberatur, cui fraternitas fuit præstantior ac potentior quam iracundia ex inuidia exorta. Porrò subiit in mentem ipsi fratrem pecunia commutare. *Prætereuntibus Ismaelitis negotiatoribus extrahentes eum de cisterna vendiderunt viginti argenteis.* Gen. 37. Inuidiam, ac iracundiam ex inuidia exortam vicit amor fraternus; at fraternum amorem amor pecuniæ superauit. D. Basilius Seleuc Orat. 7. *Amor pecuniæ, necis excussa cogitatione Iosephum eodem cum illis satu editum a morte in apertam seruitutem vendicauit.* Vt dicat Philosophus, Pecunia frater est, imo & fratri præponitur.

OBSERVAT. II.

Ad illa verba:

Quod signum ostendis, quia hæc facis? Respondit eis IESVS: *Soluite Templum hoc.*

Christus ostendit se potestatem, ac dominatum in Iudæos habere, quia pro eis moriturus.

Ille enim verè Dominus ostentatur, qui subditis amoris expenit documenta.

23. Saa.

EX mente Emanuelis Saa, illa particula: *Quod signum ostendis*, idem est ac, Ostende, quam authoritatem, quem dominatum habeas in nos, ob quem tibi debeamus obsequium præstare? Porrò Christus se verè Dominum ostendit dum exprimit se pro eis moriturum. Nihil enim sic Dominum exponit quàm expressa in subditos amoris opera. Est ne Christus hominum Dominus? Conditorne creaturarum? Eas dilectionis confouet affectu. O dilectionis expressio quam perspicuum est

Deitatis,

Deitatis, ac Dominatus cœlestis indicamentum.

24\. An putabimus, Romam Ethnicam inexcusabili stultitia laborasse dum Soli, Lunæ, stellisque aliis adorationis libauit obseqoia. Profectò nescio quædam excusario deaurauit errorem, dum gentiles sydera adorabant, quæ videbaot amoris fulgore ad fouendos subditos coruscare. Pulchrè Ambrosius lib. de Abr. cap. 6. *Mundum superiorem Deum dicunt, & erraticarum motu stellarum, & fixarum cursu regi asserunt, ea, qua terrena sunt, & quodam vinculo carceri. Vnde & Deos stellas appellarunt, eo quod eas dominatum quendam supernum habere credant. Quia quodam stellis ad terrena compassio est.* Subditos cœlestia luminaria compassionis affectu confouent? Quid mirum à gentilibus ad Deitatis thronum eleuari?

Gentiles sydera adorabant vti Dominatrices hominum, quia eos confouere viderunt. Ambros.

25\. Proposuerat Deus mortem triduo exercere, percutiente Angelo. At cum se Dominum eorum hominum aspectaret, nec vnum diem integrum Angelum sæuire permisit. *Misertus est Dominus super afflictionem, & ait Angelo percutienti populum, sufficit.* 2. Reg. 24. Cum se iudicem aspicit, flagellat: cum se Dominum videt, curat dilectionis operibus subditos allicere. Hæc planè est Domini veri agnata operatio. Pulchrè Ambrosius ad Psal. 37. *Domini vide gratiam, quod & ipse à proposita conditione deflexit.* Hæc gratia Domini quidem est, non iudicis.

Cum Deus Iudex proposuisset triduo mortem dare: ipse vt verus Dominus eadē cōtraxit ad diem non integrum. 2. Reg 24. Ambros.

26\. Appositè Dauid. *Calix in manu Domini vini meri plenus misto; inclinauit ex hoc in hoc, verum tamen fæx eius non est exinanita.* Psal. 74. Si calix in manu iudicis ostentaretur fæx non esset exinanita, sed tres dies integri luctu obtenebrarentur. At quia calix in manu Domini, necessum erat fæcem exinaniri, primo die non perfecto. Ambrosius ad hæc. *Aduertendum plenus est calix, ad feriendum non exinanitus. Plenus erat calix, cum mors per triduum mandaretur: Sed occurrit misericordia Domini: tenuit manum Angeli prius, quam calicem exinaniret.* Dum calix impletur iudex ostenditur, cum manum admouet vt Angelum impediat properantem Domini verax apparet suas confouens creaturas.

Vt Iudex calicem mæste impleuit à peccatoribus hauriendum: vt Dominus impediuit Angelum, ad subditorum commodum. Psal. 74. Ambros.

27\. Audiendos ipse ex ore Prophetæ: *Conuersum est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea, non faciam, furorem iræ meæ.* Osee. 11. Verba ne iudicis, an Domini? Dominus quidem pietate paterna subditos curat à iudicis ira liberare. Hieronymus, *Cum duram sententiam protulisset, rursum Dominus parentis affectu misericordia vincitur, & austeritatem iudicis pietate mitigat patris.* Quia scilicet Dominus est.

Pietate Domini mitigat Deus iudicis iracundiam. Osee. 11. Hieron.

28\. Christus è mortuis resurgens suum Discipulis verum exprimit Dominatum. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Dominus sum hominum constitutus. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Matth. 28. An diluendi interfectores? Baptizate, & docete omnes gentes. Nec enim datam mihi potestatem in cœlo, & in terra, veréque me ostentabo Dominum, nisi me subditis præstitero patrem. Haymo, *Non solum in terra, sed etiam in cælo potestatem se accepisse dicit; quia humanitatem, quam pro nobis Patri tradidit, resurgendo, etiam super Angelos elenauit, vt subditis benefaceret. Hac enim dominatio non spernit peccatores, sed colligit.*

Licet ab hominibus Iesus occiditur, quia Dominus est, re docere, & baptizare imperat discipulis. Matth 28. Haymo.

Hinc D. Cyrillus Ierosol. Cath. 10. Christi verum dominatum probare contendit. Dei Filius est Dominus verax. Vnde colligis? Quia sese subditis benignissimè accommodare non dedignatur. *Saluator manens idem, & verè immutabilem Filij dignitatem habens, tanquam optimus Medicus compatiens accommodat se ad infirmitates nostras Dominus verè existens.* Pulchrè. Haud te verè Dominum puta, si subditorum vulnera horreas, & non potius, in morem Medici Samaritani, si aliquando vinum, plerumque oleum fuderis vulnerato.

Dominatio est ... *Iesus verax, quia subditis sese accommodat.* Cyrillus. Ierosolym.

Observatio III.

Ad illa verba:

Quadraginta & sex annis ædificatum est Templum hoc: & tu in tribus diebus excitabis illud?

Licet quadraginta & sex anni minimè impensi sunt Templi exædificationi, verè asseritur, quadraginta & sex annis esse ædificatum; quia Regum desiderium pro opere computatur.

Edisce, te posse desiderio permagna operari.

Colligitur ex Iosepho lib. 15. Antiq. cap. 14. tempore Salomonis septem annorum interstitio Templum exædificatum; octo autem Zorobabelis tempore, de qua ædificatione Iudæi loquuntur in præsenti. Cur ergo asserunt insumptos fuisse quadraginta & sex annos? Quia (vt Maldonatus docet, nosque asseruimus) anni computantur ab anno primo Cyri, quo facultas data eis fuit extruendi Delubrum. At Cyrus triginta annos vixit, postea Cambyses octo. Magi verò vno anno imperarunt, Templumque anno sexto Darij perfectum est, septimo quidem inchoato. Vnde quadraginta & sex anni complentur. Cur ergo triginta, & octo illi anni, quibus ab opere cessatum est, exædificationis anni appellantur? Certè quia Regibus aderat desiderium extruendi, quod ingruentibus hostibus impediebatur. At desideria pro operibus debent haberi. Expetis egregium aliquod opus Deo offerre, quod non potes mandare executioni? Proculdubio id opus perfecisti. Ipsum enim votum & desiderium pro opere computatur. 29.

Ioseph. Maldon.

De Magdalenæ inunctione Dominus ait, *Mittens hæc vnguentum hoc in corpus meum ad sepeliendum me fecit.* Matth. 26. Ac si diceret, me sepultum inunxit. Profectò Maria emit aromata, vt veniens vngeret corpus IESV sepulturæ iam traditum; sed Domino resurgente non potuit obsequium illud tradere executioni. Marc. 16 Quonammodo ergo Dominus asserit, à Magdalena corpus inunctum iam fuisse? *Ad sepeliendum me fecit:* & (vt Marcus) *Praeuenit vngere corpus meum in sepulturam.* Certè quia affectuoso desiderio æstuabat inungendi cadauer; vnde desiderium apud Dominum vti per- 30.

Magdalena inunxit corpus mortuum? Ita plane, quia desiderauit vngere. Matth 26. Marc. 16.

Alcuin. ſectiſſimum opus effertur. Pulchrè Alcuinus apud Cath. D. Thom. *Maria, cui ad vnctionem mortui corporis tuultum deſideranti peruenire non licuit, donatum eſt viuenti adhuc illud impendere obſequium, quod poſt mortem celeri reſurrectione præuenta, nequiuit.* Preme particulam: *Impendere illud obſequium.* Quomodo illud? Verius diceret, *Donatum eſt ei impendere ſimile obſequium.* Quàm pulchrè *illud* ipſum impendere! Quia ſcilicet deſiderans multum corpus mortuum vngere, potitur optatis. Deſiderium enim apud Dominum opus eſt.

31. *Qui deſiderat, iam operatur?* Tertull. Tertullianus lib. de Pœn. cap. 3. Hominem deſcribit deſiderantem opus quoddam egregium moliri: ſed quod, difficultatibus allurgentibus, non poteſt tradere executioni. Quæritat, an huiuſmodi vir debeat præmio facinoris priuari? & reſpondet, *Nec tum quidem priuatur, cum aliqua difficultas perpetrationem eius intercipit. Ipſa enim ſibi imputatur, nec excuſari poterit per vllam perficiendi infœlicitatem, operata quod ſuum fuerat.* Operata? Quomodo ſi operatus non eſt, ſed deſiderauit operari? Credidero, quia illud ipſum cupiiſſe, iam operari eſt.

32. *Quia Zara deſiderauit primò prodire, Ieſu parens appellatur, ac ſi prior educeretur.* Matth. 1. Maldon. Fatur Matthæus, *Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar.* Cap. 1. Cur Zaram inter Chriſti parentes adnumeratur ſi Phares fratri vt maiori patrimonium adſcribitur? Maldonatus reſpondet, *Veram arbitror eſſe cauſam, quòd in partu Thamar prior Zaram extra vterum manum protulit, qua retracta Phares prior exiit. Contendere enim iam in vtero gemelli infantes videbantur vter primogenitus, & Chriſti parens futurus eſſet, vt dubium fuiſſe videatur, vter primogenitus habendus.* Quonammodo dubium, ſi Phares prior exiuit? Certè quia Zaram intendit prior prodire cupiens tam illuſtri honorari paternitate. Ideo vterque parens efficitur Phares exiens, Zaram deſiderans exire. *Itaque* (addit opportunè) *voluit Euangeliſta honorem illis quodammodo partiri: ita Phares in Chriſti genealogia numeratur, vt Zaram non penitus excluderetur.*

33. *Deſiderium petendi in Axa vt petitio reputatur.* Iudith. 1. Abulenſ. De Axa Caleb filia ſacra fatur Hiſtoria, *Quæ cum ſuſpiraſſet, dixit ei Caleb: Quid habes?* Iudic. 1. Innuit D. Gregorius deſideraſſe petere, aut clamare, non autem clamauiſſe. At LXX. manifeſtè illa verba: Quæ cum ſuſpiraſſet, ſic tranſtulere: *Exclamauit.* Abulenſis quæſt. 15. *Quod ipſa inciperet petere, nullo præcedente verbo patris, erat ſibi magnus rubor: ideo voluit inducere patrem, vt prius loqueretur.* Quonammodo induxit? Ita petens, vt non poſtularet: ita non poſtulans, vt peteret. Deſiderauit enim petere, & clamare, *Pater da mihi terram irriguam:* & deſiderium illud iam erat clamor, & poſtulatio. *Habent ſuas voces deſideria, per quas etiam cum nolunt, produnt.* Sic Bernardus ſer. 67. in Cant. Bernard.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis.

Nec credentibus Iudæis in eum ſe credebat Chriſtus, quia agnoſcebat humani cordis mutabilitatem.

Nullus adeò iuſtus, ac perfectus ſecurus à caſu, nullus tutus omninò locus homini fragili, mutabili.

Videmus ex Chryſoſtomo, & aliis locum de ipſis credentibus intelligendum eſſe. 34. Chryſoſt. *Nec credentibus ſemetipſum credebat;* quia humanum cor obnoxium eſt mutabilitati. Nullus ergo temerè audeat inclamitare: *Non cadam.* Addit Euangeliſta, *Eo quod ipſe noſſet omnes.* O quot homines perfecti IESV amatores obiiciuntur, qui Deo imperfecti admodum oſtentantur! Quot peccatorum apparent rei, qui Deo commendabiles præſentantur. Difficilè planè, imò impoſſibile cordis humani inuolucra detegere, ideo oportet nos à iudiciis abſtinere.

Timotheo Paulus, *Noli aquam bibere, ſed vtere modico vino propter ſtomachum tuum, & frequentes infirmitates tuas.* 1. Timoth. 5. Præmiſerat, *Teipſum caſtum cuſtodi.* Vbi pulchrè Chryſoſtomus, *Viro ieiuniis dedito, & in tantum aqua aſſueta, vt infirmaretur, & crebras morborum moleſtias pateretur, pudicitiam præcipit.* Quis videret Timotheum ieiuniis confectum ac vigiliis, qui non crederet ab inſidiis laſciuiæ liberatum? Falleris egregie; Deus enim qui corda intuetur ex ore Pauli ſanctum Timotheum monet, contra carnis impetus viriliter decertare non mero vti, ſed aqua diluto vti. Qui caſtus eſt, poteſt infici impudicitia. *Teipſum caſtum cuſtodi.* Nullus adeo perfectus, qui caſui obnoxius non exiſtat. 35. *Nec fidendū ſanctiſſimo Timotheo homini ſcilicet circa caſtitatem, & ideo vini temperati vſus ei indicitur.*

Quis ſanctior Lotho, quem Deus ex conflagraturis ciuitatibus, ne periret, abſtraxit? 36. *Sanctiſſimus Loth. Sed ei homini non credendum: Inceſtu polluitur.* Gen. 19. Oleaſt. Gregor. *Aſcendit Segor, & manſit in monte, & manſit in ſpelunca ipſe, & duæ filiæ eius cum eo.* Gen. 19. Notus eſt Lothi caſus, cum ſeſe maculauit inceſtu. Oleaſter ex D. Gregorio, *Mirum valdè eſt, quod fuerit Loth ab incendio liberatus, & non ab inceſtu.* Quomodo vir ſanctus, qui ob ſanctitudinem ab incendio fuerat liberatus, non liberatur ab inceſtu? Mirum planè. At ſi mutabilitatis humanæ vim perpendas, nullus iuſtus hîc ſecuritate fruitur. *Admonet* (addit) *beatiſſimus Gregorius, nullum eſſe locum, vbi iuſti tuti eſſe poſſint, niſi in Deo ipſo.*

Profectò vel in *Deo ipſo* habitans Deipara ſe minimè ſecuritate potiri iudicabat. 37. *Vel in Deo ipſo habitās prudentiſſima Virgo timet, certam pulchri adulationis Angeli ſilicet præ entia.* Luc. 1. Bernard. *Aue gratia plena Dominus tecum.* Fatur Angelus. Tecum Deus, ſecuritate plena frueris. At Maria *turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio.* Luc. 1. Cur turbaris ô Virgo? Cum Deo habitans quid timere cogeris? Bernardus apud Oleaſt. ad cap. 19. Gen. *Legimus Virginem Angelos timuiſſe, & cogitaſſe, qualis foret Angeli ſalutatio. Nullos enim ſecurius viuere deprehendimus, quam qui quæ ſecura videntur, ſuſpecta habent.*

Deitatis, ac Dominatus cœlestis indicamentum.

24. An putabimus, Romam Ethnicam inexcusabili stultitia laborasse dum Soli, Lunæ, stellisque aliis adorationis libauit obsequia. Profectò nescio quædam excusatio deaurauit errorem, dum gentiles sydera adorabant, quæ videbant amoris fulgore ad fouendos subditos coruscare. Pulchrè Ambrosius lib. de Abr. cap. 6. *Mundum superiorem Deum dicunt, & erraticarum motu stellarum, & fixarum cursu regi asserunt, ea, quæ terrena sunt, & quodam vinculo coerceri. Vnde & Deos stellas appellarunt, eo quod eas dominatum quendam supernum habere credant. Quia quædam stellis ad terrena compassio est.* Subditos cœlestia luminaria compassionis affectu confouent? Quid mirum à gentilibus ad Deitatis thronum eleuari?

Gentiles sydera adorarunt vt Dominatrices hominum, quia eos confouere viderunt. Ambros.

25. Proposuerat Deus mortem triduo exercere, percutiente Angelo. At cum se Dominum eorum hominum aspectaret, nec vnum diem integrum Angelum sæuire permisit. *Misertus est Dominus super afflictionem, & ait Angelo percutienti populum, sufficit.* 2. Reg. 24. Cum se iudicem aspicit, flagellat: cum se Dominum videt, curat dilectionis operibus subditos allicere. Hæc planè est Domini veri agnata operatio. Pulchrè Ambrosius ad Psal. 37. *Domini vide gratiam, quod & ipse à proposita conditione deflexit.* Hæc gratia Domini quidem est, non iudicis.

Cum Deus Iudex proposuisset triduo mortem dare: ipse vt verus Dominus eadē cōtraxit ad diem non integrum. 2. Reg. 24. Ambros.

26. Appositè Dauid. *Calix in manu Domini vini meri plenus misto; inclinauit ex hoc in hoc, verum tamen fæx eius non est exinanita.* Psal. 74. Si calix in manu iudicis ostentaretur fæx non esset exinanita, sed tres dies integri luctu obtenebrarentur. At quia calix in manu Domini, necessum erat fæcem exinaniri, primo die non perfecto. Ambrosius ad hæc. *Ad serrendum plenus est calix, ad feriendum non exinanitus. Plenus erat calix, cum mors per triduum mandaretur: Sed occurrit misericordia Domini: tenuit manum Angeli prius, quam calicem exinaniret.* Dum calix impletur iudex ostenditur, cum manum admouet vt Angelum impediat properantem Dominus verax apparet suas confouens creaturas.

Vt Iudex calicem mixto implens à peccatoribus haurie. dum: vt Dominus impediuit Angelum, ad subditorum commodum. Psal. 74. Ambros.

27. Audiendus ipse ex ore Prophetæ: *Conuersum est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea, non faciam, furorem iræ meæ.* Osee. 11. Verba ne iudicis, an Domini? Dominus quidem pietate paterna subditos curat à iudicis ira liberare. Hieronymus, *Cum duram sententiam protulisset, rursum Dominus parentis affectu misericordia vincitur, & auctoritatem iudicis pietate mitigat patris.* Quia scilicet Dominus est.

Pietate Domini mitigat Deus iudicis iracundiam. Osee. 11. Hieron.

28. Christus è mortuis resurgens suum Discipulis verum exprimit Dominatum. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Dominus sum hominum constitutus. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Matth. 28. An diluendi interfectores? Baptizate, & docete omnes gentes. Nec enim datam mihi potestatem in cœlo, & in terra, vereque me ostendabo Dominum, nisi me subditis præstitero patrem. Haymo, *Non solum in terra, sed etiam in cœlo potestatem se accepisse dicit; quia humanitatem, quam pro nobis Patri tradidit, resurgendo, etiam super Angelos eleuauit, vt subditis benefaceret. Hæc enim dominatio non spreuit peccatores, sed collegit.*

Licet ab hominibus Iesus occiditur, quia Dominus est, eos doceri, & baptizari imperat discipulis. Matth. 28. Haymo.

Hinc D. Cyrillus Ierosol. Cath. 10. Christi verum dominatum probare contendit. Dei Filius est Dominus verax. Vnde colligis? Quia sese subditis benignissimè accommodare non dedignatur. *Saluator manens idem, & verè immutabilem Filij dignitatem habens, tanquam optimus Medicus compatiens accommodat se ad infirmitates nostras Dominus vere existens.* Pulchrè. Haud te verè Dominum puta, si subditorum vulnera horreas, & non potius, in morem Medici Samaritani, si aliquando vinum, plerumque oleum fuderis vulnerato.

Dominus est — *Iesus verax, quia subditis sese accommodat.* Cyrillus Ierosolym.

OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

Quadraginta & sex annis ædificatum est Templum hoc: & tu in tribus diebus excitabis illud?

Licet quadraginta & sex anni minimè impensi sunt Templi exædificationi, verè asseritur, quadraginta & sex annis esse ædificatum; quia Regum desiderium pro opere computatur.

Edisce, te posse desiderio permagna operari.

Colligitur ex Iosepho lib. 15. Antiq. cap. 14. tempore Salomonis septem annorum interstitio Templum exædificatum; octo autem Zorobabelis tempore, de qua ædificatione Iudæi loquuntur in præsenti. Cur ergo asserunt insumptos fuisse quadraginta & sex annos? Quia (vt Maldonatus docet, nosque asserimus) anni computantur ab anno primo Cyri, quo facultas data eis fuit extruendi Delubrum. At Cyrus triginta annos vixit, postea Cambyses octo. Magi verò vno anno imperarunt, Templumque anno sexto Darij perfectum est, septimo quidem inchoato. Vnde quadraginta & sex anni complentur. Cur ergo triginta, & octo illi anni, quibus ab opere cessatum est, exædificationis anni appellantur? Certè quia Regibus aderat desiderium extruendi, quod ingruentibus hostibus impediebatur. At desideria pro operibus debent haberi. Expetis egregium aliquod opus Deo offerre, quod non potes mandare executioni? Proculdubio id opus perfecisti. Ipsum enim votum & desiderium pro opere computatur. 29.

Ioseph. Maldon.

De Magdalenæ inunctione Dominus ait, *Mittens hæc vnguentum hoc in corpus meum ad sepeliendum me fecit.* Matth. 26. Ac si diceret, me sepultum inunxit. Profectò Maria emit aromata, vt veniens vngeret corpus IESV sepulturæ iam traditum; sed Domino resurgente non potuit obsequium illud tradere executioni. Marc. 16 Quonammodo ergo Dominus asserit, à Magdalena corpus inunctum iam fuisse? *Ad sepeliendum me fecit*: & (vt Marcus) *Præuenit vngere corpus meum in sepulturam.* Certè quia affectuoso desiderio æstuabat inungendi cadauer; vnde desiderium apud Dominum vti per- 30.

Magdalena inunxit corpus mortuum? Ita plane, quia desiderauit vngere. Matth. 26. Marc. 16.

Alcuin. fectissimum opus effertur. Pulchrè Alcuinus apud Cath. D.Thom. *Maria, cui ad vnctionem mortui corporis multum desideranti peruenire non licuit, donatum est viuenti adhuc illud impendere obsequium, quod post mortem celeri resurrectione præuenta, nequiuit.* Preme particulam: *Impendere illud obsequium.* Quomodo illud? Verius diceret, *Donatum est ei impendere simile obsequium.* Quàm pulchrè *illud* ipsum impendere! Quia scilicet desiderans mulium corpus mortuum vngere, potitur optatis. Desiderium enim apud Dominum opus est.

31. Tertullianus lib. de Pœn. cap. 3. Hominem describit desiderantem opus quoddam egregium moliri: sed quod, difficultatibus assurgentibus, non potest tradere executioni. Quæritat, an huiusmodi vir debeat præmio facinoris priuari? & respondet, *Nec tum quidem prænatur, cum aliqua difficultas perpetrationem eius intercipit. Ipsa enim sibi imputantur, nec excusari poterit per villam perficiendi infœlicitatem, operata quod suum fuerat.* Operata? Quomodo si operatus non est, sed desiderauit operari? Crediderò, quia illud ipsum cupiisse, iam operari est.

Qui desiderium, iam operatur?
Tertull.

32. Fatur Matthæus, *Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar.* Cap 1. Cur Zaram inter Christi parentes adnumeratur si Phares fratri vt maiori patrimonium adscribitur? Maldonatus respondet, *Veram arbitror esse causam, quòd in partu Thamar prior Zaram extra vterum manum protulit, qua retracta Phares prior exiit. Contendere enim iam in vtero gemelli infantes videbantur vter primogenitus, & Christi parens futurus esset, vt dubium fuisse videatur, vter primogenitus habendus.* Quonammodo dubium, si Phares prior exiuit? Certè quia Zaram intendit prior prodire cupiens tam illustri honorari paternitate. Ideo vterque parens efficitur Phares exiens, Zaram desiderans exire. *Itaque* (addit opportunè) *voluit Euangelista honorem illis quodammodo partiri: ita Phares in Christi genealogia numeratur, vt Zaram non penitus excluderetur.*

Quia Zara desiderauit primò prodire, Iesu parens appellatur, ac si prior educeretur.
Matth 1.
Maldon.

33. De Axa Caleb filia sacra fatur Historia, *Quæ cum suspirasset, dixit ei Caleb: Quid habes?* Iudic. 1. Innuit D. Gregorius desiderasse petere, aut clamare, non autem clamauisse. At LXX. manifestè illa verba: Quæ cum suspirasset, sic transtulere: *Exclamauit.* Abulensis quæst. 15. *Quod ipsa inciperet petere, nullo præcedente verbo patris, erat sibi magnus rubor: ideo voluit inducere patrem, vt prius loqueretur.* Quonammodo induxit? Ita petens, vt non postularet: ita non postulans, vt peteret. Desiderauit enim petere, & clamare, *Pater da mihi terram irriguam:* & desiderium illud iam erat clamor, & postulatio. *Habent suas voces desideria, per quas etiam cum nolunt, produnt.* Sic Bernardus ser. 67. in Cant.

Desiderium petendi in Axa vt petitio reputatur.
Iudith. 1.
Abulens.
Bernard.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis.

Nec credentibus Iudæis in eum se credebat Christus, quia agnoscebat humani cordis mutabilitatem.

Nullus adeò iustus, ac perfectus, securus à casu, nullus tutus omnino locus homini fragili, mutabili.

Videmus ex Chrysostomo, & aliis locum de ipsis credentibus intelligendum esse. 34.
Nec credentibus semetipsum credebat; quia humanum cor obnoxium est mutabilitati. Nullus ergo temerè audeat inclamitare: *Non cadam.* Addit Euangelista, *Eo quod ipse nosset omnes.* O quot homines perfecti IESV amatores obueniuntur, qui Deo imperfecti admodum ostentantur! Quot peccatorum apparent rei, qui Deo commendabiles præsentantur. Difficile planè, imò impossibile cordis humani inuolucra detegere, ideo oportet nos à iudiciis abstinere.

Chrysost.

Timotheo Paulus, *Noli aquam bibere, sed vtere modico vino propter stomachum tuum, & frequentes infirmitates tuas.* 1. Timoth. 5. Præmiserat, *Teipsum castum custodi.* Vbi pulchrè Chrysostomus, *Viro ieiuniis dedito, & in tantum aqua assueto, vt infirmaretur, & crebras morborum molestias pateretur, pudicitiam præcipit.* Quis videret Timotheum ieiuniis confectum ac vigiliis, qui non crederet ab insidiis lasciuiæ liberatum? Falleris egregiè; Deus enim qui corda intuetur ex ore Pauli sanctum Timotheum monet, contra carnis impetus viriliter decertare non mero vti, sed aqua diluto vti. Qui castus est, potest infici impudicitia. *Teipsum castum custodi.* Nullus adeo perfectus, qui casui obnoxius non existat. 35.

Nec fidendū sanctissimo Timotheo homini scilicet circa castitatem, & ideo vini temperati vsus ei indicitur.

Quis sanctior Lotho, quem Deus ex conflagraturis ciuitatibus, ne periret, abstraxit? *Ascendit Segor, & mansit in monte, & mansit in spelunca ipse, & duæ filiæ eius cum eo.* Gen. 19. Notus est Lothi casus, cum sese maculauit incestu. Oleaster ex D.Gregorio, *Mirum valdè est, quod fuerit Loth ab incendio liberatus, & non ab incestu.* Quomodo vir sanctus, qui ob sanctitudinem ab incendio fuerat liberatus, non liberatur ab incestu? Mirum planè. At si mutabilitatis humanæ vim perpendas, nulla iustus hic securitate fruitur. *Admonet* (addit) *beatissimus Gregorius, nullum esse locum, vbi iusti tuti esse possint, nisi in Deo ipso.* 36.

Sanctissimus Loth. Sed ei homini non credendum: Incestu pollutur.
Gen 19.
Oleast.
Gregor.

Profectò vel in *Deo ipso* habitans Deipara se minimè securitate potiri iudicabat. *Aue gratia plena Dominus tecum.* Fatur Angelus. Tecum Deus, securitate plena frueris. At Maria *turbata est in sermone eius, & cogitabat, qualis esset ista salutatio.* Luc. 1. Cur turbaris ô Virgo? Cum Deo habitans quid timere cogeris? Bernardus apud Oleast. ad cap. 19. Gen. *Legimus Virginem Angelos timuisse, & cogitasse, qualis foret Angeli salutatio. Nullos enim securius viuere deprehendimus, quam qui quæ secura videntur, suspecta habent.* 37.

Vel in Deo ipso habitās prudentissima Virgo timet, etiam pulchri adolescētis Angeli scilicet præsentia.
Luc 1.
Bernard.

bent. Si in Deo existens Maria prudentissimè timet excidere, quid qui confirmatus in gratia non es, nec Dei præsentiæ illigaris: sed cum peccatoribus colligari non refugis?

38. *In aqua ignis accenditur luxuriei? Nullus adeo ab hoc igne remotus, cui omnino credendum sit, seu fidendum.* Muret.

Celeberrima est Veneris ex aquarum spuma natiuitas, quam Fulgentius, Pausanias, Cartharius ab Ouidio carminibus expressam decantauere. An non aptius libidinis Diua ex igne prodiret? Quid aquæ cum luxuria? D. Hieronymus respondet ex aquis exitialem ignem exponi, vt ediscas nullam esse homini securitatem, si vel aquæ præparatur incendium. Mar. Antonij Mureti a. p. delit. Poët. Gallor. Epigrama subiicio:

Si Venus vt mendax docuerunt turba Poeta
De mediis verè nata putatur aquis:
Qui fieri potest, mediis vt fluctibus orta
Assiduo nostrum torreat igne iecur?
O dolor! O quid iam miseri speretis amantes?
E media vobis nascitur ignis aqua.

39. *Nec discipulis sanctissimis fidit Iesus, non posse dato occasione leuiali quo piaculo maculari.* Luc. 10. Ambros. Plutarc.

Apostolos Dominus admonebat, *Neminem per viam salutaueritis.* Luc. 10. Ambrosius lib. 7. in Luc. *Fortassis quibusdam hoc durum, & superbum videtur.* Cur ergo Christus non consulit Apostolorum opinioni, sed id præcipit, quod ab aliquibus possit eis vitio dari: Respondet, *Ideo honesta prohibentur, nè solemnis gratia obrepat officio, & impediat ministerium, cuius mora culpa est.* Qui Apostolorum præcordia intuetur Dominus honesta prohibet, quia videt posse illos aliqua imperfectione maculari, dum salutationibus student. Belle Plutarchus Tract. de Curios. *Est igitur & ad iustitiam exercendam vtile, nonnunquam & quod iustum est, prætermittere; quo consuescas, procul abesse & a factis iniustis.* Si Christus vel Apostolis circa hoc semetipsum credere non videtur, nullius perfectioni omninò credamus. Liceat vulgariter expendere: *No nos fiemos del mas perfecto*, si quidem cuncti obnoxij sunt hìc mutabilitati.

40. *Dauid occasione oblata deliquit. Haud crede fortitudini.* 2 Reg. 11. Theodor.

Quis fortior Dauide? *Accidit, vt surgeret Dauid de strato suo post meridiem, & deambularet in solario domus Regiæ, viditque mulierem se lauantem.* 2. Reg. 11. Preme verbum, *Vedit.* O quàm facilè percutitur exitialiter, qui tam difficili prœlio plurimos ense vulnerauit! Theodoretus quæst. 20. *Paruas assecutus inducias, illum lapsum passus est.* Auræ spiraculo fragili addicitur, qui fortibus horribilis apparebat. Noli credere fortitudini.

41. *Quam prudenter timebat Abram, ne iam à se victis rursus superari.* Polybi. Gen. 15. Pererius.

Polybius apud Danæum Lambertum num. 9. *Post victoriam partam non sunt excubiæ negligentius agendæ.* Nam fortissimi quique, hodie parta victoria, possunt crastina die desidia laborantes ab hostibus inualidis superari. Ideo Abraham timuit post victoriam celeberrimam, ne ab ipsis Regibus victis vinceretur. Vnde Dominus. *Noli*, inquit, *timere Abram, ego protector tuus sum.* Gen. 15. Vnde nam victori formido? Respondet Pererius, *timuit, ne quatuor illi Reges a se debellati tanta cladis dolore pariter ac pudore vehementius ad vindictam inflammarentur, maioribusque coactis viribus, rursum ad eam regionem cædibus atque incendiis vastandam, maxime verò vlciscendum Abram accepta calamitatis auctorem rediret. Enim verò nouerat Abram vir prudentissimus non securam esse victoriam vbi vel armatus hostis adhuc superfit.* Adde, & vbi hominis fortitudo (ad spirituale bellum transfero) facile potest in imbecillitatem mutari ex cordis nostri instabilitate. Non sufficit vicisse heri, hodie infirmus poteris ab ipsis hostibus victis superari. Cyprianus lib. de dupl. Mart. *Nunquam remittendæ sunt excubiæ. Sed obseruans inimici insidias, dicat cum Abacuc, super custodiam meam stabo, & gradum figam super petram omni custodia firmans cor meum.* Totius enim periculi ratio ab instabilitate fortitudinis cordis (cui nunquam credendum) exoritur. Cyprian.

OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

IESVS *autem non semetipsum credebat eis.*

Christus semetipsum non credit eis, qui non crediderunt, speciatim sedentibus nummulariis.

Quia peccatores publicè sedentes, & euulgantes crimina, scandalo oborto, specialissimè inuisi sunt conditori.

42. VIdimus particulam *Eis* referendam esse ad vendentes, & ementes, ac nummularios ex aliquorum expositione, quia licet omnes peccatores odibiles conditori sunt, specialissimo odio persequitur rebelles, qui credentibus aliis, hærescunt iniquitati. Nummularios præcipuè taxo sedentes, id est peccatores persistentes diu in crimine, iniquitatemque suam publicantes. Liceat vulgariter expendere. *Estan de asiento en sus vicios, y se precian, y hacen gala de sus miserias.* Hosce Dominus & flagellis & verbis vulnerauit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis.

43. *Reprobatur, qui lætatur in criminis, immundo similis animanti.* Plutarch. Chrysost.

Ceruus olim ex legis permissione edebatur, sus minimè. Quare obsecro? legi apud Plutarcum Sympos. Problem. 2. *Cerui salsas emittunt lacrymas, sues dulces, cum capiuntur.* Annon profluunt lacrymæ aut ex mœrore, aut ex lætitia? D. Chrysostomus serm. 64. *Quotiens viscera aut lætitia, aut tristitia nimio arctantur impulsu, oculi in lacrymas mox erumpunt.* Profectò ex medicorum obseruatione lacrymæ profluentes ex affectu doloris, salsæ sunt & amaræ: ex lætitiæ autem affectu dulces esse inueniuntur. O dignissimum reprobatione animans, quod cum captum, illigatumque obiicitur, lætitia perfunditur, ac de vinculis gloriatur peccatorum! Quis infirmus excidit, sed lacrymas profundit amaras de voluptate dolens? Acceptabilis Numini præsentatur.

44. *Taxatur qui publicat delicta similis pellicano, & nycticoraci: qui solitariò delinquit, minus damnabilis apparet.* Gregor.

Dauid pulchro carmine expressit, *Similis factus sum pellicano solitudinis, factus sum sicut nycticorax in domicilio. Vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Psl. 101. Dum dormirem somno peccati correptus similis erã pellicano, ac nycticoraci: dum vigilaui, siue oculos aperui passerem solitarium sum imitatus. Primo addictus statui, *defecerunt sicut fumus dies mei, quia oblitus sum comedere panem meum*, à tua domo instar prodigi deturbatus; ac factus passer solitarius in tecto, *Tu exurgẽs misereberis Sion, quia tempus miserendi eius.* Quare obsecro Dauid dũ pellicanus ac nycticorax est à Deo ablegatur, dum passer fit solitarius, recipitur? Gregorius, *Pellicanus venenatis animalibus vescitur & delectatur, se comedisse. Peccator autem veneno vescitur diabolica persuasionis, & delectatur. Sicut nycticorax*

solet nocte cantare, per quod notantur hi, qui tenebroso tripudiant opere. Passer denique solitarius in tecto recluditur, & tenebras & solitudinem quærit. Si inficitur peccator tenebris delictorum haud opere tripudiat, sed tecti latibula quæritat, ne ab hominibus aspiciatur. Ideo à Domino benignè recipitur.

45. *A conuiuio expellitur homo non tam quia nudus, erat quam quia est imitatur nuditatem* Matth 22. Chrysost.

Cur existimas miserum illum homuncionem fuisse à conuiuio nuptiali deturbatum? Crediderim quia de crimine gloriatus est, quod debebat ab oculis subtrahere discumbentium. *Amice*, (inquit Rex) *quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras.* Matth.22. Quonam delicto maculatur? D. Chrysostomus hom.61. ad pop. *Non dixit, quare discubuisti, sed cur intrasti non habens vestem.* Non puoio quia discubuisti indignè, sed quia impudenter te nudum exponere non erubuisti. Cur non quæsisti Esaú vestes? Cur nuditatem non operuisti? Cur instar solitatij passeris, non quæsisti tecti latibula delicturus? *Mittite eum in tenebras.*

46. *Dum cogitas superbe, non supplicis afficeris, dum exprimis superbiam, ira Dei corripe-ris.* Psal 72. August.

Rursum Dauid cecinit, *Cogitauerunt, & locuti sunt nequitiam: iniquitatem in excelso locuti sunt.* Exprimitur peccatoris desperati status. Dum cogitat, & submissè locutus est nequitiam, non exitio datur extremo. At dum *non solum loquutus est iniquitatem, sed etiam clare audientibus omnibus, Ego facio, ego ostendo*: extrema Dei iracundia corripitur; quia instar Sodomitarum clamoribus æthera complet, fante Numine: *Clamor Sodomorum venit ad me.* Addidit Pater, *Superbe vel cogitares ea, non etiam effunderes, vel intra claustra cogitationis mala cupiditas coerceretur.*

47. *Nabuchodonosor prophanam secretò vasa Templi non subit indignationem, secus Balthasar publicè, & sedens prophanator.* Dan 7 Hieron.

Olim *Balthasar Rex fecit grande conuiuium optimatibus suis mille. Præcepit, vt afferrentur vasa aurea, & argentea, quæ asportauerat Nabuchodonosor de Templo, quod fuit in Ierusalem. In eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis.* Dan.7. Vbi pulchrè D. Hieronymus, *Asportauit partem vasorum domus Dei, & vasa intulit in domum thesauri sui. Quamdiu vasa fuerunt in idolio Babylonis non est iratus Dominus: videbantur enim rem Dei secundum prauam quidem opinionem, tamen diuino cultui consecrasse.* Vasorum prophanatio facta à Nabuchodonosor non vindicatur, effecta autem eorundem vasorum à Balthasare exitiali supplicio afficitur? Quare precor? Crediderim, quia Nabuchodosor *intulit vasa in domum thesauri Dei sui.* Dan.1. Prophanantur inibi, sed crimen illud secreti clausula recluditur. At Balthasar vt nummularius sedens publico conuiuio vasa exposuit coram omnibus prophananda. *In eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis.* Dan 1.

48. *Epulo damnabilis dicitur, quia sedens suam publicat vanitatem.* Luc. 16.

De diuite epulone fatur Dominus, *Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & bysso & epulabatur quotidie splendidè.* Luc.16. Certè non video in diuitis descriptione dignam damnatione iniquitatem. *Induebatur purpura & bysso?* Esto ad inanem gloriam pretioso ac molli vteretur indumento: grauis culpa diuitis non est. Anselmus. *Induebatur purpura & bysso ad inanem gloriam.* Quæ quidem culpa adeò leuis vt ad quæstionem afferatur, an piaculum extitisset. Anselm. Vnde concludit Gregorius, *Si subtilium, & pretiosarum vestium cultus culpa non esset, non id Christus tam vigilanter exprimeret. Nemo enim vestimenta pretiosa nisi ad inanem gloriam quærit. Itaque nemo sic induitur, vbi ab aliis non possit videri.* Gregor. Eleemosynam, ais, non præbebat egeno. An piaculum crimen est, mendico non succurrere secularem, si extrema, si grauis non vrget necessitas? Quid nam ergo agnatum damnationi in diuite obiicitur? *Epulabatur quotidie splendide.* Caietanus, *Congruis quandoque epulari, sed quotidie minus est.* Caietan. Aptius premo aduerbium, *splendidè*, Saa explicante: *Non solum exquisitis cibis, sed splendido aut publico conuiuij apparatu.* Saa. O damnabilem epulonem, qui vt nummularius sedens, ad publicum suam adfert intemperantiam! *Preciaba se de goloso.* Quid si ad publicum grauissima crimina adferre non vereatis?

LIBER

bent. Si in Deo existens Maria prudentissimè timet excidere, quid qui confirmatus in gratia non es, nec Dei præsentiæ illigaris; sed cum peccatoribus colligari non refugis?

In aqua ignis accenditur luxuriei? Nullus adeo ab hoc igne remotus, cui omnino credendum sit, seu fidendum. Muret.

38. Celeberrima est Veneris ex aquarum spuma natiuitas, quam Fulgentius, Pausanias, Cartharius ab Ouidio carminibus expressam decantauere. An non aptius libidinis Diua ex igne prodiret? Quid aquæ cum luxuria? D. Hieronymus respondet ex aquis exitialem ignem exponi, vt ediscas nullam esse homini securitatem, si vel aquæ præparatur incendium. Mar. Antonij Mureti a. p. delit. Poët. Gallor. Epigrama subiiclo:

Si Venus vt mendax docuerunt turba Poëta
De mediis verè nata putatur aquis:
Qui fieri potest, mediis vt fluctibus orta
Assiduo nostrum torreat igne iecur?
O dolor! O quid iam miseri speretis amantes?
E media vobis nascitur ignis aqua.

Nec discipulis sanctissimus sidit Iesus, non posse data occasione leuiali quo piaculo maculare. Luc. 10. Ambros. Plutarc.

39. Apostolos Dominus admonebat, *Neminem per viam salutaueritis.* Luc. 10. Ambrosius lib 7. in Luc. *Fortassis quibusdam hoc durum, & superbum videatur.* Cur ergo Christus non consulit Apostolorum opinioni, sed id præcipit, quod ab aliquibus possit eis vitio dari: Respondet, *Ideo honesta prohibentur, nè solemnis gratia obrepat officio, & impediat ministerium, cuius mora culpa est.* Qui Apostolorum præcordia intuetur Dominus honesta prohibet, quia videt posse illos aliqua imperfectione maculari, dum salutationibus student. Belle Plutarchus Tract. de Curios. *Est igitur & ad iustitiam exercendam vtile, nonnunquam & quod iustum est, prætermittere; quo consuescas, procul abesse & a factis iniustis.* Si Christus vel Apostolis circa hoc semetipsum credere non videtur, nullius perfectioni omnind credamus. Liceat vulgariter expendere: *No nos fiemos del mas perfecto*, si quidem cuncti obnoxij sunt hic mutabilitati.

Dauid occasione oblata deliquit. Haud crede fortitudini. 2 Reg. 11. Theodor.

40. Quis fortior Dauide? *Accidit, vt surgeret David de strato suo post meridiem, & deambularet in solario domus Regia, viditque mulierem se lauantem.* 2 Reg. 11. Preme verbum, *Vidit.* O quàm facilè percutitur exitialiter, qui tam difficili prœlio plurimos ense vulnerauit! Theodoretus quæst. 20. *Paruas asse unus inducias, illum lapsum passus est.* Auræ spiraculo fragili addicitur, qui fortibus horribilis apparebat. Noli credere fortitudini.

Quam prudenter timebat Abram, Regibus à se victis rursū superari. Polybi. Gen. 15. Pererius.

41. Polybius apud Danæum Lambertum num. 9. *Post victoriam partam non sunt excubiæ negligentius agendæ.* Nam fortissimi quique, hodie parta victoria, possunt crastina die desidia laborantes ab hostibus inualidis superari. Ideo Abraham timuit post victoriam celeberrimam, ne ab ipsis Regibus victis vinceretur. Vnde Dominus. *Noli,* inquit, *timere Abram, ego protector tuus sum.* Gen. 15. Vnde nam victori formido? Respondet Pererius, *timuit, ne quatuor illi Reges a se debellati tanta clade dolore pariter ac pudore vehementius ad vindictam inflammarentur, maioribusque coactis viribus, rursum ad eam regionem cædibus atque incendiis vastandam, maxime verò vlciscendum Abram acceptæ calamitatis auctorem redirēt. Enim verò nouerat Abram vir prudentissimus non securam esse victoriam vbi vel armatus hostis adhuc supersit.* Adde, & vbi hominis fortitudo ad spirituale bellum transfero facile potest in imbecillitatem mutari ex cordis nostri instabilitate. Non sufficit vicisse heri, hodie infirmus poteris ab ipsis hostibus victis superari. Cyprianus lib. de dupl. Mart. *Nunquam remittenda sunt excubiæ. Sed obseruans inimici insidias, dicat cum Abacuc, super custodiam meam stabo, & gradum figam super petram omni custodia firmans cor meum.* Totius enim periculi ratio ab instabilitate fortitudinis cordis (cui nunquam credendum) exoritur. Cyprian.

Observatio V.

Ad illa verba:

Iesvs *autem non semetipsum credebat eis.*

Christus semetipsum non credit eis, qui non crediderunt, speciatim sedentibus nummulariis.

Quia peccatores publicè sedentes, & euulgantes crimina, scandalo oborto, specialissimè inuisi sunt conditori.

Vidimus particulam *Eis* referendam esse ad vendentes, & ementes, ac nummularios ex aliquorum expositione; quia licet omnes peccatores odibiles conditori sunt, specialissimo odio persequitur rebelles, qui credentibus aliis, hærescunt iniquitati. Nummularios præcipuè taxo sedentes, id est peccatores persistentes diu in crimine, iniquitatemque suam publicantes. Liceat vulgariter expendere. *Estan de asiento en sus vicios, y se precian, y hacen gala de sus miserias.* Hosce Dominus & flagellis & verbis vulnerauit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis. 42.

43. Ceruus olim ex legis permissione edebatur, sus minimè. Quare obsecro? legi apud Plutarcum Sympos. Problem. 2. *Cerui salsas emittunt lacrymas, sues dulces, cum capiuntur.* Annon profluunt lacrymæ aut ex mœrore, aut ex lætitia? D. Chrysostomus serm. 64. *Quotiens viscera aut lætitia, aut tristitia nimio arctantur impulsu, oculi in lacrymas mox erumpunt.* Profectò ex medicorum obseruatione lacrymæ profluentes ex affectu doloris, salsæ sunt & amaræ: ex lætitiæ autem affectu dulces esse inueniuntur. O dignissimum reprobatione animans, quod cum captum, illigatumque obiicitur, lætitia perfunditur ac de vinculis gloriatur peccatorum! Quis infimus excidit, sed lacrymas profundit amaras de voluptate dolens? Acceptabilis Numini præsentatur.

Reprobatur, qui lætatur in crimine, immundo similis animanti. Plutarch. Chrysost.

44. Dauid pulchro carmine expressit, *Similis factus sum pellicano solitudinis, factus sum sicut nycticorax in domicilio. Vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Ps. 101. Dum dormirem somno peccati correptus similis erā pellicano, ac nycticoraci: dum vigilaui, siue oculos aperui passerem solitarium sum imitatus. Primo addictus statui, *defecerunt sicut fumus dies mei, quia oblitus sum comedere panem meum*, à tua domo instar prodigi deturbatus; ac factus passer solitarius in tecto, *Tu exurgēs misereberis Sion, quia tempus miserendi eius.* Quare obsecro Dauid dū pellicanus ac nycticorax est à Deo ablegatur, dum passer fit solitarius, recipitur? Gregorius, *Pellicanus venenatis animalibus vescitur & delectatur, se comedisse. Peccator autem veneno vescitur diabolica persuasionis, & delectatur. Sicut nycticorax*

Taxatur qui publicat delicta similis pellicano, & nycticoraci: qui solitariè delinquit, minus damnabilis apparet. Gregor.

solet nocte cantare, per quod notantur hi, qui tenebroso tripudiant opere. Passer denique solitarius in recto recluditur, & tenebras & solitudinem quærit. Significatur peccator tenebris delictorum haud opere tripudiat, sed recti laribula quæritat, ne ab hominibus aspiciatur. Ideo à Domino benignè recipitur.

45. *A conuiuio expellitur homo non tam quia nudus, erat quam quia æstimabat nuditatem.* Matth. 22. Chrysost.

Cur existimas miserum illum homuncionem fuisse à conuiuio nuptiali deturbatum? Credideum quia de crimine gloriatus est, quod debebat ab oculis subtrahare discumbentium. *Amice*, (inquit Rex) *quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras.* Matth. 22. Quonam delicto maculatur? D. Chrysostomus hom. 61. ad pop. *Non dixit, quare discubuisti, sed cur intrasti non habens vestem.* Non punio quia discubuisti indignè, sed quia impudenter te nudum exponere non erubuisti. Cur non quæsiisti Esau vestes? Cur nuditatem non operuisti? Cur instar solitarij passeris, non quæsisti recti laribula delicturus? *Mittite eum in tenebras.*

46. *Dum cogitas superbe, non supplicio afficeris, dum exprimis superbiam, ira Dei corriperis.* Psal 72. August.

Rursum Dauid cecinit, *Cogitauerunt, & locuti sunt nequitiam: iniquitatem in excelso locuti sunt.* Exprimitur peccatoris desperati status. Dum cogitat, & submissè locutus est nequitiam, non exitio datur extremo. At dum *non solum loquutus est iniquitatem, sed etiam clare audientibus omnibus, Ego facio, ego ostendo*: extrema Dei iracundia corripitur; quia instar Sodomitarum clamoribus æthera complet, fante Numine: *Clamor Sodomorum venit ad me.* Addidit Pater, *Superbe vel cogitares ea, non etiam effunderes, vel intra claustra cogitationis mala cupiditas coerceretur.*

47. *Nabuchodonosor prophanam sacra vasa Templi non subiit indignationem, secus Balthasar publicè, & sedens prophanator.* Dan 7. Hieron.

Olim *Balthasar Rex fecit grande conuiuium optimatibus suis mille. Præcepit, vt afferrentur vasa aurea, & argentea, quæ asportauerat Nabuchadonosor de Templo, quod fuit in Ierusalem. In eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis.* Dan. 7. Vbi pulchrè D. Hieronymus, *Asportauit partem vasorum domus Dei, & vasa intulit in domum thesauri sui. Quandiu vasa fuerunt in idolio Babylonis non est iratus Dominus: videbantur enim rem Dei secundum prauam quidem opinionem, tamen diuino cultui consecrasse.* Vasorum prophanatio facta à Nabuchodonosor non vindicatur, effecta autem eorundem vasorum à Balthasare exitiali supplicio afficitur? Quare precor? Crediderim, quia Nabuchodosor *intulit vasa in domum thesauri Dei sui.* Dan. 1. Prophanantur inibi, sed crimen illud secreti clausula recluditur. At Balthasar vt nummularius sedens publico conuiuio vasa exposuit coram omnibus prophananda. *In eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis.*

Dan 1.

48. *Epulo damnabilis dicitur, quia sedens, suam publicat vanitatem.* Luc. 16.

De diuite epulone fatur Dominus, *Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & bysso & epulabatur quotidie splendidè.* Luc. 16. Certè non video in diuitis descriptione dignam damnatione iniquitatem. *Induebatur purpura & bysso?* Esto ad inanem gloriam pretioso ac molli vestiretur indumento: grauis culpa diuitis non est. Anselmus. *Induebatur purpura & bysso ad inanem gloriam.* Quæ quidem culpa adeò leuis vt ad quæstionem afferatur, an piaculum extitisset. Vnde concludit Gregorius, *Si subtilium, & pretiosarum vestium cultus culpa non esset, non id Christus tam vigilanter exprimeret. Nemo enim vestimenta pretiosa nisi ad inanem gloriam quærit. Itaque nemo sic induitur, vbi ab aliis non possit videri.* Eleemosynam, ais, non præbebat egeno. An piaculum crimen est, mendico non succurrere secularem, si extrema, si grauis non viget necessitas? Quid nam ergo agnatum damnationi in diuite obiicitur? *Epulabatur quotidie splendide.* Caietanus, *Congruit quandoque epulari, sed quotidie minus est.* Aptius premo aduerbium, *splendidè*, Saa explicante: *Non solum ex quisitis cibis, sed splendido aut publico conuiuij apparatu.* O damnabilem epulonem, qui vt nummularius sedens, ad publicum suam adfert intemperantiam! *Preciaba se de goloso.* Quid si ad publicum grauissima crimina adferre non verearis?

Anselm. Gregor. Caietan. Saa.

LIBER

LIBER QVINTVS.

COLLOQVIVM IESV CVM PHARISÆIS APVD GAZOPHYLACIVM.

PARAPHRASIS, ET COMMENTARII literales ad caput octauum Ioannis.

Panegyrici Morales circa literam in Iesum colloquentem.

PROLVSIO.

EXORSVS IESVS alium sermonem cum Phari- *Dominici vitalis ligni* FRVCTVS QVINTVS.
sæis, populum edocere pergens, quis esset ostendit, & Iudæos ab auitis moribus degenerare probat. *Ego sum lux mundi*, à Parentibus, quidem minimè degener, trahens fulgorem *Lumen de lumine* æternùm ostentor. Vultis obiiciam è Matre fulgentissimum luminaris magni progressum? Maria Lux est. Ipsam audite: *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Prouerb.8. Prou.8.
Alij legunt, *Dominus creauit me ab initio viarum suarum.* Explicat Laurentinus Richardus lib. 4. de Laud. Virg. *Ab initio creationis mundi creata sum, id est, præfigurata creari per creationem lucis, de qua factum est corpus Solis, vt quidam dicunt. Sicut enim in illa luce data est lux mundo, tamen subobscura: & de illa luce facta sunt luminaria, quæ maiorem lucem dederunt vt Sol: Ita beata Virgo dedit lucem mundo respectu prioris temporis: non tantam tamen sicut Sol Christus, qui ex ea natus est.* Videte an Dominus lumen de Patre lumine Sol de luce Maria ab auitis moribus degenerauit. An non potest Euangelica libertate Concionator egregius degenerum vitia carpere? Richard. Laur.

IOANNES CAP. VIII.

VERS. 12. EGo sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.

PARAPHRASIS.

12. ABLEGATIS *delatoribus, proditis suis cuique sceleribus, ac dimissa adultera peccatrice: Ego sum (pergit Dominus) id toti orbi, quod Sol est toti mundo. Qui Solis ductu ambulat, non impingit in tenebris: qui me sequitur, meæque fidit doctrinæ, non hære-*

13. Dixerunt

bit amplius in tenebris errorum; sed purgatus à vitiis luce vera fruetur.

13. Dixerunt ergo ei Pharisæi, Tu de te ipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum.

13. Hanc magnificam verissimam licet de se prædicationem non tulit Pharisæorum liuor. Tu, inquiunt, tibi testis es: sed nemini de se testificanti credi debet. Arrogantis enim, non veracis est, suam iactare gloriam.

14. Respondit IESVS, & dixit eis: Et si ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum; quia scio, vnde venio, aut quo vado.

14. Ad tam atrox conuitium IESVS *(quod magis officere poterat saluti multitudinis, quam ipsius nocere gloriæ) seuerè respondit: Verum est, inter homines pondus non habet testimonium, quod ipse de se perhibet, qui & falli potest, & fallere. In me non eadem ista cadunt. Nihil enim ex me loquor, sed ex eo, vnde sum missus; nec aliò tendo, quam ad illius gloriam illustrandam.*

15. Vos secundum carnem iudicatis, ego non iudico quemquam.

15. Vos autem, quoniam mundanis affectibus estis corrupti, secundum carnem iudicatis. Ego interim non iudico quemquam, nondum enim iudicij tempus est, sed conferendæ salutis.

16. Et si iudico ego, iudicium meum verum est; quia solus non sum, sed ego, & qui misit me, Pater.

16. Et tamen, si iudicarem de vobis, iudicium meum, quoniam non dissentit à Dei iudicio, verum esset. Non enim solus ferrem sententiam; sed ego simul & Pater, qui me misit, idem pronunciaremus, eum idem per omnia velimus.

17. Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est.

17. Iisdem intèr homines grauius est plurium testimonium, quàm paucorum: atque secundum legem vestram apud Iudices non admittitur testimonium nisi duorum. An duorum hominum testimonium verum reputatur?

18. Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso; & testimonium perhibet de me, qui misit me Pater.

18. Ego testimonium perhibeo de me ipso, sed ex autoritate Patris, qui & ipse testimonium perhibet de me: nec aliud de me pronuncio; quàm ille testificatus est, qui me misit in mundum. Si meum testimonium reiicitis, & illius reiiciatis oportet.

19. Dicebant ergo ei: Vbi est Pater tuus? Respondit IESVS, neque me scitis, neque Patrem meum. Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis.

19. At Iudæi, vbi, inquiunt, est iste Pater tuus, de quo tam mira prædicas? IESVS *autem, neque me, fatur, nostis, neque Patrem meum: & dum me nosse non vultis, nec Patrem nosse potestis. Mihi credite, & me noueritis, & Patrem. Dicitis, quod me nouistis, quia patriam, domum, parentes, & fratres nouistis; at istud non est verè nosse Filium. Nosceretis verè, & simul Patrem noscetis.*

20. Hæc verba locutus est IESVS in gazophylacio docens in Templo: & nemo apprehendit eum; quia nondum venerat hora eius.

20. Huiusmodi sermonibus non intellectis cum Dominus prouocaret animos Pharisæorum, docens in loco Templi frequentissimo, qui dicitur Gazophylacium: nemo tamen iniecit illi manus; non quod deesset illis impia voluntas; sed quod Dei nutu

nutu non esset eis data facultas. Nondum enim venerat tempus, quo IESVS *pati decreuerat: nec pati volebat, nisi peracta doctrina, quam Pater tradiderat ad salutem hominum dispensandam.*

SECTIO PRIMA.

Mundi lux Christus.

TEXTVS.

VERS. 12. EGo sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris: sed habebit lumen vitæ.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De luce sequenda.

1. *Christus fons luminum.* *Matth. 5.* EGo *sum lux.*] Postquam Dominus fœminam adulteram à Pharisæorum accusatione liberauit, se lucem mundi esse profitetur. An non Apostolos mundi lucem esse affirmauit? *Vos estis lux mundi.* Matth. 5. Lux extitere Apostoli, sed à fonte luminis sole IESV accepere fulgorem, & Lunæ in morem fuere succensi.

2. *Cur mundi lux appelletur.* *Chrysost.* *Mundi.*] Chrysostomus, *Non Galilaæ, non Palestinæ, non Iudææ; sed mundi totius. Non terræ solum, sed etiam cœli: non hominum solum, sed etiam Angelorum.* Attamen speciatim hominum lucem se existere affirmat, cum homines ad sui sequelam hortabatur. *Beda.* Beda, *Sum lux mundi,* id est, hominum in tenebris commorantium, secundum illud: Illuminare iis, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent.

3. *Hæreticorũ error.* *August.* Hunc Manichæi existimarunt, Christum Solem esse visibilem. Eos sic D. Augustinus taxat. *Putarunt Manichæi, Christum Solem istum visibilem esse. Non est Christus Sol factus, sed per quem factus est; omnia enim per ipsum facta sunt, & propter nos sub Sole factum est lumen, quod fecit Solem: carnis nube tegitur, non vt obscuretur, sed vt temperetur.* *Theoph.* Aduotat Theophylactus, *Aduerte contra Nestorium, quod non dicit, in me est lux mundi; sed ego sum lux mundi.*

4. *Solis Christi præstantia.* *Anselm.* *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.*] Anselmus, *Ego sum lux, ideo qui me sequitur in tenebris non ambulat.* Quemadmodum qui Solem sequitur veluti facem præeuntem haud potest in tenebris versari: Sic qui IESVM sequitur præcedentem, non potest caligine suffundi. Porrò differentiam Solis spiritualis ac materialis *August.* Augustinus tract. 34. in Ioan. expressit. *Etsi nolueris Solem deserere, ipse te deseret, seruitutis suæ necessitate peragens diem. Deus tuus vbique totus est: Si non ab illo facias casum, nunquam à te ipse facit occasum.*

5. *De tenebris.* *August.* *Quænam tenebræ?*] Augustinus tract. 25. *Tenebræ metuendæ sunt morum, non oculorum: & si oculorum, non exteriorum, sed interiorum, vnde discernitur non album & nigrum: sed iustum, & iniustum.* Tenebræ quidem aliæ sunt ignorantiæ, aliæ peccati, aliæ gehennæ. Qui sequitur hunc Solem, neque ignorantiæ, neque peccati his tenebris offunditur nec postea in tartareis tenebris ambulabit. Præterea Dominus *De Pharisæorũ inuidia.* verbis hisce curat Pharisæorum inuidiam innuere. *Rupert.* Rupertus, *Vide, quam breuiter, quamque magnifice expressit Dominus, nihil inuidiam impiorum hominum posse nocere gloriæ Dei: Ac si diceret, numquid non deridendi essetis, si Solem istum exsufflando extinguere, vel aërem pugnis verberando, de magno cæli candelabro deiicere, & sub modio condere conemini? Nempe huic simile est hoc, quod meum nomen delere, vel famam meam extinguere contenditis; ego enim sum lux mundi.*

§. II.

De acquirendo lumine.

6. *An sit explicanda particula lumẽ de præmio futuro.* *August.* SEd *habebit lumen vitæ.*] Qui sequitur Solem Christum, in luce viuit. De quonam lumine Dominus? An de lumine cœlestis præmij? Sic Augustinus premens verbum futurum, *habebit. Non ait Dominus, habet lumen vitæ; sed, habebit; modò sequitur per fidem, post habebit per speciem.* Confirmat expositionem carmine Dauidico, *Mane astabo vidi, & videbo.* Psalm. 5. *Psalm. 5.* Hoc est, *transacta nocte huius seculi, astabo tibi in cœlo, & contemplabor, siue videbo pulcherrimum vultum tuum.*

7. *Auctoris sententia.* Existimo tamen ad vitam seculi huius vtrũque referendum, *sequitur me,* & *habebit lumen vitæ,* hoc sensu: Qui vestigiis meis inhæret, seu legem meam seruat, exemplumque imitatur, is non ambulat in tenebris, quas ignorãtia, & peccata suffundunt hominibus: sed habebit hîc lumen vitæ, fidei scilicet, & gratiæ, quo longè tenebræ propellantur. *Anselm.* Anselmus vtrumque complectitur: *Habebit lumen vitæ & hîc, & in futuro.* Approbo.

8. *Cur lumen vitæ.* *Caiet.* Quarè lumen vitæ appelletur? Caietanus lumen vitæ dici asserit, quia dirigit vitam nostram, & illuminat actiones nostras; *Non enim promittit Christus lumen scientiæ, quo res Philosophicas, & Theologicas intueamur: sed lumen vitæ, quo quæ ad vitam benè agendam necessaria sunt, cognoscamus.* Addit, dici etiam lumen vitæ, *quia vitam confert gratiæ, quæ est*

Initium

Auctoris expositio.

initium vitæ æternæ. Putarim equidem, phrasi Hebræa *lumen vitæ* vitale dici lumen, quemadmodum vir fortis vir fortitudinis appellatur. Significat autem lumen vitale lumen vitam habens: quasi dicat Dominus, qui sequitur Solem, lumen habet, sed lumen carens vita; nam Sol vitæ quidem est expers. At qui sequitur me, lumine vitæ, seu lumine viuo, id est, me ipso cœlesti iubare potietur. An non ego viuus Sol? *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* Ioan. 1. Augustinus, *Concordant hæc verba cum illis: In lumine tuo videbimus lumen, quoniam apud te est fons vitæ. In istis corporalibus aliud lumen, aliud fons: apud Deum quod lumen, hoc fons; qui tibi lucet, vt videas, hic tibi manat vt bibas.* August.

IN IESVM COLLOQVENTEM PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS CIRCA LITERAM.

EX MVNDI LVCE CHRISTO.

OBSERVAT. I.

Ad illa verba:

Ego sum lux mundi.

Dum Christus se mundi lucem esse affirmat, nos à peccatorum tenebris liberandos asserit.

Vera lux, mentis oculos aperit, ad peccatorum cognitionem.

9. *Non est lux cœlestis, quæ ad meliorem nos frugem, hoc est, ad pœnitentiā non dirigit. Beda.*

BEDA, *Sum lux mundi, id est, hominum in tenebris commorantium, secundum illud: Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Hæc veræ lucis, seu cœlestis luminis conditio, homines cæcos olim ad viam veritatis, affectu, effectuque pœnitentiæ adducere.

10. *Donatus cælesti luce, compungitur statim. Isa. 6.*

Isaiæ Domini gloria, lux vera reuelator. *Vidi Dominum super sol um excelsum,* &c. Statim ipse clamauit, *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum.* Cap. 6. Luce cœlesti donatus, nihil prius videt, quàm peccatorum fœditatem, vt ad pœnitudinem excitetur: *Væ mihi.* Nazianzenus orat. 7. *Isaias priusquam Domini lucem conspexisset, nihil huiusmodi loquitur, nec animo languet,* &c. *Postea vero quam hæc vidit, velut se ipsum agnoscens: Me miserum, inquit, quia compunctus sum. Nam quemadmodum Sol oculorum imbecillitatem prodit, eodem modo Deus animæ morbos aduentu suo indicat.* Si non compungeris, te minimè cœlesti luce donatum existimas. Nazianz.

11. *Fulgurat lux verum Moysi cœlestis, & ipse mox spinas peccatorum agnoscit. Exod. 3. Ambros.*

Moysi Dominus *apparuit in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quod rubus arderet, & non combureretur.* Exod. 3. Cum primùm lucem accipit cœlestem Moyses, videt, *& videbat quod rubus,* &c. Est è cœlo lux? Ergo illicò oculos mentis aperit, vt spinas agnoscas peccatorum. Ambrosius lib. de Spiritu sanct. cap. 15. *In rubo flamma. Videbatur rubus, & non comburebatur: eo quod illo mysterio Dominus figuraret, quia illuminaturus spinas nostri corporis adueniret.* Lux, quæ spinas peccatorum non illuminat, vt nos ad compunctionem alliciat, cœlestis proculdubio non est.

12. *Christus fons, & lux: qui luce donatur, ablui desiderat à peccatis. Psal. 50.*

Christum diximus lucis fontem existere iuxtà illud: *Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Fons vitalis dum illuminat, abluit. Ideo Dauid ipse dum lauari petit, illuminari flagitat: *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me; quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* Ps. 50. Dum lauaris, & cognoscis iniquitatem? Quid luci cum fonte? Certè Christus, cœlestisque lux lauat, & illuminat ad cognitionem peccatorum. Vrbanus III. *Ex illo tantillo spiritu quem in me Dei visitatio reseruauit,* ex luce scilicet cœlesti, qua ablui postulo, *cognosco iniquitatem meam.* Vrban.

13. *Nihil mihi cum tenebris vitiorū luce vera donato.*

Proclamat Sponsa, *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Cant. 1. Exponit Philo Carpat. *Ipse mihi lucem dedit, ego illi cor dabo. Ille mihi de cœlis sapientiam, ego illi de gentibus fidei, spei, & charitatis fructus rependam.* Lux enim cœlestis nihil prius operatur, quam animæ conuersionem. De gentibus ad Ecclesiam properabo; nil iam mihi cum tenebris, postquam lucem cœlestem accepi.

14. *Gentiles beneficio veræ lucis liberati sunt à criminibus. Luc. 2.*

Expendo testimonium illud, quo Beda suam confirmauit expositionem. *Viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium.* Luc. 2. Adnoto proxima verba: *Lumen ad reuelationem gentium.* Quænam, obsecro, gentium reuelatio? Porrò dum IESV lumine donantur gentiles, sua dignoscunt crimina, & ad frugem meliorem adducuntur. Cyrillus Alex. lib. 5. de fide ad Regin. *Quæ'is reuelatio facta est gentibus? Nonne in luce IESV agnouerunt, quod Deus sit, & liberati sunt à crimine et seruiendo?* Cyril.

15. *Quantum luci huic vera debemus. Ioan. 1. Arnob.*

De IESV Ioannes, *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum.* Cap. 1. Ex eo probatur, lucem esse veram, quia peccatores illuminat, eos à peccatorum tenebris abstrahens. O quam debitores sumus Soli illuminanti! Aptè Arnobius lib. 1. cont. gent. *Quantis honoribus afficiendus est nobis*

IESVS,

IESVS, *quia ab erroribus nos magnis, insinuata luce veritatis traduxit! Qui velut cæcos passim, ac sine vllo rectore gradientes ab deruptis, ac deuiis, locis planioribus reddidit, Deum monstrauit,* &c. Ergo, ô Domine, IESV *emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt à erroribus, & adduxerunt in montem sanctum tuum.*

OBSERVAT. II.

Ad illa verba:

Ego sum lux mundi.

Christus verax sapientiæ lux.

Vera sapientia non solum mentem illuminat, sed & voluntatem ad virtutem succendit.

16. Anselm. ANselmus, *Ego sum lux mundi, ideo qui sequuntur me illuminatus per fidem, scit & dictis obtemperat.* Non sufficit tibi scire, aut sapere, nisi dictis, seu præceptis obtemperes. Verax etenim lux & mentem ad sapiendum illuminat, & voluntatem ad agendum succendit.

17. *Moyses donatur luce sapientiæ sed vt subdatur Iesu.* Luc 9. Damasc. Transfigurato IESV, *ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses & Elias visi in maiestate.* Luc 9. In maiestate, id est, in claritate à IESV fulgentissimo Sole accepta. Claritas hæc sapientia est ad mysteriorum cognitionem, qua illuminati Christo, in morem famuli obsequentis, submittuntur. Damascenus Orat. de Transf. *Diuinus legislator Moyses in monte Thabor Christo seruilem in modum tanquam hero adstat, dum humanitatis ab eo assumptæ cognitione illustratur.* Luce sapientiæ non sufficeret donari legislatorem, nisi è sapientia disceret se Domino summittere, eiusque iussis obedire.

18. *Vera sapientia ducit homines ad vitæ rectitudinem.* Sap. 6. Damian. Pulchrè Sapiens de veraci Sapientia profatur, *Clara est semper, & facilè videtur ab iis, qui diligunt illam, præoccupat eos, qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat.* Cap. 6. Prior cur ostenditur nisi, vt ducat sequentes? Sapientiæ enim luminare verum est, quod ducit errantes ad vitæ rectæ semitas. Damianus lib. 6. epist. 17. *Illam ergo sapientiam quære, illam totis visceribus ardenter amplectere, ex qua non solum valeas sapere, sed & viuere, ac per eam sine fine gaudere.* Preme, *Per eam valeas viuere*, id est, ea duce ad nouæ vitæ rationem pergas.

19. *Qui vera sapientia illustratur, sectatur iustitiam; qui mendaci, ferè obcæcatur.* Luc 4. Ambros. Ad illud Dominicum. *Multæ viduæ erant in diebus Eliæ, quando clausum est cælum annis tribus, & mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra*, &c. Luc. 4. D. Ambrosius Ps. 36. eos fame premi asserit, qui non operantur iustitiam; eos autem satietate frui, qui iustitiæ subduntur ditioni. Addit ad argumentum, *In diebus Eliæ, quando clausum est cælum nox erat perfidis, sed Eliæ lumen erat. Clausum erat perfidis cælum, sed Eliæ sapienti a lux patebat.* Hinc *fames erat perfidis, sed Eliæ vbertas.* Nam qui sapientia vera illustratur, non potest non opera iustitiæ exequi. Mundiales autem perfidiæ hærentes cælesti fulgore non fruuntur, sed mendaci tartarea sapientia obcæcantur. Haud eis apertum est cælum, sed tartarus.

Recensentur Sela filij *Et qui stare fecit Solem, virique mendacij, & securus, & incedens, qui Principes fuerunt in Moab, & qui reuersi sunt in Lahem.* 1. Par 4 Hieronymus, *Et qui reuersi sunt in Lahem.* De tota Noëmi familia hæc accipienda sunt. Vir eius Elimelech stare dicitur fecisse Solem, non quia Iosue in morem (auctore Caietano) Solem currentem retardarit: sed quia mundiali sapientiæ lumine fulgurauit, & prosperitate temporaria potitus est. *Virique mendacij*, id est, Elimelech filij patris sapientiam imitantes, miserè periere affecti vacuitate, Sole obcæcato, Noëmi proclamante, *Egressa sum plena, & vacuam reduxit me Dominus.* Rut. 1. Mendax lux, quæ influit vacuitatem. Ille Sol verus, qui virtutum adstruit abundantiam. 20. *Sapientia mundi fallax, quia nõ ducit ad operũ viam.* 1 Par 4. Hieron. Ruth. 1.

Dauid adhæc, *Nouit Dominus vias immaculatorum.* Psalm. 36. Ex Græco, *Dies immaculatorum.* Si *dies*, quomodo *vias*? Quia si verus dies est Domini cognitione dignus, debet esse instar viæ. Nam lux veræ sapientiæ ducit illicò homines ad rectam mandatorum viam. Immaculatus debet esse, qui veraci sapientia illustratur. *Nouit Dominus dies*, (ait Ambrosius,) *immaculatorum, isti habent diem, errantes non habent.* Si diem haberent verum, non errarent. Ergò signum perspicuum est, te veram lucem accepisse, si te non errantem, sed per mandatorum viam incedentem ostenderis. Hinc ediscant Concionatores, se veraci luci minimè perfundi, si non curent, homines à cæcitatis tenebris liberare, eosque ad veritatis, ac sanctitatis iter adducere. 21. *Dies vera sapientia immaculatorum. bare* Psalm. 16. Ambros.

OBSERVAT. III.

Ad illa verba:

Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris.

Necessarium est, sequentem Christum lucem, in peccati tenebris non ambulare.

Peccati enim tenebræ cum IESV *fulgentissimo luminari vna in sede non commorantur.*

ANselmus, *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris peccati.* Chrysostomus, *Non ambulat in tenebris errorum.* An non peccatum tenebræ, caligo, nox? Christus non ne lux, lumen, Sol? Qui ergò peccatis nocte, seu caligine obruitur, non potest simùl luce potiri; quia lux & tenebræ, Christus & crimina vna in sede non commorantur. 22. Anselm. August.

O peccati horribilem noctem! *Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper, & non illustretur lumine.* Iob 3. Vbi Seuerianus in Cat. Comit. *Illud ad hanc sententiam Iobi pertinet, vt peccatum per se ipsum quale sit, nempe omni priuatum* 23. *Deus non requirit peccati tenebras, ideo ab homine non*

ablegentur Haud simul lux & tenebra Iob.3: Scuet.

luce ab hominibus cognoscatur ; nè aut insimulatam sibi se virtutem induat , aut specie quadam lucis rudioribus animis fucum faciat ; sed quo cæca eius caligine perspectu , vitari facilè possit. Quare peccatum non potest vel insimulato fulgore indui ? Respondit iaio Iob , dum præmisit: *Non requieat eum Deus desuper.* Dei fulgor cum peccati tenebris haud potest commorari, ergò nec peccator vlla lucis particula potietur; quia vbi Deus non adest , cœca nox est.

Deus quodammodo abest à loco, vbi erat Adã,ac cum tenebris lux moratur. Gen.3. Ambros.

24. Audiere aliquando Prothopatentes crimine infecti, *vocem Domini ambulantis ad auram post meridiem: Adam vbi es?* Gen.3. Ad quæ Ambrosius Psalm.89. *Denique in paradiso , vbi semper matutinus erat dies, vesper est factus ; quoniam omnia peccata tenebrosa sunt.* Quæritas, cur Deus videtur locum , vbi Adam aderat, ignorare ? Au quia peccati caligine homo abscondebatur ? Ita planè. An non Deus omnia loca immensitate complet ? Quis dubitet? Quare igitur è loco vbi Adam erat , quodammodò ablegari se , ostendit ? Profectò vt affirmet , se lucem cœlestem minimè posse cum peccati tenebris inire societatem.

Vt veniat Auster tenebræ , recedit Aquilo peccati. Matth 8. Cant 6. Nyssen.

25. Aiebat Centurio, *Dico huic, Vade, & vadit: & alij , Veni , & venit.* Matth.8. Sic Christi Sponsa. *Surge Aquilo , veni Auster.* Tenebræ peccatorum prius abscedunt , quam IESVS lux accedat. Nyssenus hom.10. in Cant. *Cum ei dixisset , Vade , & vadit : Dicit , se alium accersere. Veni , & venit.* (Surge Aquilo , veni Auster) *Nulla est enim societas luci cum tenebris, sed necesse est omninò , vt si tenebra recesserint , sit lux : & si vitium fuerit ablegatum , pro eo virtus introducatur.*

Vt Christus lux cū Zachæo habitet,ille ablegat peccati tenebras. Luc 19.

26. Testor Zachæum, qui se se ad excipiendam lucem veram præparauit , ablegata peccatorum caligine. *Zachæe* , (ait Dominus lux) *festinans descende , quia hodie in domo tua oportet me manere.* Luc.19. Excitat Dominus Zachæum ad festinum descensum. Cur non ingreditur, dum fatua moratur in ficulnea ? Ex mente Patrum ficulnea illa fatua mentis cœcitas innuebatur. A tenebris peccatorum abscedat, qui lucem Dominum curat excipere. Bellè Ambrosius lib 2.de Abel , cap.4. *Meritò videns studium eius , quod in arborem ascendisset , dicit ei Dominus : Festinans descende , quia hodie in domo tua me oportet manere. Et descendit festinans , & excepit illum gaudens. Sed excipiendo Christum , exclusit auaritiam , relegauit perfidiam , renunciauit fraudibus. Nulla est enim societas luci cum tenebris* , vti aiebat Nyssenus. Vix descendit Zachæus, cum proclamat , *Si quid aliquem defraudaui , reddo quadruplum.*

Ambrosl.

Nyssen.

Mox Dominus, *Hodie salus domui huic facta est.* Ablegatis peccati tenebris Sol IESVS in hominis domo commoratur.

OBSERVAT. IV.

Ad illa verba:

Ego sum lux mundi , &c.

Magisterium IESV appositè almæ luci comparatur.

Magistri Euangelici mundi lux , fulgentissima quodammodò Deitate conspicui.

Magisterij Euangelici elogium. Beda.

27. EX mente venerabilis Bedæ , Christus vocatur lux dirigens homines Magisterio cœlesti , secundum illud : *Illuminare his , qui in tenebris , & in vmbra mortis sedent , ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Quid Magisterio Euangelico cum lucis fulgore ? Lux ducit ? Magister est Ductor hominum. Ausonius ait, *Nil Ductore præcelsius.* Ergò lux docens præcelsa obiicitur admodum, quia ducit errantes.

Magister Dux cœlestis Tertul.

28. Quid augustius Dei Filio ? Profectò vt possit exprimi Filij Dei præcellentia lux docens & ducens appellatur. *Sum lux mundi , qui sequitur me* , &c. Lux fulget , & Dux obiicitur , vt homines consequantur. Tertullianus Apolog. cap.21. *Illuminator , atque Deductor generis humani Filius Dei annunciatur.* Nihil enim præcelsius hic de Dei Filio quodammodò possit annunciari, quam quod lux docens , & ducens existat. D. Cyprianus Tract. de Idolol. *Qui per Prophetas omnes retrò illuminator , & Doctor humani generis prædicabatur.*

Omnia lucis elogia Euāgelico congruunt Magistrò. Eraclit. Plin. Philo. Theoph. Aristot. Tertull. Trism. Euseb. Chrysip. Ouid. Richad.

29. *Vos estis* (ait Doctoribus Euangelij Dominus) *lux mundi.* Quia scilicet Doctores , ac Ductores. Eraclitus de luce ait , *Fons cœlestis luminis.* Plinius , *Naturæ venustas.* Philo, *Visibilis Dei imago.* Theophrastus , *Centrum pulchritudinis.* Aristoteles , *Corona cœli.* Tertullianus , *Cor mundi.* Trismegistus , *Lapis annuli Dei.* Eusebius , *Patriarcha naturæ.* Chrysippus , *Cœlestis cithara prima fides.* Ouidius, *Clypeus Dei.* Magisterium luci comparatur? Magister igitur Euangelij lux mundi fons cœlestis, naturæ venustas , Dei imago , centrum pulchritudinis , corona cœli , cor mundi, lapis annuli Dei , patriarcha naturæ , cœlestisque cithara vocitandus. Lege Antonium Richardum Brigia.in comment. Symb.tom.2.

Lugetur Magisterium ablatum vti lux amissa. August. Tertull.

30. Ad illam Prophetæ lamentationem : *Paruuli petierunt panem , & non erat qui frangeret eis,* asserit Augustinus mortuos Magistros lacrymis prosequendos. Lux amissa debet ne lugeri ? Audi Tertullianum lib. de Resur.cap.12. *Dies moritur in noctem , & tenebris vsquequaque sepelitur , funestatur mundi honor , omnis substantia denigratur , sordent , silent , stupent cuncta, vbique quies est rerum. Ita lux amissa lugetur.* Mors lucis haud potest dignè lugeri , nisi ipsa lucis absentia. Igitur Magisterij lumen tanta res est , vt solo luctu ex eius absentia possit dignè lugeri : *Et non erat , qui frangeret eis.* Sine Magisterio *sordent , silent , stupent cuncta. Ita Magisterium amissum lugetur.*

Lucem Iesu mors lucis Ioannis, Magistri ma-

31. Vt orbis lugeat Saluatoris occasum , lucem de medio sustulit. *Et tenebræ factæ sunt in vniuersam terram vsque in horam nonam. Et obscuratus est Sol.* Luc.23. Cyrillus Ierosol.Cat.3. *Propter Ezechiam*

qui nece violus luctu dignè cumulatur. Luc. 23. Cyril. Ierosol. Ghislan.

Ezechiam Sol reuersus est, propter Christum Sol obscuratus est, non retro cedens, sed deficiens. Atque per hoc vtriusque differentiam & Ezechiæ, & IESV *demonstrauit.* Vt Dei Filij lugeatur mors, lux ipsa internecioni addicitur. Et quomodo mondus dignè Dei mortem lugeret nisi lucis occasu? Ghislandus asseruit magnum Concionatorem egregium Magistrum Ioannem Baptistam occisum fuisse, vt proximam Domini Dei Filij digno mortem luctu mundus prosequeretur. Nam aut lucis aut Magisterij nex Deum moriturum pro luctu decet.

Munus Magisterij soli Dei Filio agnatum. Ioan. 1.

32. O Soli Deo dignum magisterium! De Ioanne dixit Ioannes: *Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine.* IESVS autem *erat lux vera, qua illuminat omnem hominem venientem in mundum.* Cap. 1. Tam augusta est lux Magisterij, vt soli Dei Filio conuenire adseratur? Postquam Magister cœlestis vulnerato homini à latronibus medicamina adhibuit, *altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario: & ait: Curam illius habe.* Luc. 10. Vbi Augustinus *Stabularium* affirmauit *Apostolum* Christi Dei Filij vicarium. Christus igitur curat ægrotum, Christi vicarius, siue alter Christus curam gerit eiusdem. Cur Christi munus docendi alij Christu committitur, nisi quia Magisterij munus soli Dei Filio congruere liquet? Chrysostomus hom. 3. in Luc. *Quid est, quod possit plus erogare Rector, cum pro illo mortem fuerit iam passus Christus, nisi illud quod est proprij Magisterij, vt credita eroget, accepta dispenset, aperiat obscura, reuelet occulta, inuoluta pandat, quæstiones in lucem deducat.* O munus à Deo solo præstandum!

Luc 10. August. apud Saa. Chrysost.

33. Ideo Angelus noluit Magisterij vsurpare munus, quod soli Deo agnatum æstimauit. Cornelio fidem veram edocendo Angelos apparuit. *Is vidit manifestè quasi hora diei nona Angelum Dei introeuntem ad se, & dicentem sibi. Corneli, mitte viros in Ioppem, & accersi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus. Hic dicet tibi, quid te oporteat facere.* Act. 10. Et quare Angelus ipse non docet Cornelium, quidnam sit agendum? Profectò quia Magisterij Euangelici munus decet Dei Filium aut eius Vicarium Simonem. Isidorus Pelus. lib. 3. epist. 165. *Angeli ex prædicationis securitate tantam voluptatem capiebant, vt is etiam, qui ad Cornelium missus fuerat, Magistrum indicauerit: non autem sibi ipsi docendi munus permiserit.*

Angelus noluit Magistrum agere, quia munus Filij Dei, aut Petri Vicarij eius. Act. 10.

34. Cum Dominus prædixisset, se ex discumbentibus Discipulis ab vno tradendum, rogitant Apostoli, *Numquid ego sum Domine?* Iudas autem interrogat, *Numquid ego sum Rabbi?* Matth. 27. Vbi Hieronymus, *Qui proditurus erat, non Dominum, sed Magistrum vocat.* Quare ergo solus Iudas Magistrum vocauit, quem reliqui Dominum appellauerunt? Crediderim, vt posset horribile facinus dissimulare. Ac si diceret, certissimum est me non traditurum illum, quem tanti duco, vt velut Magistrum veneror. An Magisterium cœlesti suprema Dominatione augustius? Ergò mirum non est Angelum ausum non fuisse sibi Magisterij munus Deo agnatum vsurpare. Ediscant Concionatores, Euangelicique Magistri, quàm sint tanto muneri debitores!

An Magistri nomen Domini nomine augustius? Matth. 27. Hieron.

OBSERVAT. V.

Ad illa verba:

Ego sum lux mundi, &c.

Non Palestinæ, Iudææ, Galilææ solum, sed totius mundi lucem se existere Dominus affirmauit.

Edocens, dum omnium se Deum, ac Dominum communiter profitetur: Præsules omnium futuros subditorum.

35. EX Cardinali Hugone Cardinalis Toletus, *Sum lux mundi non Galilaæ tantum, non Palestinæ: sed mundi totius; illuminans scilicet mundum luce naturæ, fortuna, gratia, doctrina.* An non Sol omni orbi terrarum exoritur? Sol Deus mundi, omnibus hominibus conditor exortus edocet Præsules, Solis in morem, omnibus subditis fulgurare: non specialem vnius aut alterius curam exercere. Tolet.

36. Vt Arcæ venerabili locus decens prouideretur, Dauid profatur: *Mittamus ad fratres nostros reliquos in vniuersas regiones Israel, & ad Sacerdotes, & Leuitas: vt congregentur ad nos, & reducamus Arcam Dei nostri.* 1. Paral. 13. Preme particulas: *Ad fratres nostros reliquos, & Arcam Dei nostri.* Cur omnes aduocantur? Quia Deus non est meus solummodo, (ait Dauid) sed noster, vt omnes curare de obsequio omnium Domino impertiendo debeant. Abulensis pulchrè quæst. 6. *Ideo voluit, quod totus populus congregaretur ad portandum Arcam, & sic crederent, quod ad omnes pertinebat Deus.* Nec mirum Dauidem tam omnium fuisse Regem, qui Deum omnium specialem curam futurum adserebat.

Arca obsequiū omnes impendunt, quia ad omnes Deus pertinet. 1. Par. 13. Abul.

37. Nato Domino, pastoribus Angelus, *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator.* Luc. 2. Cur gaudium illud magnum ex Filij Dei natalitio solis pastoribus annunciatur, ac si solis hisce Dominus fuisset exortus? *Euangelizo vobis gaudium, quia natus est vobis Saluator.* Soluitur difficultas cùm ex addita particula, *Quod erit omni populo.* Beda, *Omni populo fidelium de cunctis diuersitatibus gentium congregando gaudium nunciatur.* Tum etiam ex ipsa clausula: *Natus est vobis.* Saa, *Natus est vobis omnium hominum causa.* Si Deus est, si Saluator est, si Præsul, quomodò ad omnes subditos posset non pertinere?

Saluator omnibus nascitur, cum pastoribus annūciatur. Luc. 2. Beda. Saa.

38. Addit Cœlicola, *Et hoc vobis signum: Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.* Luc. 2. Cur in præsepio apponendus asseritur, vt signum exhibeatur Saluatoris? Saa, *Inuenietis positum in præsepio communi.* En signum nati conditoris, Domini, Principis: in præsepio apponitur, communiter omnibus exhibetur. Caietanus fusiùs *Hinc insinuatur, quod præsepe illud erat commune: alioquin Angelus aliquam particularem conditionem addidisset, ad distinguendum illud præsepe ab aliis. Et hoc attestatur, quia per antonomasiam appellabatur præsepe.*

Communi in præsepio omnibus subditis Saluator proponitur. Luc. 2. Saa. Caiet.

vant Euangelicū Prorem Dei famulum. Gen. 31. Isidor.

adorare me. Gen. 31. Vbi Isidorus. *Somnium illud in Christo pracipuè impletum est. Ipse enim est, quem Sol, & Luna, & stella adorant, de quo dictum est, laudate eum Sol, & Luna.* Non dixit, vnicè, sed *pracipuè impletum* est. Cur non dixit *vnicè*, quando mater, Lunæ nomine signata non potuit Iosephum adorare, nec fratres cœca inuidia obruti rectè per stellas possent exprimi? *Pracipuè* dixit, quia non solum Christo, sed & cunctis Christicolis eius famulis competit, haud esse seculari stellarum principatui submissi.

48. *Peccatores seruiunt stellis.* Act. 7.

De idololatris Hebræis Lucas ait, *Et vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hostiam simulacbro. Conuertit autem Deus, & tradidit eos, seruire militia cœli.* Act. 7. Postquam Dei expulere iugum, syderibus seruierunt. An non sydera accensa, vt Dei famulis obsequium seruitutis impendant? *De cœlo dimicatum est contra eos: Stella manentes in ordine suo contra Sisaram pugnauerunt.* Iudic. 5. Quonammodo stellæ pugnauere? Quia ex Hebræorum sententia, tantum hostium corporibus calorem emiserunt, vt sub loricis exanimarentur: aut ingressi torrentem Cisson causa refrigerandi corporis, submergerentur, auctore Brixiano. Vel quia ingente tempestate oborta, hostes præ frigore, grandine, ac pluuia armis vti non poterant, vti Iosephus adnotat. Qui igitur Deo impendit obsequium à syderibus obsequentibus defensatur. At qui iugum Dei repellit, mox cogitur stellis conseruis obedire: *Tradidit eos seruire militia cœli.* Legisse existimo D. Paulum, *Tradidit illos Deus in passiones ignominia.* Rom. 1. O quam ignominiosum, Christicolam subiici soli mundialis prosperitatis, Saturni auaritiæ, veneris libidini, Mercurij ambitioni? Qui ergo dominaturus creatis omnibus sub IESV nomine ortus es, recedens à IESV seruitute, passionum mancipium ostentaris? *Tradidit illos Deus in passiones.*

Iudic. 5. Brixian. Ioseph. Rom. 1. *Traduntur improbi in passiones, ignominia sydera.*

OBSERVATIO VII.

Ad illa verba:

Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vita.

Deus lux vera non obscurat creata luminaria, quæ quidem, præsente Domino, lumen habent.

Edocet Iesus creata Sydera, quonammodo debeant elucere sine alterum charitatis imminutione.

49. DVm audio Dominum profantem, *Ego sum lux mundi*, existimabam omnium creaturarum fulgores extinguendos: quemadmodum sole exoriente stellarum splendor ablegatur. *At* addidit Magister, *Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen*, Anselmus, *Qui lucem mundi Christum sequitur, habebit lumen & nunc, & in futuro* O increati luminis fulgores mirificè creata lumina superantes! Haud sciunt homines splendescere in seculo nisi proximis aliorum luminariis obscuratis. At diuini fulgores sic rutilant, vt simul creata sydera conspiciantur.

Anselm.

Fons lucis Christus de Discipulis fatur, *Vos estis lux mundi.* Matth. 5. Si semetipsum lucem mundi appellauit, videbatur Discipulos non mundi lucem, sed Solem, aut Lunam, aut Stellas appellaturus. Quomodo ergo lux mundi, & fons luminis Discipulos mundi lumen appellauit? Anselmus, *Vos estis lux mundi percipientes a Christo luce mundi lucem veritatis.* Luminaria Apostolorum à Christo lumen accipiunt: Ergo non lucet Christus ex aliorum imminutione. Alia lumina amittunt fulgorem maiori apparente luminari. At in conspectu veræ lucis increatæ cuncta lumina splendorem accipiunt. 50.

Discipuli in cōspectu Iesu lucis mundi lux mundi appellantur. Matth. 5. Anselm.

Mundi lux Euangelistæ apparuit. *Vidi septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorum aureorum similem Filio hominis vestitum podere, &c. Et habebat in dextera sua stellas septem, & facies eius sicut Sol lucet in virtute sua.* Apoc 1. Miror planè stellas septem potuisse a Ioanne agnosci in Solis conspectu. Si *facies eius sicut Sol lucet in virtute sua*, non cum properat ad occasum: quonammodo sydera septem apparere poterant? *Cum vidissem, cecidi ad pedes eius tanquam mortuus.* Quinam Sol sic in virtute sua lucens, vt reliqua haud extinguat luminaria? *Et posuit dexteram suam super me dicens: Noli timere, ego sum primus.* Ibid. Non sum vnicus Sol, sed primus, alij soles meo in conspectu adnumerantur, qui possint fulgores exponere Nec enim suprema increata lux splendorem extinguit humanum. 51.

Christus, Sol, cuius in conspectu sydera aliorū apparēt sine obscuratione. Apoc. 1.

Cecinit Vates, *Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, Lunam & Stellas, qua tu fundasti.* Psal. 8. Quæritat D. Gregorius lib. 2. hom. 13. in Ezech. *Dicturus Lunam, & Stellas, cur non etiam solem pariter enumerauit?* An quia cum Stellæ ac Luna aspiciuntur, Sol è cœlo relegatur: nec simul possunt Sol syderaque aspectari? Petrus Damianus serm. de Assumpt. Virgi. Respondet, *Multo aliquid amplius habet claritas Solis, quam Luna. Quia etsi illa minores Stellas obscurat, non tamen penitus occultat. Hic vero lucidius incandescens, ita sibi syderum, & Luna rapit positionem, vt sint quasi non sint, & videri non possint.* Ergo in nocte absente Sole, vidit Vates Lunam, & Stellas: non simul Solem aspectauit; quia vna in sede Sol & Stellæ visibiles minimè commorantur. Periander de ambitiosis mundialibus cecinit, 52.

Ambitiosi curant lucere, soli, velut Sol, syderibus extinctis. Psalm. 8. Damian. Periand.

Cupidine immoderata studentes
Fulgorem solis gestiunt imitari,
Qui luctu syderum assolet apparere.

Redeo ad locum Apocalypseos, *Et conuersus vidi septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorum aureorum similem Filio hominis.* Apoc. 1. Vbi Ioachimus Abbas asserit Filium Dei, solis in morem, in medio septem Planetarum aspectari. Cum Iupiter, Saturnus, Mars, Venus, reliquaque sydera conspiciuntur, Sol oppositam illustrat regionem. Quomodo igitur Sol aspicitur, & in conspectu Solis reliqui Planetæ emittunt fulgorem? Quia diuinus fulgor splendorem haud obscurat humanum. Si autem Christus Sol est Planetarum septem primus: *Ego sum primus*: quomodo adhuc septem Planetæ septem in candelabris adnumerantur? Profecto Planeta diuinus edocet solem huma- 53.

Sol Christus non extinguit alia luminaria. Apoc. 1.

num, quonammodo debeat elucere sine sydérum aliorum iniuria.

54. *Quia candor lucis æternæ est, lucernas creatas efficit coram se rutilare.* Summi Præsulis Honorij III. argomentum pulchro testimonio confirmabo. *Hostiam* (inquit in C. Sane cum olim §. Sacerd. de celebrat. Missar.) *in habitu decenti superposito munda velamine ferat, & referat manifestè, ac honorificè ante pectus cum omni reuerentia & timore, semper lumine præcedente, cum sit candor lucis æterna.* En IESVM vestitum podere, seu lineo velamine in medio candelabrorum, aut lucernarum fulgurantium. Causa ferendi luminis me in admirationem rapit: Cum sit candor lucis æternæ, semper lumina præcedant. Quid secularibus faculis cum lucis æternæ candore? Profectò quia lucis æternæ candor est, non dedignatur faces creatas admittere, vt in eius conspectu valeant fulgurare. Vt videantor Proceres mundiales sic temperare fulgoris vim, vt in eorum conspectu minores faculæ non modo non extinguantur: verum ab omnibus possint aspici, & collaudari.

SECTIO SECVNDA.

Pharisæi Tenebræ.

TEXTVS.

VERS. 13. Dixerunt ergo ei Pharisæi: Tu de teipso testimonium perhibes
testimonium tuum non est verum. 14. Respondit Iesus, & dixit
eis: Etsi ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum:
quia scio, vnde veni, aut quo vado. 15. Vos secundum carnem iudicatis, ego
non iudico quemquam. 16. Et si iudico ego, iudicium meum verum est: quia
solus non sum; sed ego, & qui misit me Pater. 17. Et in lege vestra scriptum est,
quia duorum hominum testimonium verum est. 18. Ego sum, qui testimonium
perhibeo de meipso: & testimonium perhibet me, qui misit me, Pater 19. Dicebant
ergo ei: Vbi est Pater tuus? Respondit Iesus, Neque me scitis, neque
Patrem meum. Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis. 20. Hæc verba
locutus est Iesus in gazophylacio, docens in Templo; & nemo apprehendit eum,
quia nondum venerat hora eius.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Verax Christi de seipso testimonium.

1. *Pharisæorū impudentia.* TV *de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum.*] O Pharisæorum impudentiam! An non vidistis signorum gloriam fulgurare? An non vos scripturæ illigauit testimoniis? Quotiens virtutem Deitatis Dominicæ experti estis, dum contra illum omnes vestros conatus irritos, vanósque aspectatis? Num non audistis proprios ministros testimonium reddentes intrepidè, nunquam sic locutum esse hominem? An non vos in iudicio adulteræ nunc omninò conuictos dignouistis? *Cur* ergo ausi estis obiicere, *Tu de teipso testimonium perhibes, ideo non est verum?* seu ad veritatis confirmationem idoneum? Num non paralyticus ille natura insanabilis haut fuit efficax Deitatis Iesu testimonium. Tanta illorum nequitia, vt media in luce cœcutiisent. Pende particulam.

De particula ergo. *Dixerunt ergo ei Pharisæi.*] Porrò illud *ergo* indicat, propter verba illa superiora, *Ego sum lux mundi*, hæc Pharisæos obiecisse.

Strab. Strabus, *Putare, non esse ei credendum, quasi solus de se testetur, obliti præmissarum lucernarum, & Ioannis Baptistæ testimonij.*

2. *Verum Iesu testimonium suo mei fulgere: & quare?* *Etsi ego* (respondet) *testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum.*] Quamuis constet, me testimonium de meipso perhibuisse, tamen verum est testimonium. Id probat apertè, *Quia scio, vnde veni, & quo vado: vos autem nescitis vnde venio, & quo vado.*] Ego testimonium fero ex scientia, non ex ignorantia, non ex opinione, nec ex auditu: certa & experta loquor. Principium, & rationem aduentus mei scio, & quia hæc agnosco, assero me mundi magnum luminare. Scio *vnde veni*, id est, me Dei esse Filium: *& quo vado*, quia carnem sumpsi, vt hominibus ducens lucis columna viam salutis ostentarem. At vos nescitis hæc, quis sim, meique aduentus rationem ignoratis: ideo apud vos meum claudicat testimonium. Augustinus, *Verum est testimonium luminis, siue se ostendat, siue alia.* August.

Strab. Strabus, *Meum* testimonium verum est, quia testimonio Patris confirmatur. Anselmus, *Verum est testimonium meum, quia scio me à Patre venire, & ad homines vadere.* Anselm. Chrysostomus, *Verum est testimonium meum, quia Dei sum Filius.* Chrysost.

August. Augustinus, *Nec veniendo inde discessit: nec redeundo nos dereliquit. Sicut autem Sol iste illustrat faciem videntis, & cæci; sed videt ille, iste non videt: Sic sapientia Dei vbique præsens est, etiam infidelibus. Sed isti, quibus eam videant, oculos cordis non habent. Itaque subiungit: Vos autem nescitis, vnde venio, aut quo vado.*

3. *Christus non iudicat.* *Vos secundum carnem iudicatis, ego non iudico quemquam.*] Euthymius, & Chrysostomus, hom. 51. *Non iudico quemquam, id est, non damno vllum? quia non veni iudicare mundum.* Euthym. Vos carnaliter

&

& crasso modo iudicatis secundum ea, quæ sensibus apparent. At quis poterant obiicere Iudæi: Cur ergo non arguis nos, & damnas? Huic tacitæ obiectioni respondet; Haud iudicare, aut damnare nunc veni. Duram reputo expositionem.

4. *Authoris expositio.* Mea verosimilior sic locum explicat. Vos secundum sensum iudicatis, & iuxta ea, quæ exterius ostentantur. Ex iis enim exterioribus homo assolet argumentum capere, & iudicium gerere, quo vnum ab altero discernit: & quis sit vnusquisque dignoscit. Ast *ego non iudico quemquam* iuxta ea quæ sensibus obiiciuntur: sed iuxta sensus interni, seu cordis affectum. 1.Reg.16. *Non iuxta intuitum hominis ego iudico: homo enim videt ea, quæ apparent; Dominus autem intuetur cor.* 1.Reg.16. Isa 11. *Non secundum visionem oculorum iudicabit*, (de Christo præclamat Isaias) *neque secundum auditum aurium arguet.* Cap.11. Vos secundum carnem iudicatis, & ideo vestrum testimonium non semper est verum. August. Augustinus, *Ego autem non iudico quemquam, vt vos iudicatis secundum carnem.*

5. *Et si ego iudico, iudicium meum verum est, quia solus non sum; sed ego, & qui misit me, Pater.*] *Secundum naturã diuinam iudicat Iesus de seipso homine.* Si iudico me ipsum, dum profero me esse Christum, & lucem mundi: Meum testimonium est verum; quia non carnaliter iudico, sed secundum naturam diuinam, in qua solus non sum; sed ego, & Pater.

6. *Pater simul de Iesu iudicat.* Commendat huiusce testimonij auctoritatem. Quandò iudico, non est vnius iudicium: sed duorum; nempe Patris, & meum. Hoc addidit Dominus ob Iudæos, vt eos ea legis præceptu conuincat. Chrysost. Chrysostomus, *Ostendit, quod non ipse solus iudicat de se ipso, sed & Pater. Hoc autem ad eorum opinionem loquitur.*

§. II.

De testimonij Dominici certitudine.

7. *Duorum testimonium verum.* ET *in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater.*] Vis probationis hæc est. Iudicium meum verum est, quia secundum naturam diuinam iudico; in hac autem non solus sum, sed simul Pater. Vnde ex hoc etiam veritas testimonij ostenditur, cum sit duorum. Deut.17. *In ore duorum vel trium stet omne verbum.* Deut.17. Ecce duo sumus, ego, & Pater: & tam ego, quam Pater de me ipso testimonium perhibemus.

8. *Obiectioni fit satis.* Obiicis, illud Deuteronomij intelligendum de duobus testibus, haud computato eo ipso, de quo redditur testimonium. Si ego testor rem aliquam de me, mihi necessum, duos alios testes adhibere. Respondeo Christum esse & Deum, & hominem, rationeque Diuinitatis per opera ipsius Diuinitatis propria testimonium de se homine reddidisse. Tertul. Tertullian. lib. de Trinit. hoc verbum: *Testimonium meum verum est.* Christo tribuit ratione Diuinitatis. Quia ergo vt Deus loquebatur, dicit. *In lege vestra scriptum est.* Anselm. Anselmus, *Si duobus testibus creditur, qui possunt falli, & mentiri: quare mihi & Patri vbi est stabilis veritas, non creditur?* Quando nam, ais, Pater de Filio IESV protulerit testimonium? Respondet Beda, *Multis in locis, vt est illud: Ego hodie genui te. Item, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite veritatis vtique assertorem.* Beda.

Dicebant ergo ei, vbi est, Pater tuus? Particulam ergo sequelam indicat. Quasi diceret: Quia non se solum, sed simul Patrem suum tecum testimonium de se perhibere asseruis: propterea petunt, *Vbi est Pater?* Testimonium ipsius audire velle fingentes; vt hac occasione ad expressam confessionem inducant. Fingunt itaque se hæc omnia adhuc carnaliter intelligere, quasi patrem aliquem carnalem allegaret, qui simul cum eo testimonium perhiberet. At D. Augustinus, *Patrem*, inquit, *Christi carnaliter acceperunt, quasi dicerent: Nos solum te videmus, ostende nobis tecum esse patrem tuum.* Theophylactus, *Quidam putant, hoc prolatum velut ad contumeliam, aut contemptum, quasi scilicet ex fornicatione genito, & proprium genitorem ignoranti: vel tanquam vili, vt cuius pater putaretur Ioseph.* 9. *De particula ergo.* *Expenditur locus.* August.

Respondit IESVS: *Neque me scitis, neque Patrem meum*, &c.] Oportebat, vos prius scire me, vt me cognito, Patrem meum, quem mei testem vobis obtuli, nosse possetis. At nescitis me, nec ergo scitis Patrem meum. Vnde non est, cur interrogetis, vbinam sit pater; non enim eum agnoscetis, nisi prius me noscatis. *Neque me scitis.* Aliam se naturam ab eo, quam aspectabant, profitetur, quam ipsi nesciebant, haud credentes eum esse Filium Dei. *Neque Patrem meum.* Cum nescirent IESVM Deum esse, Patrem eius nesciebant. Porrò non contentus negatiua locutione, etiam vsus affirmatiua addidit. 10. *Pharisæi nec Filium nec Patrẽ agnoscebant.*

Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis.] Id est, si me, quis sim, credendo sciretis: neque opus esset vobis interrogare, *Vbi est Pater tuus?* Me enim agnito, Pater simul agnoscitur. Augustinus, *Quid est, si me sciretis, & Patrem meum sciretis, nisi, Ego & Pater vnum sumus? Sic enim solemus de similibus dicere: Si hunc vidisti, illum vidisti.* Adnoto particulam *Forsan* non esse dubitantis, sed affirmatiuam dictionem, vt Toletus asseruit. Augustinus, *Affirmatiue*, ait, *Forsan. Si sum indignatur Dominus seruo, dicit: Contemnis me, forsitan sum Dominus tuus.* 11. *Agnoscens Filiũ, Patrẽ agnoscit.* August. *De particula Forsan.* August.

Hæc verba locutus est IESVS *in gazophylacio.*] Gazophylacium Hebraicè קרבן *corban. Non licet, eos mittere in corban.* Matth.27. Latinè, *Thesauri custodia.* Arca erat, in qua dona populi in vsus Templi oblata custodiebantur; & porticus, seu atrium in quo arca aderat, eo etiã nomine appellabatur. Vt autem apud Lucam legimus cap.21. in atrio maiori erat, quo fœminis ingredi licebat; nam & vidua illa minuta in Gazophylacium immisit. 12. *De Gazophylacio.*

Docens in Templo.] Hæc locutus est Dominus dum doceret in Templo in Gazophylacio, id est, iuxta gazophylacium, seu arcam donariorum, quæ erat in atrio maiori. Potest etiam accipi pro ipso atrio. Additum planè hoc ab Euangelista, vt frequentiam hominum significaret, & Christi in prædicando libertatem exprimeret, nec non Iudæorum ad eum comprehendendum facilitatem. 13. *Locutus Dominus iuxta gazophylacium.*

Et nemo apprehendit eum, quia necdum vene- 14.

Cur Pharisæi Dominũ non comprehenderint? August.

rat hora eius.] Facile Iudæi eo in loco poterant Saluatorem comprehendere, sed nemo in eum manus immisit, diuina impediente virtute; *quia non venerat hora eius.* Augustinus, *Nonnulli hoc audientes, sub fato fuisse Christum credunt; sed quomodo fatum habet, per quem factum est cælum, & sydera. Nondum ergo venerat hora, non qua cogeretur mori; sed qua dignaretur occidi.* Existimo hisce verbis innuere Ioannem, Iudæos intellexisse Christum Patrem suum Deum esse dicentem, seque lucem mundi tanquam Dei Filium affirmantem: & cum occasionem apprehendendi, quam desiderabant, & ex verbis Christi, & ex loci commoditate haberent: neminem tamen illorum apprehendere esse ausum, quia Christus noluit, horam suam expectans.

Audore expositio.

IN
IESVM COLLOQVENTEM
PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS
CIRCA LITERAM.
EX PHARISÆIS TENEBRIS.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Dixerunt ergo ei Pharisæi, Tu de te ipso testimonium perhibes, &c.

Postquam scribæ, & Pharisæi, qui adulteram mulierem adduxerant, recessere, adsunt adhuc, qui calumniandi, ac detrahendi Saluatori officium explent.

Quando, precor, vel apud domesticos, calumniatores, aut murmuratores Regi, Domino, aut parenti defuere. Imò Deum calumnia audet vulnerare.

15. Chrysost. Maldon.

QVÆRIT D. Chrysostomus, *Quomodo hoc illi Pharisæi obiicere potuerunt, si eadem erat concio, cum iam omnes Christi responso perculsi abiissent?* respondet Maldonatus, *Credibile est, in ea concione præter Pharisæos, & scribas, qui adulteram mulierem adduxerant, alios fuisse nonnullos, qui calumniandi causa concioni interessent.*

16. *In domo Dauid enascitur filius calumniator parentis optimi.* 2. Reg. 15. Gillib.

Discessere hostes? Vel inter domesticos calumniator exsurget. Absalon optimum in parentem à cunctis elatum laudibus eximiis calumniam cogitauit. *Non est qui te audiat* (dicit Israëlitis litibus agitatis,) *constitutus à Rege.* 2. Reg. 15. Patris regimen, & prouidentiam erga populares vulnerabat, excitata calumnia. Hinc profatur Gillibertus serm. 14. in Cant. *An non quasi Absalones sunt quidam, qui pacem prædicant, & mordent calumniis. Affectant locum patris, & prauis susurris socios corrumpunt, & subuertunt corda. Imitatione Absalon est qui Magistri locum sibi arrogat, & vita derogat; vel qui pacem prædicat, & calumniantibus dentibus mordet.* Nec innocens Dauid à calumniatoribus liberatus, si laudantibus hostibus, filius calumniator assurgit.

17. *In Moysem beneficentissimum calumniatores exsurgunt.*

Moyses Hebræos innumeris beneficiis onerarat, & eum hostes periissent, ab ipsis Hebræis calumnia vulneratur. Core & socij eius calumnias congesserunt in Moysem: Partialis est, ex carnali affectu suos solummodo ad præcelsas promouet dignitates. Crudelis planè in reliquos populares, quorum acriter punit scelera. Memorat Paulus calumniatorum supplicium. *Neque murmurauerit is, sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.* 1. Corinth. 9. D. Anselmus, *Core & socij eius calumnias expresserunt contra Prælatum suum Moysem, & Aaron, quod non diuina electione; sed quasi per seipsos prælati essent. Et idcirco exterminati sunt. Ita per murmurationes & calumnias suas, quibus falso de Rectoribus suis querebantur, perierunt. Videte ergo, ne & vos similiter pereatis.* Quis crederet, calumnias excogitandas ab iis, qui tot beneficiis onerati fuerant?

1 Cor. 9. Anselm.

18. *In domo Iesu adest, qui calumniam cogitet in innocentiā.*

Quid mirum, aduersum Dauidem, & Moysem domesticos insurgere calumniosos, si qui cum IESV dulces comedebat cibos aduersum Magistrum optimum calumnias cogitauit? *Traditor autem dederat eis signum, dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite caute.* Marc. 14. Quare *caute* adducendus? Hieronymus, Vt calumniator innuat IESV miracula esse Magorum præstigia, quibus se poterat à periculis abducere. Sa, *Ducite circumspecte, ne euadat.* Calumnia acrior à domestico, exponitur innocenti. Non credebat, ais, Iudas, Dominum esse Deitate conspicuum. Quid si Deum crederet?

Marc. 14. Hieron. Sa.

19. *An non etiam Filium Dei calumniator adflaret, nisi Diuinitus impediretur.*

Existimas Deitatem à calumniis liberari? suffixo IESV, *scripsit & titulum Pilatus, & posuit super Crucem. Erat autem scriptum* IESVS *Nazarenus Rex Iudæorum.* Ioan. 19. Vbi acute Cyrillus lib. 12. in Ioan. cap. 31. *Non vult autem Pilatus mutare titulum,* (efflagitantibus Iudæis) *quia non fuit in omnibus sibi permissum Diuinitus, aduersus Saluatoris gloriam furere. Stabile namque & citra calumniam Christi Regnum est.* Instabant Pontifices Iudæorum. *Noli scribere Rex Iudæorum, sed, Quia ipse dixit. Rex sum Iudæorum.* Ibidem. Quid respondit Pilatus?

Ioan 19. Cyrill.

Quod

Quod scripsi, scripsi. Id quidem diuinitus gestum est vt, *Christi Regnum citra calumniam* esse ostenderetur. Proh Deum immmortalem! Tanta est calumniatorum impudentia, vt contra Dei Filium ausa esset exsurgere, nisi diuinitus confracta esset seu illigata.

20. Moyses Adami casum describit, profatus: *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ. Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno paradisi?* Gen. 3. Quærit Leontius, Cur ad fœminam seducendam potius serpens, quam aliud animans eligitur? & respondet acutè. *Bifida lingua serpentum spinas & tribulos imitata ex vno ortu in tres diuisa stimulos. Hanc ad opem sumpsit inuidus tanquam contra Trinitatem pugnaturus, & per vnam Adami imaginem totam Deitatem calumnians.* Tres ergo linguæ serpentis aculei contra Patrem, Filium, & Spiritum sanctum exeruntur. Nec enim Trinitas ipsa beatissima à calumnia liberatur? *Per vnam Adami imaginem totam Deitatem calumnians.*

Contra Deũ trinum & vnum vnus serpẽs trina malitia calumniator obiicitur. Gen 3. Leont.

21. Mirum esset, si tu ô homo, velis à calumniatoribus securus esse, videns eorum impudentiam Deitatis insidiatricem. Maiori prorsus admiratione afficerer, si hominem viderem liberum à calumnia. Cum Dominus ad Paralyticum tot annis ægrotantem accessisset, fatur miser: *Domine, hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam. Dum venio enim ego, alius ante me descendit.* Ioa. 5. Cum non rogatus circa diuturnitatem ægritudinis, excusationem exprimit? Euthymius pulchrè, *suspicabatur, quod Dominus interrogaret; vis sanus fieri? vt argueret, quod præ segnitie frustraretur sanitate. Ideo respondit, Quia hominem non habeo.* Vndenam, quæso, ista orta suspicio? Ex innocentiæ ipsius cognitione. Innocentiæ etenim nunquam non calumnia pugnatura obiicitur.

Mirũ esset, si homo à calumnia liberaretur. Ioan 5. Euthym.

Observat. II.

Ad illa verba:

Verum est testimonium meum, quia scio, vnde venio, aut quò vado; vos autem nescitis.

Christus fert testimonium de se ipso luce mundi, quod sapientes Hebræorum Magistri non cognouere.

Quia proprium est sapientiæ cælestis, non intelligi ab omnibus. Stultitiæ planè documentum est, intellectu facilem semper ostentari.

22. Fatur D. Augustinus, *Sicut sol iste illustrat faciem videntis, & cæci: sed videt ille, iste non videt: sic sapientia Dei vbique præsens est, sed Pharisæi oculos cordis non habent. Ideo subiungit, vos autem nescitis.* Si Dei sapientia Solis in morem rutilat, quomodo à sapientibus non capitur? Quia sublimioris sapientiæ est, non ab omnibus percipi. Imo stultitiæ, seu ignorantiæ agnatum esse assolet, facile se se intellectui cuilibet reserare.

August.

23. Mosis virga vertitur in serpentem. *At proiecerunt Magi singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones; sed deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Exod. 7. A serpente dracones deuorantur? An non dracones illi Magorum sapientiam exprimebant? Quomodo ergo plures sapientes ab vno sapiente Mose victi ostentantur. Profectò non deuorant serpentem dracones, quia non omnis sapiens capit Dei veracem sapientiam: sed hæc omnem sapientiam videtur superare, quia verax sapientia est. Machatius orat. de Exalt. Cruc. apud Gretser. tom 2. de Cruce. *Conuertitur virga verò in draconem, & conterit capita* (seu intellectus) *draconum, sapientia enim, quæ verbi prædicatoribus per passionem Christi desuper data est, omnem mundi huius falsi nominis sapientiam fatuam, nulliusque momenti demonstrauit.* Non datur prædicatoribus per passionem IESV vis, vt sapientia eorum ab omnibus capiatur; quia potius est acceptæ diuinitus veracis sapientiæ documentum à multis non intelligi: ab eis præcipuè, qui vana seculari sapientia imbuuntur.

Sapientes mũdi à sapientia diuina superantur quia agnatum ei, haud ab omnibus capi. Exod. 7. Machat.

24. Hinc Paulus, *Stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortes.* 1. Cor 1. Ad sapientum confusionem aptius sapientes eligendi videbantur: cur stultos elegit? Quia hi sapientiæ oleum continentes veracis, non poterant non sapientes confundere: si veræ sapientiæ est documentum non ab omnibus capi. Athanasius Orat. de Pass. *Hinc iam otiosa, obliterataque est omnis magia; & vniuersa Græcorum infatuata est sapientia.*

Vel stultus sapientes confundit, quia veram sapientiam non omnes capiunt. 1 Cor 1. Athan.

25. Exclamat Apostolus, *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* Rom. 11. An non laudibus deberet efferre Dei sapientiam ex communicatione? O altitudo diuitiarum sapientiæ Dei omnibus reseratæ! Quam appositè adiecit: *Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius!* quia veræ sapientiæ agnatum, haud ab omnibus capi. Ambrosius, *Excelsum, & immensum Deum in diuitiis sapientiæ & scientiæ suæ cum omni laude testatur. Est enim consilium, & iudicium eius incomprehensibile.* Cum omnis laus diuinam congeritur in sapientiam, asseritur, esse inintelligibilem?

Tunc omnis laus in Dei sapientiam congeritur, cum eam asseudimus esse inintelligibilem. Rom 11. Ambr.

26. Audi Dauidem. *Et ascendit super Cherubin, & volauit; volauit super pennas ventorum. Et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu eius Tabernaculum eius, tenebrosa aqua in nubibus aeris.* Psalm. 17. Quisnam super Cherubim ascendit, super ventorum pennas euolauit, nidumque suum collocauit in tenebris? D. Hieronymus asserit sapientem illum esse concionatorem. *Qui enim* (inquit ad cap. 2. Dan.) *ad excelsa contendit, & aetherea quæque desiderat, iste nubes efficitur, ad quem veritas Dei peruenit, & quæ super sanctos pluere consueuit. Repletusque multitudine scientiæ, habet multas aquas in corde suo tenebrosas, & inuolutas caligine, quam solus Moyses ingreditur.* Si veritas datur prædicatoribus annuncianda, cur tam cæca caligine inuoluitur, vt solus Moyses, id est, vnus, aut alter possit assequi cognitione? An non quia mysteria eleuatiora non omnibus intelligenda

Qui diuina scientia donantur prædicatores, tenebris latitant, ne ab omnibus intelligi possint, cum oportet. Psalm 17. Hieron.

genda proponuntur? Verax est sapientia? Non omnibus vulgariter reserabitur.

27. *Nec Verbū ipsum diuinum datur omnibus cognoscendum.* Ioann. 18.

Veritatem ipsam testor. An non Christus se se dedit & verbis & operibus intelligendum, ac cognoscendum sapientibus Iudæorum? Accedunt scribæ, & Pharisæi, vt ipsum comprehenderent, & non cognouerunt. *Iterum ergo interrogauit eos, Quem quæritis? Illi autem dixerunt,* IESVM *Nazarenum. Respondit* IESVS, *Dixi vobis, quia ego sum.* Ioan. 18. Cur adeò tardi ad cognoscendum? Esto quod Pharisæi, reliquaque Iudæorum turba non agnosceret: quare Iudas ignorauit? Cyrillus, *Quomodo igitur ille Christum non nouit? An quia non erat? Sed hoc quoque mirabilis Euangelij scriptor prauidit; cum facibus enim illos, & laternis fuisse exposuit. Potestas ergo diuina Christi innotuit, qui quamuis se quærentibus offerret, minimè tamen cognoscebatur.* Verbum diuinum inde commendabile admodum expono, quod non ab omnibus capiatur.

Cyrill.

28. *Insipientia magna indiciū, suas occultas cogitationes ab omnibus facile capi posse.* Psalm. 13. Bellarm.

Imò ignorantiæ, ac insipientiæ agnatum assolet esse, à cunctis intelligi. Dauid cecinit, *Dixit insipiens in corde suo. Non est Deus.* Psalm. 13. Vbi Bellarminus, *Homo ad summam insipientiam redactus dixit in corde suo, seu cogitare cœpit, nullum esse Deum.* Si in corde suo, si in mente aduersus Deitatem consilia euoluit, quonammodo dum incipit cogitare, agnoscitur? Certè quia stultitiæ est proprium, abstractiores cogitationes omnibus dare cognoscendas. Addit pulchrè Cardinalis, *Ad tantam stultitiam deuenit humana natura, vt inuentus sit aliquis, qui tametsi voce non sit ausus, negare Deum esse: tamen in corde suo dixerit, Non est Deus* En maximam stultitiam inueniri, cognosci cordis arcanum: *Vt inuentus sit aliquis, &c.*

29. *Qui scire, aut noscere non valet, curat agnosci & intelligi.* August.

Augustinus egregiè roborat cogitationem lib. 1. de Ciu. cap. 27. *Omnia corporalia latentes in natura causas habent. Sed formas suas varias, quibus mundi huius structura formosa est, sentiendas sensibus prabent. Vt pro eo, quod nosse non possunt, quasi innotescere velle videantur.* Qui potest noscere, qui sapientia est prædirus: videri, agnoscique ab omnibus non vult. At qui noscere non valet, qui scientia non ornatur, vult occultissimam eius formam omnibus reserari. An passio insipientis audiri, & intelligi procurare à cunctis?

OBSERVAT. III.

Ad illa verba:

Vos autem nescitis, vnde venio, aut quò vado.

Inuidi Pharisæi videntes IESVM diuinitus operantem, Deum esse non videbant.

Inuidia enim pressus homo agnoscere non vult ea ipsa, quæ videt, pulchra & dignoscit in proximo.

30. August.

EXplicat Augustinus, *Inuidi Pharisæi videbant hominem Deum, & Deum non credebant.* Quonammodo videbant Deum hominem? Certè diuina opera aspectantes, quæ non possent à puro homine perpetrari. Vnde Discipulis Ioannis rogantibus, *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Dominus aptè respondit, *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur.* Ac si diceret, Videtis planè, me Deum esse, huiusmodi scilicet operum patratorem. Si ergo Pharisæi tot IESV mirabilia aspectabant, quibus Deum existere agnoscebant: quonammodo non videre, seu nescire asseruntur? Quia *inuidi Pharisæi.* Inuidia enim pressis nolunt agnoscere & videre ea ipsa quæ agnuscunt, & vident in proximo magnalia.

31. *Inuidus Cain non videt Abel, quem videbat.* Gen. 4. Adam.

Caino Dominus, *Vbi est Abel frater tuus? Nescio. Namquid fratris mei custos sum ego?* Gen. 4. O mendacium ductur! An non agnoscis eum, quem ad agrum extraxisti, quem exitialiter vulnerasti? Fatur Adamus pulchrè, *Deo inuidus adhuc Cain respondit, Nescio.* Inuidus adhuc, qui ex inuidia fratrem de medio sustulit? Non miror ipsi Deo respondisse, *Nescio.* Inuidus enim non vult scire, & agnoscere illud ipsum, quod scit & agnoscit necessariò. Nunquam non abnegat inuidus ea, quæ præclara in proximo intuetur.

32. *Pharisæi inuidi non vident IESV affectum in Cæsarem, quem apertè videbant.* Ioann. 11.

Christus suum erga Cæsarem affectum pluribus ostentauit documentis. contendunt anxiè Hebræi eum Regem sibi eligere postquam turbas ex pane modico satiauit: *& fugit in montem ipse solus.* Asseruit tributa Cæsari tribuenda: *Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Attamen Iudæi mussitarunt, *si dimisimus eum sic, venient Romani; & tollent locum nostrum, & gentem.* Ioan. 11. Quorsum Romani pœnas sumerent ex Iudæis, ob IESV incolumitatem, si apertè IESVS fuerat Cæsareæ maiestatis assertor, & à Regno abstinuerat oblato? Profectò inuidia pressi illi quæ videbant in proximo pulchra non videbant; quia inuidia quæ agnoscit non agnoscit. Perbellè Chrysostomus hom. 64. in Ioan. *Numquid seditionem docebat Christus? Num dissuadebat tributum dari Cæsari? Nonne facere eum Regē voluistis, & renuit? Quanam ergò gratia venient Romani? Hac ergo sine ratione vlla dicebant, sed inuidia tantum.*

Chrysost.

33. *Iudæi videntes Stephanum Deum videre, non videbant; quia inuidus gloriam proximi videt, & non videt.* Act. 7. Act. 6. August.

Lapidibus vulneratus Stephanus vidit IESVM stantem à dextris Dei. Act. 7. An Iudæi viderint Stephanum Dei aspectatorem? *Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.* Act. 6. Faciem Stephani viderunt Iudæi tanquam Angeli faciem? Ergo agnouerunt eum Dei spectatorem, quia *Angeli eorum semper vident faciem Patris & Filij, &c.* Attamen D. Augustinus serm. 94. de diuers. asserit Iudæos non vidisse, seu agnouisse Stephanum Dei Filium intueri. Quomodo igitur non videbant quem videbant, non agnoscebant, quod planè aspectabant? Quia inuidia videns proximi gloriam affectat minimè dignouisse. *Vidit* (inquit Pater) IESVM *stantem ad dexteram Patris: vidit, vt non taceret. Non illi videbant*, illum hoc videre, *sed inuidebant, Et ideo non videbant, quia inuidebant.* Inuidos enim quæ in proximo præclara videt, se non videre, ac agnoscere affectat, ne profiteri cogatur.

34. *Agricolæ agnoscunt Christum*

De Iudæis Paulus, *si cognouissent, non vtique Dominum crucifixissent,* 1. Cor. 2. Pugnat locus hic cum illo Matthæi. Videntes agricolæ Dei

Filium

hæredem, & non agnoscunt; quia inuidia succendimur videntes, & cæca.
1 Cor. 2.
Matth. 21.

Filium in terris, proclamarunt: *Hic est hæres, venite, occidamus eum.* cap. 21. Ergo cœlestem viderunt, cognoueruntque hæredem. Si viderunt, & agnouerunt, quomodo affirmat Paulus illos Dei Filium non cognouisse? Profectò quia inuidia laborant; at inuidus quæ videt præclara, in proximo se minimè cognouisse affectat. Implicationem illam videndi, & non videndi: agnoscendi & non agnoscendi expressit Leo Imperator orat. de Cruce apud Greth. tom. 2. de Cru. *Heredem esse fassi, inuidia ebrij gloriam eius non intellexerunt. Non cognouerunt, quia cognoscere noluerunt, tota cogitatione ad inuidiam conuersa. Ea est inuidiæ natura. Non recipit, quæ conficetur; neque id, quod videtur, videre vult; neque assentiri iis, quæ negari nequeunt. Hæc occæcati populus ingratus hæredem gloriæ Dominum, quem nouerant, quasi non cognitum in ligno extenderunt.* Quid illustrius?

Leo. Imper.

Observat. IV.

Ad illa verba:

Ego non iudico quemquam.

Christus Deus & homo aptè asserit, se non iudicare homines.

Humanitati enim Iesv *agnata omnimoda misericordia.*

35. *Chrysost.*

CHrysostomus, *Quia possent dicere: si iniuste iudicamus, cur non conuincis? subiungit hoc: Ego non iudico quemquam.* Et quomodo Filius non iudicat, si Pater *totum iudicium dedit Filio, quia Filius hominis est?* Respondet Augustinus, *Non iudico quemquam modo. Sic alibi dicit: Non veni, vt iudicem mundum.* Iudicabit aliquando, sed modo non iudicat: quia Iesv humanitas omnimodam hominibus halat misericordiam, & pietatem.

36. *Christus fox humanitate Iudicē exuit, induit patrem.*
Luc. 15.
Chrysol.

Prodigus ad Christi Patris domum properauit. *Vidit illum Pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* Luc. 15. Cur crimina confitentem (*Peccaui in cælum, & coram te*) non Iudicem agens, diuerberat? Quia *Homo habens duos filios* Christus Deus & homo est; homo autem non iudicat modo, quia dissimulat Iudicem, vt penitus impleat Patrem. Pulchrè Chrysologus serm. 2. *Pater viso filio cooperit mox reatum, dissimulat Iudicem, qui magis vult implere genitorem.*

37. *Christus Saluator iudicat, miserendo, vt Othoniel.*
Iudic. 3.
Origen.

Filij Israel olim captiuitate pressi, *clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit eis Saluatorem Othoniel, & liberauit eos. Fuitque in eo spiritus Domini & iudicauit Israel, egressusque est ad pugnam, quieuitque terra quadraginta annis.* Iudic. 3. En Saluatorem nostrum, cui Pater dedit iudicium: *Iudicauit Israel.* At iudicium in paternam conuertit pietatem, quia pugnauit cum animi hostibus, eos comminuit, terraque quieuit. Origenes hom. 3. *Vide, quam larga est in Saluatore nostro diuina clementia: octo annis seruierant filij Israel pro multorum delictis; quadraginta per vnius hominis iustitiam in pace perdurant.* Iudicium enim Iesu, profundere pietatem.

38. *Ad Deitatē spectat iudicium, ad sedem humanitatis misericordia Iris.*
Apoc. 4.
Ribes.

Ioanni obijcitur Dei Filius humanitate indutus. *Et qui sedebat, similis erat aspectui lapidis Iaspidis, & Sardinis: & Iris erat in circuitu sedis.* Apoc. 4. Porrò in lapide Iaspide & Sardino figuratur iustitia, in Iride autem misericordia, Ambrosio auctore. Porrò sedes Christi exprimit humanitatem. Deitas itaque sedens similitudinem Iaspidis & Sardinis referebat, quia totum iudicium ad Deitatem obiicitur pertinere. At misericordiæ Iris in sedis circuitu conspicitur. Ribera, *Iustitia in ipso Deo ponitur, misericordia verò circa humanitatis sedem, quoniam omnia circuit.*

39. *Christus futurus Iudex, in præsenti Pastor ouiculam portans.*
Isa 9.

Isaias ad hæc. *Paruulus natus est nobis, & Filius datus est nobis, cuius Imperium super humerum eius. Et vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, &c.* cap. 9. Vbi doctus contemplatur Interpres Imperium super humerum nati Iesv ouiculam erroneam esse. *Vocabitur*, ait, *Admirabilis, Consiliarius, Fortis, Deus.* Porrò quæ iudicium, & maiestatem sonant ad futurum seculum videntur attinere: Vocabitur. At quæ ad nos spectantes viatores diffluunt pietate: *Paruulus natus, Filius datus, cuius Imperium* nunc *super humerum eius.*

40. *Vbi Iesvs homo adest, misericordia habitat, vel inter peccatores.*
Gen 22.
Leo.

Dominus pro hominibus moriturus, è Ierosolyma discedit, montem Isaac verus scandit. Gen. 22. Quare, precor? D. Leo serm. 10. de Pas. *Eunte itaque, dilectissimi, Domino ad locum clarificationis suæ: & misericordia ab impiorum taberna ulis exeunte, vt adimpleretur, quod scriptum est Psalm. 118. Longè à peccatoribus salus: sequebatur eum multitudo magna.* Preme particulam, *Eunte Domino, & misericordia exeunte.* Non prius discedit à Ierosolymis misericordia, quam Christus discederet. Dum Christus pessima commoratur in vrbe, simul misericordia *in tabernaculis peccatorum* continetur, vt à iudicio illos liberaret. Profectò multitudo magna aptè sequitur exeuntem Dominum, ne misericordia cum ipso recedente, à Dei iudicio perimantur.

41. *Sufficit nobis vnus Iesvs, vt misericordiæ diuitiis potiamur.*
Luc 14.
Cellen. Abbas.

Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Philippus ait. At Iesvs respondet, *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.* Luc. 14. Quare hominibus sufficit Pater? Quia peccatores Patrem habentes promptam misericordiam paternam sortientur. Profectò qui videt Filium Dei humanitate indutum videt & patrem, quia pietas Iesv è paternis visceribus profluit. Vnde Cellensis Abbas lib. 3. epist. 12. *Qui cum Iesv haberent, Patrem nihilominus videre cupiebant: nondum nouerant, quia cui Filius non sufficit, nec Patrem habere poterit.*

Sufficit nobis vnus Iesvs, vt totius misericordiæ diuitiis potiamur.

Observ.

Observat. V.

Ad illa verba:

Si iudico ego, iudicium meum verum est, quia solus non sum: sed ego, & qui misit me Pater.

Vt probet Dominus verum esse, quod de se ipso tulit, testimonium, asserit se Dei Patris Filium verum existere.

Deitati enim agnatum, veritatem proferre, ac protegere.

42. Anselm. ANselmus sic: *Et si homo sum. Patrem non deserui: & si missus per carnem, tamen ego & Pater, & Spiritus sanctus simul per Deitatem. Vnde necessarium est, verum meum existere testimonium.* Deitati enim agnatum est, veritatem proferre, & protegere.

43. *Qui mendax nō est, Deus debet esse.* Psalm. 115. Remig. Pythag. Dauidicum carmeo præmitto. *Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax.* Psalm. 115. Ergo qui mendax non est, haud homo vocitandus: An Deus? Remigius, *In eo, quod non sumus mendaces, non homines sumus, sed Dij.* Vel Gentilis Pythagoras profitetur, *Veritas post Deum colenda est, vt pote qua homines Deo proximos facit.*

44. *Dum Philippus veritatem profert eunucho, quasi Deus ostenditur.* Act. 8. Tertull. Eunuchus Reginæ Candacis à Philippo audiuit veritatis præconium. An ab homine, an à Deo? Ait Lucas, *Aperiens autem Philippus os suum, & incipiens à scriptura ista, euangelizauit illi* IESVM. Act. 8. Vbi Tertullianus lib. de Baptis. cap. 18. *Cui vltro Deus Apostolum miserat, ad quem rursus Spiritus vt se curriculo adiungeret, iusserat. Scriptura ipsius fidei occurrit, Dominus ostenditur.* Apostolus aperit scripturæ testimonium, dum autem reserat veritatem non iam homo, sed *Dominus ostenditur.* Nec enim homini mendaci vtique datum, veritatis seriem exprimere.

45. *Rotæ Ezechielis, quibus veritas triumphatrix obiicitur, hæret Spiritus sanctus.* Ezech. 1. Blesen. En totarum Ezechielis mysterium. *Quocumque ibat spiritus, illuc & rota pariter eleuabantur sequentes eum. Spiritus enim vitæ erat in rotis.* cap. 1. Ad quæ Petrus Blesens. lib. 6. epist. 23. *Hinc non exeo nisi ad vocem rotarum, quæ in se habent spiritum vitæ, & stant, ac mouentur tanquam volubiles cum animalibus senas alas habentibus. Regula veritatis tornauit rotas istas (hoc est, sacras scripturas) in circuitu, & orbe veritatis æterna.* Veritas aptè triumphatrix signatur in rotis, quibus hæret spiritus Deificus, quæ voluuntur æternitate.

46. *Adamus spiritu Deifico afflatus veritatem loquitur.* Gen. 2. Antioch. Olim Deus *inspirauit in faciem eius* (Adami) *spiraculum vitæ. & factus est homo in animam viuentem.* Gen. 2. Alij legerunt, *In animam loquentem.* An vera locutus Adam? Profectò qui à Deo spiritum acceperat, quo loqueretur, necessario proferret veritatem. Antiochus hom. 66. *Necesse est, nullum effundi mendacium, nec verbum, quod non veritati omnino innitatur. Vt spiritus ille veritatis intelligatur, in hac carne sibi delegisse domicilium.* Et quonammodo posset à Deifico spiritu verbum profluere haud veritatis luce fulgidum?

Premo accuratius illam clausulam: *Iudicium meum verum est, quia solus non sum: sed ego, & qui misit me Pater.* Vbi Trinitatis mysterium Dominus expressit. Quid autem Trinitati cum testimonij veritate? *Verum est iudicium,* quia ex *Patre & Filio.* Profectò si *in ore duorum vel trium stat omne verbum,* quid non stabit in duarum, seu trium Personarum Trinitatis ore? Ait Dominus. In lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est Ioann. 8. & alibi, *In ore duorum vel trium testium stat omne verbum.* Matth. 18 Cur addidit, *Vel trium?* Vt innueret beatissimæ Trinitatis munus esse, veritati impendere suffragium. Testor Susannam duplici teste morti addictam, & trium Personarum Trinitatis beatissimæ expressione veritatis liberatam. Augustinus. Tract. 36. in Ioann. cap 8. *In ore duorum, vel trium. Per hoc mysterium Trinitas commendata est, in qua est perpetua stabilitas veritatis. Vis habere bonam causam? Habeto duos, vel tres testes Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Denique quando Susanna casta fœmina, fidelisque coniux duobus falsis testibus vrgebatur: Trinitas illi in occulto suffragabatur; illa Trinitas de occulto vnum testem Danielem excitauit, & duos conuicit.* Pulchrè.

47. *Tres diuinæ Personæ veritati operam, ad Susannæ defensionem.* Ioann. 8. Matth. 18. August.

Observat. VI.

Ad illa verba:

Neque me scitis, neque Patrem meum. Si me sciretis forsitan & Patrem meum sciretis.

Iudæi Christum IESVM non agnoscentes, nec habentes, Patrem consequenter non habent, & cunctis bonis necessariò priuantur.

Quia habens IESVM *omnia possidet bona, & sine Iesu misera laborat inopia.*

DIuus Augustinus asserit particulam *Forsitan increpatiue* expressam fuisse. O miseri, qui IESVM non habetis, & consequenter Patre priuamini. Quid, habere cœlestem Patrem, nisi omnibus redundare bonis? Deus Prodigi fratri frugi ait: *Fili, omnia mea tua sunt.* Luc. 15. Quia Patrem habens, omnium bonorum fruitur abundantia. Vnde qui non habet IESVM Filium, nec Patrem habet: vnde necessariò cunctis bonis priuatus obiicitur. 48. August. *Qui habet Patrem omnibus abundat.* Luc. 15.

Post resurrectionem IESV Discipuli piscationi operam impendebant. Accessit IESVS, & rogitat, *Pueri, numquid pulmentarium habetis? Responderunt illi: Non.* Ioan. 21. Quam aptè negatiuè respondent! Nam qui IESVM non habebant, vel temporario subsidio priuari necessarium erat. Chrysologus serm. 78. *Et quid haberent,* 49. *Nec cibum habet comparatum, qui non habet* IESVM. Ioan. 21. Chrysol.

haberent, qui Christum iam secum positum non habebant?

50. *Dum non adest IESVS lux vacuitate temporalium bonorum premimur.* Plini. Gen. 1.

Plinius asseruit, æquam esse omnium temporariorum bonorum matrem Testur omnium animantium pabula ex aquæ beneficio profluentia. Profectò sine IESV nec aquarum copia tibi proderit ad satietatem; quia vacuus omninò verè vocitaberis. *Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, & spiritus Domini ferebatur super aquas.* Gen. 1. Quomodo terra vacua obiicitur, cum tanta aquarum fœcundantium mole repleatur? Quia non aderat IESV lux, sine qua cuncta laborant sterilitate. *Dixitque Deus, Fiat lux, & facta est lux. Et vidit Deus lucem, quod esset bona.* Ibid. Cur non simul dixit, Vidit Deus aquam quod esset bona, si ex aqua cuncta bona fluunt? Certè quia sine luce IESV nulla bona sunt bona, qui his bonis repletur sine IESV, verè laborat vacuitate: *Terra erat inanis & vacua.* Pulchra Anastasij Synaitæ lib. 1. Exam. cogitatio. *Si omnia, inquit, quæ fecit Deus, sunt valde bona, quomodo non dicit scriptura, aquas illas quæ erant ante lucem esse bonas? Dicens ergo, & vidit lucem, quod esset bona; ostendit, quod omnia illa, quæ venerunt ante veram lucem IESVM (Erat lux vera, Ioan. 1.) quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum, & terram demerserunt, & suffocarunt: non esse bona.* Dum abest IESVS, tua te bona suffocant, & demergunt, non replent. Si IESVS adest bona tua iam erunt verè bona, quia te, vacuitate ablegata, replebunt.

Anast. Synai.

Nullum bonum sine IESV, luce mundi.

51. *Si non habes IESVM, non habes Matrem eius; ideoque non habes quidquam spirituale.* 3. Reg. 18.

Quid de spiritualibus bonis attexam? sine IESV cunctis cœlestibus priuamur. Dixerat Dominus, eos qui Filium non habebant, nec Patrem habere, quo cum bonorum abundantia potirentur. Ego addiderim: Qui IESVM non habent, nec Matrem eius habent, & consequenter spiritualibus bonis vacui obiiciuntur; quia sine Maria nullum cœleste bonum hominibus impenditur. Iubetur à Propheta vt specularetur, an nubes cœlestis pluuiæ parens appareret? Post speculationem fatur famulus, *Non est quidquam.* 3. Reg. 18. Quare quidquam non est? Quia neque IESVS, nec nubes Maria adest. Audi Ioannem Ierosol. lib. de Inst. Monas. cap. 33. *Quia nubecula illa Mater IESV non fuit à puero visa nasci in illa prima ætate mundi: ideo puer dicit, Non est quidquam.* Neque Filius, neque Mater adest: quidnam potest cœlestium bonorum nobis adesse?

Ioan. Ierosol.

52. *Lætitia conscientiæ cum IESV & Matre eius, fruimur.* Cant. 1.

At habentes IESVM, & Mariam, cunctis spiritualibus abundabimus. Quid expetis? Conscientiæ lætitiam, spiritus exultationem, vt vallis lacrymarum valeam incommoda sustinere. Accede ad IESVM. Clamat Sponsa, *Post te curremus in odorem vnguentorum tuorum. Introduxit me Rex in cellaria sua, exultabimus, & lætabimur in te.* Cant. 1. Expendit Origenes hom. 1. in Cant. *De iis adolescentulis, quæ post ipsam* vnam, & perfectam (Matrem IESV) ad IESVM *currunt*, & procul ab ea in currendi spatiis remanserant: dicitur, Adducentur Regi virgines post eam, adducentur in lætitia, & exultatione. Quia habent Mariam, & consequenter IESV Sponso donantur; vnde lætitia & exultatione spirituali replentur.

Origen.

53. *Si vel serò peccator ad IESVM venias, vberè mercedem accipies.* Ioan 19.

O miseri, qui nunquam non delictis illigati, semper penuria, & vacuitate laborastis? Ad IESVM senes accedite plenitudine spirituali proculdubio donandi. *Venit Nicodemus, qui venerat ad IESVM nocte primum, ferens mixturam myrrhæ.* Ioan. 19. Ad IESVM serò accessit ille, sed præferens myrrhæ, seu compunctionis aromata, & IESVM inuenit, & cœlestibus bonis plenus remeauit. Licet serò, propera ad Christum ab inopia liberandus. Ambrosius lib. 33. in Luc. *Veni & tu vel serò, vel nocte, vel quacumque hora: quandocumque veneris, inuenies IESVM ad suscipiendum paratum, nec minorem seruus serò venientibus mercedem, pia largitate soluentem.* Quacumque ætatis hora ad IESVM accesseris, cœlestium bonorum integrum denarium accipies.

Ambros.

LIBER SEXTVS.

COLLOQVIVM IESV CVM IVDÆIS FESTO MEDIANTE.

PARAPHRASIS, ET COMMENTARII literales ad caput septimum Ioannis.

Panegyrici Morales circa literam in Iesum colloquentem.

PROLVSIO.

Dominici vitalis ligni FRVCTVS SEXTVS.

IAM subiicitur odij, ac maleuolentiæ Iudæorum seminarium, Domino illorum operum malignitati testimonium perhibente; nec enim suaue scabiosis moribus correctionis acetum. Ingressus itaque Christus Ierusalem in media scœnopegiæ solemnitate post longam Iudæorum expectationem, ac de se diuersam vulgi opinionem, cœpit edocere. Mirabantur, quæ audiebant, quomodò literas tam probè calleret, quas nunquam didicisset. Rationem autem operum suorum, & doctrinæ contra illorum calumnias reddit. Nec enim semper calumniis cedendum ad patientiæ exercitamenta: sed flagellanda improbitas ad gloriam veritatis. Quid, quæso, *scœnopegia*? Festum planè *Tabernaculorum*. Existimo non *festo mediante*, sed initio solemnitatis Christum Mariæ Parentis gloriam sine annuo interstitio celebrare perpetuus Tabernaculi augustissimi habitator: *Et qui creauit me*, (ait ipsa) *requieuit in Tabernaculo*
Psalm.14. *meo.* Dauid appositè, *Domine, quis habitabit in Tabernaculo*
Richard. *tuo?* Psalm 14. Explicat Richardus lib.10. *Id est, in beata Vir-*
Laurent. *gine? Quasi diceret, Nullus nisi tu solus. Propter quod dicitur Ezech 44. Princeps ipse sedebit in ea, quasi non alius.* Semper Princeps Mariano in Tabernaculo sedet, interminabiliter celebrans scœnopegiam.

IOANNES

IOANNES CAP. VII.

VERSI. 14. IAM autem die feſto mediante, aſcendit IESVS in Templum, & docebat.

15. Et mirabantur Iudæi dicentes: Quomodo hic literas ſcit, cum non didicerit?

16. Reſpondit eis IESVS, & dixit: Mea doctrina non eſt mea: ſed eius qui miſit me.

17. Si quis voluerit voluntatem eius facere: cognoſcet de doctrina, vtrum ex Deo ſit: an ego à me ipſo loquar.

18. Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam eius qui miſit eum, hic verax eſt, & iniuſtitia in illo non eſt.

19. Non ne Moyſes dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem?

20. Quid me quæritis interficere? Reſpondit turba, & dixit: Dæmonium habes: quis te quærit interficere?

PARAPHRASIS.

14. *ITaque cum iam dimidium feſti peractum eſſet,* IESVS *palam ingreſſus eſt Templum, atque illic populum edocebat non Phariſaicas conſtitutiones, ſed Euangelica dogmata nunquam peritura.*

15. *Iudæi vero cum doctrinam calumniari non poſſent, tamen autoritatem apud populum ſtudent adimere: admirantes cum eſſet idiota, & literarum rudis: vnde nactus eſſet ea, quæ è ſacris voluminibus ineffabili ſapientia promebat, cum non didiciſſet.*

16. *Reſpondit igitur* IESVS *arcanorum conſcius illorum clanculario murmuri: Mea doctrina, quam admiramini vnde mihi contigerit, cum ab homine literas non didicerim; non eſt mea; ſed eſt Patris mei, qui me miſit in mundum, eius indicere voluntatem.*

17. *Quod ſi quis, depulſa malitia, voluntati Patris voluerit obtemperare, is facilè agnoſcet, doctrinam meam non eſſe hominis, aut dæmonis nouum inuentum; ſed à Deo eſſe profectam, nec me, quod loquor, ex humano ſenſu loqui; ſed ex mente Patris mei, cuius gero legatum.*

18. *Homines, qui ſuæ gloriæ ſtudent magis, quam Dei, quo pluris fiant apud mundum: nouas, ac ſuas doctrinas Dei doctrinæ anteponunt. At qui non quærit propriam gloriam, ſed eius, à quo miſſus eſt, hic omnia ſyncerè loquitur: nec huius doctrina erroribus obnoxia eſt; vel ambitionis, auaritiæ, liuoris, adij cupiditatibus vitiata.*

19. *Vobis, qui me contemnitis, ſacroſancta eſt Moyſi auctoritas. An non ille vobis tradidit legem à Deo acceptam? legis ſcientiam vobis arrogatis, cum nemo veſtrum ſit, qui verè ſeruet legem, ſecundum Dei, qui legem tradidit, voluntatem.*

20. *An lex permittit ius occidendi? Cur ergo mihi, qui miſſus à Deo illius vobis voluntatem prædico, molimini necem? Dæmonium, inquiunt, habes. Deus verax eſt, tu dæmonis inſtinctu mentiris. Quis tibi necem machinatur. Vt apud multitudinem tam impij facinoris conſcientiam diſſimularent, ad manifeſta confugerunt conuitia.*

Ant. de Eſcob. & Mend. Tom. III.

M 2 21. Reſpon

21. Respondit IESVS, & dixit eis: Vnum opus feci, & omnes miramini.

21. Dominus autem non regessit conuitium, ne furorem furentibus addiceret. Ego, inquit, die Sabbati vnum quoddam opus feci, quo salutem calamitoso contuli: & omnes miramini me putantes Sabbati violatorem.

22. Propterea Moyses dedit vobis circuncisionem: (non quia ex Moyse est, sed ex patribus) & in Sabbato circunciditis hominem.

22. Moysi, cui tantum iustè tribuistis, hoc exemplum ante præbuit, vobis ille tradidit circuncisionem (non quod simul cum lege nata sit circuncisio, sed quod ante legem fuerit à Deo tradita Patriarchis) & hoc nomine maioris momenti videtur circuncisio quàm Sabbatum. Vos in Sabbato circunciditis hominem, nec videmini vobis Sabbati religionem violare.

23. Si circuncisionem accipit homo in Sabbatho, vt non soluatur lex Moysi: mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in Sabbatho.

23. Quod si vos hominem in Sabbato circunciditis, nec hoc opere putatis violari Sabbatum: cur meo opere clamatis indignabundi, violatum Sabbatum, qui non vnam corporis partem curarim, sed totum hominem seruarim in Sabbato? Cur igitur in simili causa, imo cur in causa, quod ad me pertinet, potiori, Mosem veneramini, me veluti nefarij facinoris reum peragitis?

24. Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate.

24. Nolite iudicare secundum personæ qualitatem, sed ex ipsa re iustum proferte iudicium, si vultis legis Mosaicæ obseruatores haberi.

25. Dicebant ergo quidam ex Ierosolymis: Nonne hic est, quem quærunt interficere?

25. Quidam ad hæc Ierosolymitæ dicebant: Nonne hic est, cui Pharisæi, & scribæ mortem machinantur, vt qui modò creditus est horum metu latitare, nec prodire ad diem festum?

26. Et ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt. Numquid verè cognouerunt Principes, quia hic est Christus?

26. Ecce palam in Templo illis ad os loquitur; nec illi respondent quidquam. Quid sibi vult illorum silentium? An Principes persuasi sunt, hunc esse Mesiam: & nunc silentio confitentur, quod prius oppugnabant?

27. Sed hunc scimus, vndè sit: Christus autem cum venerit, nemo scit, vnde sit.

27. Haud quidem verisimile, Principes hoc sentire: siquidem omnes nouimus, vndè hic sit profectus. At Mesias vbi venerit, ita venturus est, vt nemo sciat, vnde prodierit.

28. Clamabat ergo IESVS in Templo docens, & dicens: Et me scitis, & vnde sim scitis: & à me ipso non veni; sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis.

28. Voce ergo Dominus clariore, vt à toto populo posset exaudiri, si ideo, inquit, non videor vobis ille Messias, quod sciatis, vnde venerim, hoc ipsum vos docere poterat, me esse illum, qui sic venerim, & ex eo loco sim ortus, vnde Propheta Mesiam venturum prædixerunt. Nec è mundo profectus sum, quemadmodum vos calumniamini; sed ab eo, qui me misit in mundum, vobis quidem haud cognito quod sensibus minimè percipiatur.

29. Ego

29. Ego ſcio eum; quia ab ipſo ſum, & ipſe me miſit.

29. Ego ſolus verè noui eum, quoniam ab eo profectus ſum & apud illum fui, priuſquam ad mundum aduentarem: & ab eo miſſus ſum in mundum, vt per me diſcatis illum, & ſalui ſitis veſtra credulitate.

30. Quærebant ergo eum apprehendere: & nemo miſit in illum manus; quia nondum venerat hora eius.

30. His verbis irritati primores, magis etiam fremebant animis, geſtiebantque illi manus inijcere. Quum autem adeſſet prompta maleficij voluntas, nemo id temporis iniecit illi manus, ita volente Christo, quia nondum venerat tempus à Patre præſcriptum, quo ſua morte mundo ſalutem pararet.

31. De turba autem multi crediderunt in eum.

31. At nonnulli plebei ac legis ignari, qui vt minus habebant auctoritatis, plus habebant bonæ mentis, in Dominum credidere.

SECTIO PRIMA.

Doctrina IESV *Defenſio*.

TEXTVS.

VERS. 14 IAm autem die feſto mediante, aſcendit Ieſus in Templum, & docebat. 15. Et mirabantur Iudæi, dicentes: Quomodo hic literas ſcit, cum non didicerit? 16. Reſpondit eis Ieſus, & dixit, Mea doctrina non eſt mea, ſed eius, qui miſit me. 17. Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoſcet de doctrina, vtrum ex Deo ſit, an ego à me ipſo loquar. 18. Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit; qui autem quærit gloriam eius, qui miſit eum: hic verax eſt, & iniuſtitia in illo non eſt.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Iudæorum obiectione contra IESV *doctrinam.*

1. *An aſcenderit Dominus in Vrbem die quarta: vel in Templum* August. IAM *autem die feſto mediante, aſcendit Ieſus in Templum.*] Auguſtinus Tract. 28. aſſerit die quarta Dominum ad vrbem aſcendiſſe & ad Templum ex Galilæa. Non probo, quia iam aſcenſus in Vrbem narratus eſt ſuperius à Ioanne, fuit autem prima die feſti, qua Ieroſolymam venit, tamen occultus manſit, nec publicè docuit vſque ad diem quartam. Cum igitur octo dierum ſpatio ſolemnitas illa celebraretur, die quarta, quæ medium eſt tempus, Euthym. Anſelm. Christus Templum ſcandit, vti docet Euthymius. Et Anſelmus, *Aſcendit*, inquit, *in Templum quarta die feſti*. Non aſcendit poſt perfectam feſti medietatem, ſed *mediante feſto*, id eſt, cum ad medietatem vergebat. Priorem ita aſcenſum in Vrbem Euangeliſta deſcripſit, poſtquam è Galilæa fratres profecti ſunt: iſque fuit occultus; poſterior autem hic in Templum aſcenſus extitit.

2. *Quid docuerit Dominus?* *Et mirabantur Iudæi dicentes: Quomodo hic literas ſcit, cum non didicerit?*] Quidnam Chriſtus docuerit? Ioannes prætermiſit, ſed inſignem fuiſſe doctrinam inſinuat, quia Iudæi quærentes opportunitatem ad illum occidendum: fuerunt admiratione affecti: *Quomodo hic literas ſcit*, &c.

Haud illi quid diceret Dominus, mente voluebant, vt aſſequi poſſent veritatis dogmata: ſed quonammodo docere poſſet, ſubdubitabant.

Literas ſcientiam ſacræ Scripturæ appellant, 3. *Literæ pro ſacris Scripturis.*
& eam, quæ ad diuina myſteria attinet. *Quia ab infantia ſacras literas noſti.* 2. Tim 3. Comperto quod homines eſſent ſine literis. Act. 4. ſic Toletus, & alij, Saa, *Quomodo hic ſcit ſcripturam legere, & interpretari?* Auguſtinus autem. *Multi nouerant, vbi natus, & quemadmodum fuerat educatus; nunquam eum viderant literas diſcentem: audiebant tamen de lege diſputantem, legis teſtimonia proferentem, quæ nemo poſſet ferre, niſi legiſſet: nemo legere niſi literas didiciſſet.* 2. Tim. 3. Act. 4. Saa August.

Addit Chryſoſtom. admirationem eſſe *nequitia plenam*, ſi non plene agnouere eum diuinitus eſſe locutum. *Ex hoc enim debebant cognoſcere, non eſſe in eo hanc ſcientiam humanitus, ſed diuinitus.* Hinc colligo admirationem illam non eſſe eorum qui Chriſti ſermonem ſuſceperunt, & magni æſtimarunt, vt aliqui putant, ſed illorum, qui incredulitate preſſi, hæc proferebant, non vt efferrent laudibus, ſed vt dæmoni dicta tribuerent. Conſentit Cyrillus, & alij. 4. *Admiratio Iudæorum plena nequitia.* Chryſoſt. Cyrill.

§. II.

De IESV *ſolutione.*

RESpondit eis IESVS, *mea doctrina non eſt mea, ſed eius, qui miſit me.*] Iudæorum ad- 5. *Admiratio-*

...rem Iesus pullere curat.

mirationi Dominus respondet, & vnde hasce literas acceperit declarat. Non est, cur admiremini: *Quomodo hic literas scit cum non didicerit?* quia à Deo Patre hæc mea doctrina est; non à dæmone, vt suspicamini. Doctrinam asserit suam, quia eam habebat: non suam, quia non habebat à se, sed à Patre.

6. *Quomodo doctrina sua, & non sua?*

Sententiam expendam. Christus vt est Filius Dei, habebat eandem omninò scientiam, & doctrinã, quam Pater habet. Vt enim vna est essentia, ita & vna est vtriusque scientia, & doctrina. Hoc tamen discriminis, quod Pater à nemine, Filius eam habebat à Patre. Vnde verũ est, quod dicit: *Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me.* Sua erat, quia verè eam scientiã, & doctrinam habebat, & habet: non sua autem, quia sic eam habet, vt à Patre accipiat. Vt homo autem est, scientiam habet, & doctrinam non eandem cum Patre: sicut enim natura est diuersa, ita doctrina & scientia tali naturæ inhærens diuersa est. Diuersam dico scientiam & doctrinam in seipsa; est enim accidens & habitus infusus; ex parte verò eorum, quæ sciebat, & docebat, eadem est cum scientia Patris propter identitatem eorum, quæ scit, & docet Christus; quæ enim scit, & docet Christus vt homo, sunt eadem cum iis, quæ scit, & docenda vult Pater. Hanc ergo doctrinam, quæ Christi hominis est, suam dicit, quia ipsi inest, non suam autem, quia à Diuinitate, quæ vnica est, procedit, & emanat.

7. *Cuinam sensui hærendum ex duobus.* August. Cyrill. Chrysost. August.

Cum ergo hæc sententia duos sensus admittat, cui nam hærendum? De diuina scientia quam habuit vt Deus, interpretatur Augustinus lib. 2. de Trin. cap. 2. & Tract. 27. in Ioan. Cyrillus lib 4. cap. 42. & Chrysostomus hom. 48. At de Christo vt homine sententiam exponit Ambrosius lib. 2. de fide cap. 4. & idem Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 12. addit tamen vtroque modo intelligi posse. Apprubo putans sententiam esse eandem, & in vtroque sensu suam scientiam diuinam, seque Deum, seu Dei Filium esse hisce verbis Christum significare. Verùm ad contextum Ioannis disertius exprimendum, de scientia, quam vt homo habuit, interpretor.

8. *De fide exponitur probabiliter.* August. Ioan. 6.

Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego à meipso loquor.] Ex Augustini mente, is voluntatem Patris facere dicitur, qui in Christum credit iuxta illud Ioannis. *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille.* Cap. 6. Iuxta quem sensum sic locum exposuerim: Qui credit in me, cognoscet de doctrina mea, an à Deo sit iuxta illud: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Isa. 7. Fidei enim mysteria hoc habent, vt prius credantur, quam intelligantur. Probabilem valde opinionem hanc reputo cum Toleto.

Isai 7.

9. *Probabilior Authoris explicatio.*

Probabilius tamen puto, tacitè eos Dominum arguere, & causam, cur non credant, nec intelligant eius doctrinam indicare. Ac si diceret, deponite iram, inuidiam, odium, quæ in me contra Dei voluntatem concepistis: & tum meam doctrinam intelligetis. Hæc vos impediunt à vera intelligentia. Qui enim Dei voluntatem facere expetit, & quæ ei aduersantur omninò fugere, cognoscit meam doctrinam Dei esse, & non humanum inuentum contrarium ipsi, vt vos putatis. Sic exposuit Chrysostomus hom. 48. & Cyrillus lib 4. cap. 43. Chrysost. Cyrill.

10. *Probat Christus, doctrinam suam Dei esse.*

Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit. Id est, qui doctrinam propriam, & à Deo alienam, & separatam loquitur: is honorem proprium quærit, vt ab auditoribus in pretio habeatur, ab aliísque laudem consequatur, & gloriam. At ex aduerso qui proprium honorem non quærit, nec gloriam; sed Dei: à seipso non loqui, sed à Deo manifestat. Postquam ergo Dominus causam aperuit, quare eius doctrinam Iudæi non agnoscerent: probat doctrinam suam Dei esse. Porrò hoc argumentum confirmat, verba superiora de scientia humana Christi, quæ à Deo erat, esse intelligenda. Nam his verbis solum ostendere intendit, se à Deo missum, & quæ secundum sunt Dei voluntatem docere, ab eóque doctrinam accepisse. Christus autem vt homo non humanam gloriam, & honorem ex sua prædicatione, ac doctrina quærebat; sed Dei Patris, ad cuius voluntatem implendam homines hortabatur. Chrysostomus. *Hoc est aliud argumentum insolubile; qui enim propriam vult instituere doctrinam, non ob aliud hoc vult, quam vt gloriam acquirat.* Ergo qui quærit Dei gloriam doctrinam non propriam, sed acceptam à Deo proferre ostenditur. Chrysost.

11. *Argumentũ ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis.*

Qui autem quærit gloriam eius, qui misit eum, hic verax est, & iniustitia in illo non est. Est argumentum ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis. Ac si diceretur: Homo est, ergo animal est. At non est animal, ergo nec homo. Haud aliter, A semetipso loquitur; ergo proprium commodum, & honorem quærit. At non quærit proprium commodum, & honorem; ergo non à seipso loquitur, sed ab eo, cuius honorem quærit.

12. *Obiectioni fit satis.*

Cur non intulit Dominus, *Hic à Deo est,* sed *verax est, & iustus,* seu *Non est in iustitia in eo?* Vt doctrinam, & opera sua defendat. Hæc enim duo Iudæi calumniis vulnerabant. Doctrinam quidem, quia turbas seducebat; opera quia non custodiebat Sabbatum. Contra calumniam itaque vtraque intulit, Qui gloriam Dei, à quo missus est, non propriam quærit: hic verax est; quia doctrina eius vera est: nec enim Deus mendaciis glorificatur. Iniustitia etiam in eo non adest, quia opera eius iusta sunt; non enim Deus à trasgressoribus glorificatione afficitur.

13. *Iudæi mendaces & iniusti in Deũ, & in Christum.*

Adnotat D. Cyrillus lib. 4. cap. 44. Dominum tacitè Iudæos arguere, qui propriam quærentes gloriam, mendaces ac iniusti in Deum exponebantur; mendaces quidem, quia hominum traditiones legi diuinæ contrarias edocebant; iniusti, quia diuina mandata transgrediebantur. *Cur transgredimini mandata Dei propter traditiones vestras:* Matth. 15. Addo mendaces etiam, & iniustos contra Christum extitisse? mendaces in dissuadendo populo, ne in Christum crederet; iniusti in morte innocentissimo machinanda. Porrò hæc omnia miseris acciderunt, quia non Dei, sed propriam gloriam quærebant, propria commoda affectantes. Theophylactus, *Verax sum, quia doctrina mea continet veritatem. Iniustitia in me non est, quia alterius gloriam non vsurpo.* Theoph.

IN
IESVM COLLOQVENTEM
PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS
CIRCA LITERAM.
EX DOCTRINÆ IESV DEFENSIONE.

OBSERVATIO I.
Ad illa verba:

Iam die festo mediante, ascendit Iesus in Templum & docebat.

Ascendit IESVS in Templum docturus non festo incipiente, sed mediante: nè audientium aures festi strepitu occluderentur.

Vt edoceat, quanta attentione, & reuerentia Dei verbum oporteat exaudire.

14. VIDIMVS Christum Ierosolyma tribus diebus festi latitasse, nec ascendisse Templum vsque ad quartam diem. Rogitat Theophylactus. *Quare ascendit, cum esset dimidium festi*, & non initio solemnitatis? Respondet appositè, *Vt maiori attentione audirent ea, quæ ab ipso dicebantur; ne festi incipientis strepitus illorum aures occluderet. Nam in principio festi verisimile est eos in his, quæ festi erant, occupatos esse.* Non dubium, primos festi illius dies vberiori hominum frequentia celebrari.

Theoph.

15. Cum cœlesti doctrina circa libellum repudij Dominus Iudæos curaret imbuere, pueri à matribus ei offeruntur. *Tunc oblati sunt illi paruuli, vt eis manus imponeret, & oraret. Discipuli autem increpabant eos.* Matth.19. Asserunt Doctores non solum pueros increpauisse, sed & matres abstraxisse à Domino. Quare precor? Acutè respondet Theophylactus idem, *Afferebant matres pueros, vt benedicerentur manuum contactu. Incompositè autem & turbatè accedebant ad Christum, & propterea prohibent Discipuli.* Premo adhuc particulam, Tunc oblati sunt illi pueri: Tunc scilicet cum Iudæos edocebat. Quia ergo matres *turbatè*, id est, excitato strepitu accedebant, quo aures occludere possent adstantium, piè Discipuli conantur prohibere.

Apostoli increpãt matres cũ pueris accedentes ad Iesũ, ne strepitu auditorum occluderent aures.
Matth.19.
Theoph.

16. Christus frequenter cum Discipulis ad Gethsemani hortum properabat, ideo Iudas quærens opportunitatem ad Magistri traditionem, ad hunc hortum accessit. *Sciebat enim locum, quia frequenter* IESVS *conuenerat illuc cum Discipulis suis.* Ioan.18. Cur illuc frequenter conuenerat Dominus? An vt à turba separatus Patrem exoraret? Ita planè. At ad rem addit Chrysostomus apposite. *Locum procul à tumultu deligebat, ne doctrina impediretur.* Cum Discipulis egreditur? (fatur Iudas) Docturus proculdubio de more pergit. Ergo locum deliget tumultu immunem nè aures Discipulorum excitato strepitu occludantur.

Cum Discipulos edocturus erat Dominus, ad solitudinem ideo petebat.
Ioan.18.
Chrysost.

Ait Herodotus stantem hominem ostentari, vt sententiam in tribunali attentè possit audire. *Stat reus ad sententiæ prolationem, ne attentionis defectu aliquod verbum elabatur.* Itaque statio hominis reuerentiam prætendit, & attentionem exprimit. Aod Saluator Israël ingressus est ad Regem Eglon. *Dixitque, Verbum Dei habeo ad te. Qui statim surrexit de throno.* Iudic.3 Præmiserat Textus, *Erat autem Eglon crassus nimis.* Quomodo tam grauis pondere crassitudinis statim è throno prosiliens tam leuis ostenditur? Certè quia audiuit Saluatorem Dei verba prolaturum: *Verbum Dei habeo ad te.* Vnde habitum stationis, quo attentionem animi exprimeret, prætendit. Adnotat Abulensis quæst.22. Caietanus, *Nuncius Dei quanto honore afficeretur, testatur assurrectio Regis.* Profectò nuncius reuerentia honoratur, sed verbum stantis attentione aptius, & vtilius auditur. 17.

Vel impius stat, vt reuereatur, & attente audiat Dei verbum.
Herod.
Iud 3.
Abulens.

Lapidum vulneribus actus D. Stephanus inclamat: *Ecce video cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei.* Act.7. Cur Dominus stans & non sedens potius, obiicitur? Petrus Damian. *Surgit ipse Rex Filius Regis & lapidantium acies interrumpens, triumphatori certaminis assistit.* Dominus assistit triumphatori, vt interrumperet lapidantium strepitum, ne Stephanus edocens Iudæos strepitu lapidum impediretur, auditores cœlesti informare doctrina. At stat, vt obiecto exemplo homines edoceret, quanta attentione essent Dei monita exaudienda. 18.

Stat Christus prædicante Stephano: vt edoceat Iudæos, reuerenter verba Dei audire?
Act 7.

OBSERVATIO II.
Ad illa verba:

Iam autem die festo mediante, ascendit Iesus in Templum.

Cum mundi festiuitas vergit in finem, Christus in Templum ascendit, hominibus ostentandus.

Tunc enim homines oculos acuunt ad salutis negotia aspectanda, cum vitæ, fœlicitatisque temporariæ finem instare agnoscunt.

IN Vrbe existens Dominus non apparet solemnitatis huiusce initio, sed cum incipit decli- 19.

Vim memo-

rio mortis expende ad hominum conuersionem.

nare. Quare obsecro? Quia si mysticè (ex Augustini mente) magnus festiuitatis dies fœlix vitæ humanæ cursus figuratur: cum ipsa fœlicitas iam vergit in finem aptius tempus ad hominum conuersionem exponit. Cum adolescentia feruet libidinis insania, haud assulet dari locus admonitioni salutari. Finis fœlicitatis nbucnut, senecta frigescens exponitur? Facilius Christo, eiusque monitis locus exhibetur.

20. *Expectat Deus ætatis feruoris mitigationem, vt sine obstaculo, facilius peccator adducatur ad pœnitudinem?* Ioan. 7.

Dixerat Dominus, *Ego enim non ascendam ad diem festum istum, quia meum tempus nondum impletum est. Hæc cum dixisset ipse, mansit in Galilæa. Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum.* Ioan. 7. Si tempus ascendendi impletum non erat, quomodo ad diem festum ascendit? Ascendit quidem, vt in occulto moraretur expectans ingressus ad Templum, docendique Iudæos opportunitatem. Vidit minimè aptum esse festi initium, id est, humanæ ætatis adolescentiam ob feruorem libidinis; ideo expectauit insaniæ mitigationem ex hoc instante senectutis. Pulchrè Theophylactus, *Principio quidem ascendere detrectabat, vtpotè feruentibus animis furore Iudæis. Post hæc autem cum festum*, seu hominum vita, *soluendum esset, ascendit: quando & insaniam atatis verisimile erat, mitigatam esse.* Beneficio Dei maximo quis ad canitiei peruenit maturitatem: quemadmodum supplicio afficitur qui intempestiuè abripitur ætatis primæ feruens insania. Cum ergo finis vitæ humanæ obiicitur, datur ad conuersionem opportunitas cœco peccatori, qui adolescentiam, ac virilitatem, Numini non litauit.

Theoph.

21. *Dum homines finem aspiciunt ætatis, vitæ, & fœlicitatis, custodiunt Dei præcepta.* Exod 31. Athan.

Moyses ait, *Custodiant filij Israel Sabbatum & celebrent illud in generationibus suis. Pactum est sempiternum inter me, & filios Israel, signumque perpetuum. Sex enim diebus fecit Deus cœlum, & terram: in septimo ab opere cessauit.* Exod. 31. Cur Sabbatum datur pro signo fœderis Dei cum hominibus: An non aptius primus dies, in quo lux fuerat creata pro signo fœderis daretur? D. Athanasius hom. ad illud: *Omnia tradita sunt*, &c. Respondet, *Vt cognoscatis, quod in hac die requieuit Dominus Deus vester ab operibus, quæ cœperat facere. Volebat autem sequuto istius creationis fine, initium quærere nouæ creaturæ.* Quam pulchrè. Vt Deus ab homine recipitur opportunius, oportet creaturarum omnium finem expectare. Contemplatio enim finis instantis hominem excitat ad compunctionem adducitque ad vitæ nouitatem! Domino in corde hominis quiescente.

22. *Assimile testimonium confirmant.* Ioan. 20.

Ex Ioanne confirmo profante: *Cum ergo sero esset die illa, vna Sabbatorum, & fores essent clausæ, Venit* IESVS Cap. 20. Cur *sero* Dominus Sabbatum terminatione instante præsentatur, & non Sabbati initio: An quia cum finis fœlicitatis, & ætatis humanæ instat opportunius tempus ad diuina monita audienda obiicitur? Gellibertus serm. 44 in Cant. *Istud ostium maximè aperitur* IESV, *quod aliis negotiis omnibus clauditur.* Ac si diceret, Cum homo videt, instante fine, ostium claudi fœlicitatis humanæ fruitioni: IESV pulsanti ostium satagit aperire.

Gellibert.

23. *sub vitæ vespera, sub ætatis fine dæmoniacus peccator festinus curatur!* Matth. 8.

Contestatur Matthæus, *Vespere autem facto, obtulerunt ei* IESV *multos dæmonia habentes.* Cap. 8. Quare diei terminatione salus quæritur ex IESV operatione victis tartareis hostibus? Nonne aptius accurrerent ægrotantes, actique ab horribili spiritu sole exoriente? Dixerat Dominus, *Sinite paruulos venire ad me.* Et qui expetit litari sibi pueritiam ante rationis vsum, adolescentiam caperet rationis expertem præsentati. At hominum malitia, qui spiritu tartareo aguntur sub vitæ termino, instante iam fine, anxiè ad Dominum properant. D. Hieronymus, *Omnes non mane, non meridie curantur; sed ad vesperam, quando Sol occubiturus est.* Quando humanæ ætatis fulgores, fœlicitatisque temporaneæ Sol properat ad occasum, assolent homines sese accuratius à seruitute dæmonis expedire. O senectus virtutis amica, inimica iuuenta sanctitatis!

Hieron.

Observatio III.

Ad illa verba:

Die festo mediante, ascendit Iesus in Templum & docebat.

Postquam Euangelista expressit Dominum ad Templum ascendisse, illico adiecit doctrinæ, seu prædicationi operam dedisse.

In Templo enim nihil gerendum, quod ad Dei obsequium non attineat.

NOn dixit Ioannes, *Ascendit* IESVS *in Templum*, & colloquebatur cum Iudæis, & aspiciebat, & ambulabat, & de negotiis agebat: Sed docebat auditores. Asserit Chrysostomus. *Iudæos, qui eum quærerant, repente eum vidisse docere.* Quippe qui Templum init, nihil in illo actutus est, nisi quod Templum decet, nempè orare, docere. Colloquia vana, vagatio sensuum, aspectus lasciuiam prætendens, curiositas vana omninò debet ablegari ab iis, qui Templum ingrediuntur. 24.

Chrysost.

Sponsa quærit vbi Deus in Templo accubet, vt illico incipiat orare, non vagari sensu. Cant. 1.

Sponsa clamat, *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie: ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* Cant. 1. Profecto locus, vbi IESVS oues suas pascit corpore, ac sanguine salutari, vbi cubat, & requiescit: Templum est, *Tabernaculum* quidem *Dei cum hominibus.* Curat dilecta noscere, vbi pascat, & cubet, id est. vbi nam Templum construatur, vt ingressa domum sacerrimam non incipiat vagari sensuum errore, sed illico actionibus Templo agnatis operam impendit.

25. *Aman non addicitur, quia in loco conuiuij non illico Reginam exorauit, sed accumbans deses.*

Contra Amanum *Rex* Assuerus iratus *surrexit, & de loco conuiuij intrauit in hortum arboribus consitum. Aman quoque surrexit, vt rogaret Esther Reginam pro anima sua; intellexit enim à Rege sibi paratum malum: Qui cum reuersus esset de horto, & intrasset conuiuij locum, reperit Aman super lectulum corruisse, in quo iacebat Esther: & ait, Etiam Reginam vult opprimere, me præsente in domo mea. Necdum*

verbum

verbum de ore Regis exierat, & statim operuerunt faciem eius. Esth.7. In cuius expositionem præmitto faciem Amani operiri, idem esse ex gentium more, ac neci destinari. Vndenam ergo misero tam repentina calamitas? An non quia in loco conuiuij Regij, quando supplex erat Reginam misericordiæ illico oraturus, accubans deses reperitur à Rege? Ingredere Templum & ora, ne aliis addictus vanis contra Templi religionem, morti æternæ, irato Rege, addicaris.

26. *Præcauet Deus, ne apud Templum sit aliquod sensuũ diuerticulũ mox creaturæ.* Deut.16. Hieron.

Vetuerat Deus, ne iuxta suum Altare lucus, aut arbor aliqua plantaretur. *Non plantabis lucum, & omnem arborem iuxta Altare Domini Dei tui.* Deut.16. Quare, precor, Deus noluit iuxta Altare arborum ornatum minimè apponi. Si religiosum est ramorum ac florum pulchritudine delubra exornare? Audi Hieronymum ad Ose.4. *In lege præceptum est, vt iuxta Altare luci, & arbores non plantarentur; ne voluptuosa religio austeritatem vnius, & veræ Religionis auertat.* E Templo tollitur quidquid sensus possit ad distractionem adducere, vt ingressus Templum illico des operam precibus.

27. *Ædificato Altari, mox Abraham dat operam sacrificio, nec ad filio vale dicendum distrahitur.* Gen. 22.

Abraham curauit Dei præceptum tradere executioni. *Pergebant ergo pariter* parens & filius Isaac: *& venerunt ad locum, quem ostenderat ei Deus, in quo ædificauit Altare, & desuper ligna composuit. Cumque alligasset Isaac filium, posuit eum in Altare super struem lignorum, extenditque manum, & arripuit gladium.* Gen.22. Cur non Altari ædificato, & desuper lignis præparatis? non vale dicit filio morituro: sed illico eum illigat, & quasi ex properanti animi impetu, manum extendit, & gladium arripit? Profectò vt edoceat apud Templum, seu Altare Domini nullæ actioni dandam esse operam, quæ ad ipsius Templi reuerentiam non pertinere videatur.

28. *Temporales cura ante Templi ingressum auferenda, vt illico studeas orationi, ac sacrificio reuerentiam listes.* Exod. 3. Origen.

Moysi indictum, *Ne appropies huc, solue calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, terra sancta est.* Exod.3. Cur Moses non permittitur ad sacrum, vbi Deus inerat, locum accedere, nisi prius calcei extraherentur? Origenes hom 8. in Gen. *Moyses cum venisset ad locum, quem ostendit ei Deus, non permittitur ascendere, sed antè ei dicitur, solue corrigiam calceamenti de pedibus suis. In quo illa forsassis est ratio: quod Moysi quamuis esset magnus, tamen de Ægypto veniebat, & erant aliqua mortalitatis vincula pedibus eius innexa.* Priusquam ad sacerrimum locum accedas? procura à te omnia mortalitatis vincula repellere, cunctas seculares curas abiicere, vt soli orationi, ac sacrificio obsequium litare valeas.

OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

Quomodo hic literas scit cum non didicerit?

Pharisæi, qui poterant IESV admirabilem doctrinam laudibus efferre, taxant, proferre eum quod non didicisset.

Quam proprium inuidi, ac calumniatoris, ad præclara quæque proximi oculos claudere, ad defectus vel minimos aperire!

ADmirabile Pharisæis obiicitur, Christum docere turbas, quod nun dedicisset; & non mirantur doctrinam ipsam cœlestem, qua mentes hominum illustrabat Theophylactus, *Non doctrinam admirabantur, neque quæ docebat, suscipiebant: sed admirabantur, quomodo literas sciret. Id quod solet inuidis accidere.* Inuidis calumniator prætermissis proximi virtutibus, solummodo carpit quod aliquam speciem minus fulgidam obiicit. Confingebant illi in Christo, quid possent reprehendere. Pono quod reprehensibile esset, eum qui non didicisset literas, edocere. Cur non potius admirabilem doctrinam extollunt? O inuidiæ ingenium vile! Præteris gloriosa quæque, piacula leuissima expetis aperiri. 29. *Detractores tax* Theoph.

Plutarchus lib. de curios. vitanda, cuidam curioso piaculorum proximi indagatori fatur: Cur non miracula naturæ obseruare gestis? Arbores hæ semper coma ornantur, illæ autumni iniuriis caluæ omninò obiiciuntur. Heraclius lapis siue magnes ferrum attrahit. Calx viua non extinguitur aqua, sed ardet. Cur ergo hæc naturæ pulcherrima miracula non obseruas, sed hominum piacula ponderanda intueris? Quam aptè respondet! *Fortassis eam ob causam non es harum rerum natura curiosus, quod in his nihil sit mali.* An non Moyses vniuersas approbat ex ore Conditoris creaturas? *Vidit Deus cuncta, quæ fecerant, & erant valde bona.* Gen.1. Circa res illas vbi ab inuidis non reperitur (quia ad eos non attinent) defectus aliquis, non versatur eorum obseruatio diligens. Offenderet eos lucis pulchritudo, Solis ac Lunæ influxus: carperent tenebrarum vicissitudinem, defectum Lunæ, Solis æstum conspurcare curarent. 30. *Vbi omnia sunt pulchra inuidus non obseruat.* *Inuidus solũ mala notat.*

O muscas morientes! Ecclesiastes inquit, *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti.* Cap.11. Periander cecinit detractores muscis comparandos. *Muscæ sunt detractores.* Ex Alciatos eos expressit hominis abigentis muscas imagine, hac quidem inscriptione: *In detractores.* Quid detractori cum muscis D.Basilius hom. de inuid. *Muscæ, sanis corporis partibus neglectis, ad vlcera contendunt.* Vidisti primum purpureum pulchritudini fœminarum iura decernere, floridæ ætatis simulacrum exponere? Heu! particula humoris noxij vulnere afficitur, ægra ostentatur. Vulitantes muscæ relicta purpurea pulchri 31. *Instar muscarum putrida solũmodo vulnerant, absumunt.* Basil.

pulchritudioe, vbi spatiari possent vnicam tenuntur in tabem. Detractorum ingenium. Hæ muscæ ad vnguenta suauissima dum properant moriuntur fragrantia, ideo ad putrida quæque volitant, putredine viuentes.

32. Euæ Serpens profatur. Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradisi? Respondet mulier, *De fructu lignorum, quæ sunt in paradiso, vescimur: de fructu verò ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus.* Gen. 3. O muscam mutitatam! Aderat apud Diuinæ prouidentiæ pulchritudinem munificentia ineffabilis traditarum omnium arborum ad vescendum, quam posset collaudare: & solam abnegationem vnius arboris respicit, vt detrahat. Lipomanus pulchrè, *Non se tam gratam ostendebat pro tot, tantisque concessis in paradiso fructibus, quam querulam, & impatientem de vno negato se se ostendebat.*

Eua, muscæ in morem, non laudat munificentiam Dei, sed carpit vetitum ligni interdictionem. Gen. 3. Lipom.

33. D. Basilius asseruit lapidem è monte sine manibus excidentem esse murmuratorem. Quid ergo cum lapillo detractori? Fatur Daniel, *Statuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem, & brachia de argento, porrò venter & fœmora ex ære, tibia autem ferrea, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. Abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus eius ferreis & fictilibus.* Cap. 3. Cur, ò lapis offensionis, non properasti in caput aureum, in pectus aut brachia argentea, fœmora ærea? Ad ferrum & lutum peruolasti; quid tibi cum ferro & cum luto? Sum planè detractoris imago: *Busco los yerros, y flaquezas*, Quam aptè Basilius hom. de Inu. *Vita splendorem, rectèque factorum pulchritudinem nec aspiciunt quidem: ad marcida verò mirandum in modum feruntur.* En voluntatem lapillum muscarum imitatorem.

Detractor lapis est in-fima, & ferrea statuæ vulnerans, auro & argento intactis. Dan. 3. Basil.

34. Pulchram accipe confirmationem. Filij Iacob ad Ægyptum pergunt empturi frumenta, in conspectu ignoti Ioseph fratris apparent. Fatur Protex, *Exploratores estis, vt videatis infirmiora terræ venistis.* Gen. 42. Vbi Lytanus quærit, num mendacio Iosephus se se polluerit? Respondet, *Aliqui excusant Ioseph à mendacio. Dicunt enim quod intelligebat, quod in veniendo explorauerunt viam meliorem, & securiorem. Sed excusatio hæc omnino extorta, nec liberat eum à mendacio.* Denique auctor asserit leuiter Iosephum in veritatem deliquisse. Ast crediderim locutum mysticè Patriarcham vocitantem fratres *exploratores. Vt videatis infirmiora terræ venistis.* Recordatus enim fraternæ inuidiæ, mente euoluit, fratres somnia taxauisse, cum haberent plura documenta, ex quibus Iosephum possent commendare. Obedientia ille eximius, puritate egregius, fraterna charitate fulgidus, semel somniauit se à Sole, Luna, Stellisque adoratum. Fratres autem proclamant: *Ecce somniator venit.* Cur non dixistis, ecce obedientissimus, ac prudentissimus adolescens venit, à patre plus nobis dilectus, quia in senectute virtutum progenitus apparuit. Profectò quia detractor inuidus explorator est, qui cæcus ad illustria, vt videat *infirmiora terræ* venit. Ergo Ioseph haud fuit mendacij reus fratres vocitans exploratores.

Fratres Iosephi instar muscarum, exploratores venerant: terræ infirmiora eum inuidebant fratres; ideo Ioseph non est mentitus. Gen. 42.

OBSERVAT. V.

Ad illa verba:

Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me.

Christus suam vocat doctrinam, quam docebat: non suam; quia à se inuentam non esse, sed à Patre acceptam profitetur.

Vera enim sapientia non inflat Doctorem, sed eum efficit fulgere humilitate.

SI tua, Domine doctrina est, quam profers, & in admirationem auditores abripis: cur 35.
non tuam proclamas? *Mea doctrina non est mea.* Maldonatus appositè, *Verissimum sensum arbitror, qui simplicissimus est; vt suam vocet, quam docebat: non suam, id est, non à se inuentam, sed acceptam à Patre.* Hinc Dominus suæ sapientiæ veritatem ostentat. Veræ namque sapientiæ agnitus humilitatis affectus. Qui fallaci scientia ornatus apparet, studet vanis laudibus aucupandis, iactitat se sapientiæ fontem. At qui veram acquisiuit sapientiam quæ Sanctos decet, se omnino vacuum profitetur, vel si plenus ab aliis esse exponitur: asserit à Deo scientiæ fulgorem accepisse. Maldon.

Clamat Iacob post luctam, *Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.* 36.
Gen. 32. Vbi asserit D. Cyrillus hom. habita in Concil. Ephes. tom. 6. cap. 5. illa particula, *Et salua facta est anima mea* sapientiam, qua imbutus fuit inibi Patriarcha denotari. *Mox Spiritu sancto reuelante, incarnationis mysterium intelligebat*, vnde animi salus. Veram sapientiam accepit. Mox ergo profitebitur, doctrinam suam non esse suam, sed eius qui Christum immiserat. *O sapientiam sanctis dignam. Exclamat Patriarcha, Deum facie ad faciem vidi.* En veracis meæ sapientiæ magisterium. Nihil sibi arrogat verus sapiens, sed omnia luminis fonti numini attribuit.

Iacob vera sapientia imbutus, mox se à Deo accepisse profitetur. Gen. 32. Cyril.

Cecinit Anna, *Deus scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes.* 1. Reg. 1. Quænam cogitationes Domino præparantur? Profectò cogitationes eorum, qui vera donantur sapientia, Domino submittuntur, dum docti homines nihil sibi arrogant, sed omnia se è fonte sapientiæ accepisse profitentur. Bernardus serm. 19. in Cant. *A Cherubinis propterea Deus diligitur, quia scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur*, &c. Cherubin *scientia plenitudo.* O quam verax ostenditur sapientia, quæ Deum Magistrum humili submissione recognoscit! 37.

Veri sapientis cogitationes Deo tribuuntur. 1 Reg. 1. Bernard.

An putas, huiusmodi humilem submissionem doctis ac doctis hominibus inhærescere? O rarus sapiens, qui à Deo, aut ab alio doctiori homine se accepisse doctrinæ dogmata fateatur. Vndè Maldonatus in præsenti adiicit, *Morale, non necessarium argumentum est. Fieri enim potest, & verò ita fieri deberet, vt aliquis eius sententia, quam inuenerit, non ad se, sed ad* 38.

Rara humilitas in sapiente. Maldon.

Deum

Deum referat. Sed hoc rarò accidit, contrarium morale est.

39. *Ruth eligitur in Iesu parentem, quia sapientiæ Domini imitata est humilitatē.* Matth. 1. Ambros.

Matthæos genealogiam Saluatoris recensens, profatur: *Booz autem genuit Obed ex Ruth.* Cap. 1. Cur Ruth vidua alienigena IESV eligitur in parentem, si aptius virgines Hebrææ poterant assignari? Respondet Ambrosius ad cap. 3. Luc. *Ruth introuit Ecclesiam & facta est Israëlites, & meruit inter maiores Dominici generis computari, propter cognationem mentis electa, non corporis.* Vndenam Dominici intellectus retulit illa similitudinem? Prædicator Roth mulier esse virtutis, id est prudentiæ, ac sapientiæ, quam ostendit, dum sciuit Booz coniuglum sibi præparatę. At Christi sapientiam humilitate fulgens imitatur, qui se humili affectu è Patre accepisse proclamat: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me Patris.*

40. *Ioannes ex mira humilitate sapientissimus ostēditur.*

Ioannes Euangelista tam sapiens è Domini euasit Schola, vt meritò Theologi nomen fuerit adeptus. Profectò quo doctior Apostolus eo humilior ostenditur, asserens sapientiam tantam è fonte donorum cœlestium profluxisse. Ei libet signaculis septem obseratus obiicitur, & ait: *Nemo poterat neque in cælo, neque in terra aperire librum, neque respicere illum. Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inuentus est.* Apoc. 5. Quid igitur? Theodoricus in vita S. Trud. lib. 1. cap. 1. apud Sur. *Conuersus ad Deum clauem omnis scientiæ, frequentibus non cessabat suspiriis exorare, quatenus in cubiculum Regis inducere, & libri illius signacula sibi dignaretur reserare.* Post tam eximiam scientiæ communicationem sibi à Deo impensam, quasi se vacuum agnosceret, & omninò clausum fontem crederet; clauem sibi tradi fontis efflagitat. Tantæ humilitati tam augusta sapientia debebatur.

Apoc. 5.

Theodor.

41. *Fallaci sapientia plenus est, qui superbia laborat.* Bernard.

Eritis sicut Dij scientes (serpens ait) *bonum, & malum.* Gen. 3. Adeò hinc homines circa scientiæ præsumptionem infecti, vt nullum sibi homuntionem asserant se posse superare. O serpentis ipsius imitatores. O veraci sapientia vacui Doctores! Bernardus serm. 4. de Ascens. *Pessimus mons inflans scientia est, in quem ascendebat, qui voluit esse sicut Deus sciens bonum & malum. Quem vsque hodie filij eius accumulant, & eleuant, nihil inuenientes tam vile, vndè non vellent montem eleuare scientiæ. Videas alium mundialis curæ: Illum sordibus cuiuslibet artis, tam vehementer affectare scientiam, vt laborem non reputet tantummodo vt possit aliquibus doctior reputari. Sic ædificant Babel, sic putant, ad Dei se peruenturos similitudinem: sic concupiscunt, quod non expedit; quod expedit amittentes.* Hactenus Pater.

OBSERVAT. VI.

Ad illa verba:

Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquor.

Rectè operantibus, id est, Dei voluntati obsequentibus vera scientia promittitur à IESV.

Ille enim veræ sapientiæ fulgore ornatur, qui vitæ recta exprimit actiones.

AVgustinus, *Si quis parum intellexerit, audiat consilium hoc. Si quis voluerit, ait, voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina mea.* Si rectè viuis, protinus veræ sapientiæ cognitione donaberis. Chrysostomus, *Quasi diceret, auferte iram, & inuidiam, & odium, quod in me habetis, & nihil erit, quod prohibeat vos cognoscere, quoniam Dei verba sunt, quæ loquor.* Quàm vere Dauid, *Intellectus bonus omnibus facientibus.* Psalm. 110. 42. August. Chrysost.

43. *Cherubim necessariò amat, quia vere sapit.* Bernard.

Seraphim quid? *Plenitudo amoris.* Quid autem Cherubim? *Plenitudo scientiæ.* Quæsierim, an Cherubim sapientia pleni Deum diligant ardentissimè. Respondet Bernardus serm. 19. in Cant. *Diligitur à Cherubim.* Imò crediderim necessariò ardentissima dilectionis flamma succendi Cherubinos; quia veræ sapientiæ luce intellectu illustrato, succenditur voluntas ad operationem charitatis.

44. *Iob verè sapiens obijcitur, quia Euangelij obseruator ostenditur.* Iob 1. Chrysost.

Iob olim *consurgens diluculo, offerebat holocausta per singulos. Dicebat enim, Ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis.* Cap. 1. Vbi pulchrè D. Chrysostomus hom. de Iob & Abia. *Iob apparet Spiritu sancto edoctus.* Quænam expressit veracis acceptæ à Spiritu sancto doctrinæ documenta. Respondet Doctor, *Longo antè Euangelij prædicationem præcessit, sed Euangelium seruauit cum cogitationibus certando, & de internis cogitationibus solicitus erat, quasi Euangelium spectans. Dicebat enim, Ne forte filij mei male cogitauerint in cordibus suis.* Qui tantæ perfectioni vitæ studebat, vera sapientia Spiritus sancti plenus obiiciebatur. *Iob apparet Spiritu sancto edoctus.*

45. *Ficta promittitur sapientia ei, qui deberet Dei transgredi voluntatem.* Matth. 4. Cassian.

Fallax Spiritus Christo omnia Regna mundi ostendit. *Assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia Regna mundi, & gloriam eorum, & dixit: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Matth. 4. Vbi Cassianus Col. 15. cap. 6. *Elegantissime hoc congruit cum illo, quod promisit Adamo* si transgrederetur præceptum. *Illi namque dicitur fallaciter, Aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij; huic ostendit omnia Regna mundi, & ait: Hæc omnia tibi dabo.* Vndenam fallacia? Quia malè operanti non datur verus honor, nec gloria vera ex creaturis: Sicut voluntatem, ac præceptum Dei transgredienti non data est vera scientia boni & mali, quæ Dei decet sapientiam. Nullatenus enim veraci scientia impletur, qui cordis non fulget puritate.

46. *Diabolus haud vera sapientia est præditus, quo fugio iniquum.* Zeno.

An serpens ipse tibi videtur vera præditum esse sapientia? Qui peccato inficitur, fallaciter sapiens appellatur. Elegans de D. Zenonis testimonium serm. 1. de Natiuit. *Christus latenter in mundum intrauit, ne sibi sapiens verè diabolus videretur. Vt quomodo homo in paradiso non cognouerat diabolum, sic & diabolus in sæculo non cognosceret Christum.* Quomodo enim ve-

raci sapientia poterat esse plenus, qui plenus est iniquitate?

47\. *Qui auaritia inficiebatur quomodo sapiens, & non potius stultitia plenus?* Luc. 12. D. Thom.

Auaro illi, qui mente voluebat futura ex abundantia commoda, Deus ostendit illam intellectus actionem verè sapientiam, aut prouidentiam non existere. *Anima* (aiebat ille) *habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.* O sapientis prouidentia mirabilis! Imò ò stultitia iniquissimi hominis auaritia pressi! *Stulte* (inquit Deus) *hac nocte animam tuam repetent a te: quæ autem parasti, cuius erunt?* Ad quæ D. Thomas, *Audi conueniens tibi stultitiæ nomen, quod tibi nullus imposuit hominum: sed ipse Deus.* Deus nomen imposuit? Ergo ipsum est nomen eius essentiæ animantis conueniens. Verè stultus est, qui auaritia laborat. *Intellectus enim bonus omnibus facientibus.*

48\. *Christus, vt se ostendat peccatorum gerere imaginem, se ignorantem simulauit.* Ioan. 11. Hieron.

Ex mente Hieronymi Christus cum plorauit iuxta Lazari emortui sepulchrum personam peccatoris gessit gerens morem Lazari ipsius, in quo verax peccatoris elucebat imago. Vndenam ergo Dominus se peccatoris personam gerere ostentauit? Fatur ipse, *Vbi posuistis eum?* Ioan. 11. Vbi acute Pater. *Iudæis Deitatem celat in homine, & splendore diuinitatis in tanta operationis coruscatione ignorantiam mortalitatis obducit. Vt cum possit in suscitando Lazaro Deus adorari, homo in sepulchri ignoratione vilesceret.* Dum ergo se ignorantem obiicit, se peccatoris imaginem præ se ferre ostendit; quia peccato agnata est stultitia.

49\. *Qui sicut Adam pactum Dei transgreditur, haud sapiens apparet.* Ose 6. Philip.

Oseas adhæc, *Volui scientiam Dei plusquam holocausta. Ipsi autem sicut Adam trangressi sunt pactum.* Cap. 6. Velle Dei scientiam, idem est, ac velle sanctitatem: ac si diceret, Cupio Dei scientiam accipere, vt me sanctum ostendam dissimilem planè illis, qui sicut Adam transgressi sunt pactum, vnde se stultos ostentarunt. Philippus Abbas epist. 3. *Rectè qui sicut Adam, prudenter non verentur peccare, pactumque transgredi: Scientiam non habere perhibentur; sed insipientia laborare: non argumentum scientiæ sit, non si qui de scripturis multa, & veracia volubiliter eloquuntur; sed si, percepto earum sensu consensu morum affectuosius obsequuntur.* Bonis operibus studere procura, si expetis veracis sapientiæ illustrati fulgore.

50\. *Christus sapiens apparet, quia legis obseruator ostenditur.* Arnol.

Bellè Arnoldus Tract. 5. de verb. Dom. Ioannis testimonium expendit, *Quis ignorantiæ loquutus eras, cum ipsis inquirentibus, quomodo literas nosses, quas non didiceras: diuina sapientia hoc ipsum documentum esse, quod te, quem in Scholis nunquam viderant eruditum in lege obseruata probarent.* Te probat doctum ac sapientem accurata legis obseruatio.

SECTIO SECVNDA.

Defensio operum IESV.

TEXTVS.

VERS. 19. NOnne Moyses dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem? 20. Quid me quæritis interficere? Respondit turba, & dixit: Dæmonium habes, quis te quærit interficere? 21. Respondit IESVS, & dixit eis: Vnum opus feci, & omnes miramini. 22. Propheta Moyses dedit vobis circuncisionem (non quia ex Moyse est, sed ex Patribus) & in Sabbato circunciditis hominem. 23. Si circuncisionem accipit homo in Sabbato, vt non soluatur lex Moysi: Mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in Sabbato? 24. Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate. 25. Dicebant ergo quidam ex Ierosolymis, non ne hic est, quem quærunt interficere? 26. Et ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt. Numquid verè cognouerunt Principes, quia hic est Christus? 27. Sed hunc scimus, vndè sit: Christus autem cum venerit, nemo scit, vnde sit. 28. Clamabat ergo IESVS in Templo docens, & dicens: Et me scitis, & vndè sim scitis; & à me ipso non veni, sed est verus qui misit me, quem vos nescitis. 29. Ego scio eum, quia ab ipso sum, & ipse me misit. 30. Quærebant ergo eum apprehendere: & nemo misit in illum manus, quia non dum venerat hora eius. 31. De turba autem multi crediderunt in eum.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Queritur Dominus de iniqua Iudæorum intentione.

1\. *Varias sententia interpretationes.* Chrysost.

NONNE *Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem:* Difficilis sententiæ variæ interpretationes. Chrysostomus hom. 48. asserit Christum à Iudæis in duobus esse reprehensum, in doctrina, quod se Patri æqualem efficeret, & in operibus, quod Sabbatum violasset. Verbis prioribus ad priorem calumniam respondit. Ad posteriorem autem sic: Vos me legis transgressionis acusatis; at maioris estis transgressionis rei; dedit enim Moyses vobis legem quam non seruatis, *quæritis* enim *me interficere.*] *Ego si legem solui, hominem liberaui, vos soluistis, innocenti necem præparando.* Hæret Cyrillus lib. 4. cap. 46. Augustinus Cyrill. August.

stinos autem, *Votis* inquit, *Moyses dedit legem, & non seruatis; si enim seruaretis, in ipsa me agnosceretis, & non quæreretis occidere.* Recentiores in hunc modum: *Nonne Moyses vobis dedit legem, & tamen eam nemo seruat, quod vel eo patet, quia me interficere quæritis; non ergo mirum, si non cognoscatis doctrinam meam, a qua sit, quia legem, Deique voluntatem non facitis.* Alij, *Moyses dedit vobis legem, & ei non paretis: non tamen propterea succensetis Moysi, qui talia vobis mandauit. Nam ille quæ iussit Deus fecit, cur ergo me quæritis interficere, quia quæ vobis displicent, & minus grata sunt, dico? nam & ego à me ipso hæc, sed a Deo accepi, & Patris mandata annuncio.* Nostri temporis alij, *Moyses legem vobis dedit, & non seruatis, sed contemnitis eam: quid ergo me zelo legis occidere quæritis?* Denique alij, *Non mirum, si meam doctrinam non recipiatis, quandoquidem legem Moysis, quem vos mihi præfertis, contemnitis; quod eo maximè patet, quod me quæritis interficere.*

Recent.

2. Ast ego cum Toleto, & aliis ex societatis Interpretibus sic connecto, & expono. Se Dominus veracem & iustum in doctrina & operibus affirmarat: vnde arguit Iudæos iniustitiæ, & transgressionis ex eo quod eum satagant interficere. Nonne (ac si diceret) legem habetis, quam Moyses tradidit? Cur nemo ex vobis eam seruat? si enim seruateris, non me quæreretis interficere; nam insontem lex necari probibet. *Nemo facit legem.* An omnes delinquentes? Toletus, *Ad incredulos, & persecutores hæc verba Dominus dirigit.*

Aucthoris expositio.

Tolet.

3. *Respondit turba, & dixit: Dæmonium habes, quis te quæ interficere?*] Quorum nam hæc vox? Cyrillus lib. 4. cap. 47. Eorum, qui interficere quærebant; scientes enim crimina sibi illata, ad negationem aufugerunt. *Vnde negatio hæc fuit malignitatis, impietatemque impietati addunt, quasi mendacem eum appellantes.*

Quorumnam hæc vox? Cyrill.

4. Assero, eos qui responderunt, de numero eorum nō fuisse, qui quærebāt occidere: erat enim humilis turba, cuius non erat legis transgressionem vindicare. Porrò Pharisæi, & Principes illi huius erant rei criminis, propterea turba ita acerbè respondit, quia se tanti criminis agnoscebat immunem. Dominus autem non turbam simplicem sed Pharisæos iniquos legis Doctores, ac Iudæorum Primores taxare intendebat.

Vox turbæ humilis non Pharisæorū.

5. Cur ergo ad illos distinctum non direxit sermonem? Respondeo ex D. Gregorio lib. 13. Mor. cap. 3. profante. *Nisi Prædicator sustineat, quando proferre congrue correptionem possit: auget in eo malum, quod insequitur. Sæpè enim contingit, vt talis sit, qui nulla increpationis verba sustineat. Quia igitur in huius culpa Prædicatori agendum est, nisi vt in sermone admonitionis, quem pro communi salute omnium auditorum facit, tales culpas ad medium deducat, quales eum perpetrasse considerat, qui & præsto est, & de se solo argui non potest, ne deterior fiat; & cum generaliter contra culpam inuectio intenditur, correptionis verbum libenter ad mentem ducitur, quia potens prauus ignorat, quod sibi hoc specialiter dicatur.* Egregiè planè. *Dæmonium habes.* Dæmon (simplex ait turba) te instigat, vt hæc profetas; nemo enim nostrum te quærit interficere. Cur tribuerunt Dæmonio? Quia ipsius est mendacia, & falsa testimonia, ac calumnias imponere, propterea in eum quod dæmonis ducatur spiritu, conuitium iactant.

Concionatoris prudentia dum generaliter & in communi carpit, quæ in particulari ægre acciperentur. Gregor.

Cur dæmonio tribuitur Christi sermo?

§. II.

Probat Dominus, se non violasse Sabbatum, ex Circuncisionis exemplo.

6. RESPONDIT IESVS, *& dixit eis. Vnum opus feci, & omnes miramini.*] Causam, quam occidendi Dominum Iudæi prætexebant, proponit. Dixi, vos iniquè, & contra legem me occidere expetere, & procurare: hanc vobis iniustitiam ostendo. *Vnum opus feci*, nempè paralyticum Sabbato sanaui, *& propter hoc omnes miramini*, seu perturbati estis, & tumultuamini, quasi Sabbatum, & legem sim transgressus. *Vnum opus feci*, non habetis quicquam aliud contra me, nisi hoc vnum. Vno opere omnes turbamini? *Admiratio hæc* (ait Toletus) *non est in bonam partem, sed in malam, quia tumultuabantur, & perturbabantur contra Christum.* Ex Chrysostomo hom. 48. accepit.

Ostenditur Iudæorum iniustitia circa Iesu necem.

Tolet.

7. *Propterea Moyses dedit vobis circuncisionem, non quia ex Moyse est, sed ex Patribus; & in Sabbato circunciditis hominem.*] Euidenti argumento probat, se non esse legis violatorem, eo quod hominem sanarit in Sabbato. Vos vtimini circuncisione non tanquam à Moyse instituta, sed à Patribus; non enim erat proprium opus legis, sed Patrum, & propterea ille vobis dedit eam; & tamen in Sabbato, quod Moyses præcepit, circunciditis, nec legem Moysis vos violare putatis; quia quod fecerunt Patres, geritis. Concludit, si ergo circunciditis hominem in Sabbato, nec ex hoc sequitur transgressio legis Mosaicæ, quia à Patribus fuit illa circuncisio; cur mihi succensetis, quasi legem Mosaicam sim transgressus, quod hominem totum saluum fecerim in Sabbato, cum sit hoc opus circisione præstantius? Ex Cyrillo lib. 4. cap. 49. Chrysostomo hom. 48. & Euthymio collegi expositionem.

Probat euidenter, se non esse legis violatorem.

8. Multam Doctoribus particula *Propterea* difficultatem ingerit. Ast ego mutens expositionum varietatem sic efferendam puto cum Cyrillo citato: *Propterea*, id est, idcirco seu ea de causa dedit vobis Moyses circuncisionem, non quia erat ex se sed quia erat ex Patribus; & tamen vos in Sabbato circunciditis, quamuis illa sit Patrum, Sabbatum autem sit Moysis. Difficilem sensum inculcare, operæpretium fuit.

De particula Propterea.

9. *Si circuncisionem accipit homo in Sabbato, vt non soluatur lex Moysi: mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in Sabbato?*] Si homo accipit circuncisionem Patrum in Sabbato, & non hinc sequitur, vt soluatur lex Moysi præcipientis Sabbati obseruationem: non debetis me taxare, nec Sabbati reputare violatorem, si totum hominem sanum feci in Sabbato. Maius enim opus est hæc curatio, quam Patrum circuncisio. Et si circuncidentes Sabbato, non existimatis vos transgredi legem Moysi: profectò nec me debetis eam esse transgressum iudicare. Particulam illam *Totum hominem*, opponit circuncisioni, quæ non totum hominem sanabat; Imo si ipsa sola circuncisio consideretur, corpus lædebat, quamuis animam sanaret fidei Christi venturi virtute. Si autem medicamentum, quod

Circuncisionis exemplo concludit.

Particula Totum hominem opponitur circuncisioni partis.

vulneri sanando tunc adhibebatur, consideretur: opus quoddam erat, & totum corpus non sanabat, sed particulam. At Christus paralyticum totum sanum fecit, & quantum ad totum corpus tam graui morbo vexatum, vt nec ad piscinam liberè valeret accedere; & quantum ad animam, quia eum à peccato liberauit. Vnde fatur, *Ecce iam sanus factus es, noli amplius peccare.*

§. III.

De iudicio secundùm faciem vitando.

10. *Quid, secundum faciem, indicaret Cyrill. & alij.* NOlite iudicare secundùm faciem.] Ex Cyrillo lib.4 cap.51. Chrysostomo hom.48. Enthymio, Maldonato, Toleto, Cornelio, ac Barradio sic sensum elicio. Poterant Iudæi respondere, Circuncisio est Patrum, & à Moyse etiam confirmata, propterea Sabbato circuncidimus, nec transgressionem legis existimamus Patrum suffulti auctoritate. Per præoccupationem Dominus diluit. Nolite iudicare secundùm faciem, id est, in acceptione personarum. Sed iustum iudicium iudicate, id est, considerate opera ipsa, quæ Sabbato fiunt. Circunciditur homo ex vna parte, ex altera vero homo triginta octo annos habens in graui infirmitate breui temporis interstitio sanatur, vt grabatum valeat comportare. An negei quis, diuinius, mirabilius, potentiúsque hoc opus existere? Si ergo licuit vobis illud in Sabbato exercere, cur hoc mihi non licuerit? Scio vos recurrere ad personas. Circuncisio Patrum est, hoc opus est tuum, quem nos multò Patribus inferiorem existimamus. Hoc iam est, iudicium in personarum acceptione accipere. Nam opera sunt, per quæ fit transgressio, si aliqua est; non personæ.

11. *De particula Ergo.* *Dicebant ergo quidam ex Ierosolymis: Nonne hic est, quem quærunt interficere? ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt.*] Particula *ergo* causam huius admirationis indicat, ac si diceret: Quia viderunt, & audierunt Christum liberè loquentem, & arguentem: propterea mirati hæc dixerunt. Quinam hi? Non de Galilæis, nec de iis, qui ex locis extra Ierosolymam venerant, esse narrat Euangelista: Sed de Iudæis ipsis, qui Ierosolymæ habitabant. Cùm enim continuè in vrbe morarentur, facilè potuerunt, intelligere, quod Principes iam multo tempore parrare parabant.

Quinam hi, qui hæc protulerint

12. *Chrysostomi sententia nō probatur.* Quidam Græci codices habent, *Quidam de Ierosolymitis.* Sic Chrysostomus, & Euthymius legerunt. Hos Chrysostomus reputat, de numero eorum, qui in Christi necem Principibus consenserant, extitisse: propterea que Euangelistam Ierosolymitanorum egisse mentionem, vt eos miserabiliores fuisse cæteris significaret. Non video, qua ratione id probetur; cum enim essent de turba, quamuis de numero eorum, qui erant increduli, non video, quonammodo in Iesv necem consenserint. Nondum enim Principes de nece Christi cum turba aliquid tractauerant. An vult Chrysostomus eos neci consensisse, quia Principum de Iesv occidendo propositum approbabant? Probabile id. Vulgares enim assolent probare, aut reprobare suis priuatis iudiciis Principum actiones, & vota.

13. *Quāta Principum rabies* *Numquid verè cognouerunt Principes, quia hic est Christus?*] Duo hisce in verbis sunt adnoanda. Vnum, quanta fuerit contra Iesvm Principum rabies, & quam egregia ipsius Christi virtus, qua eos compressit, vt Iudæi illi huius effectus talem causam excogitarint: Maxima, inquiunt, diligentia, & rabie Iesvs ad necem quærebatur, & nunc tam liberè locutus aduersarij obmutescunt? Nouerunt ergo iam Principes, hunc verum Messiam, & Christum Domini. *contra Iesvm.*

14. Alterum, hosce de turba, qui id proferebant, deceptos valdè fuisse; putabant enim, Principes odio habere Christum, & eum ad necem requirere zelo veri Christi, quia nempè se Christum faceret, cum non esset. Si zelus talis fuisset, rectam sibi causam proposuissent. Nam si iam nouerant, verum esse Christum, sequebatur planè, vt odium deponerent, & ad necem non quærerent: Sed potius ipsi se submitterent. Huiusmodi zelo Principes non succendebantur, fingebant quidem, vt deciperent turbas. *Vulgus valdè deceptum circa Principum intentionem.*

15. *An potest esse Christus ille, quem sciunt, vnde sit* *Sed hunc scimus, vnde sit: Christus autem cum venerit, nemo scit, vnde sit.*] Ergo iste Christus esse non potest. Iam rem eo perductam esse fatentur, vt si nescirent, vnde Iesvs esset, Christum esse reciperent, & coulentirent. Nescire oporter, inquiunt, vnde sit, vt verus sit Christus. Nihil contra vitam, & mores, nihil contra doctrinam opponunt, nihil in illo inuenerant, quod Christum dedeceret: hoc solùm inuenere, quòd sciunt, vnde sit; si nescirent, omnia rectà se haberent. Quàm ignorantes, qui ad Christum excipiendum quæritant ignorantiam? Particula *vnde* non locum significat, sed originem. Existimabant autem neminem, quando Christus veniret, eius parentes cognoscitarum, sed repentè, ignotis progenitoribus mundo præsentandum.

16. *Vndenam error vulgaris ille orteri* Isa.53. Vndenam, precor, hoc sibi persuaserint? An ex Scripturis malè intellectis? Generationem eius quis enarrabit? Isa.53. *Egressiones eius à diebus æternitatis.* Mich.5. Sciebant venturum de progenie Dauid, & de loco Bethleem: tamen ex quibus parentibus ignotum iri putabant. Inferius obiiciunt, *Hunc nescimus vnde sit.* Ioan 9. Ergo iam Christum verum profitentur. Chrysostomus hom.49. eos sibi contradicere existimat tanquam furore ebrios, & insanos. At horum verborum alium esse sensum crediderim: *Nescimus, an à Deo missus sit.* Sic exposuit Toletus. Addiderim verba illa esse Pharisæorum, hæc autem vulgi imperiti, & scripturarum ignari. Ioan 9. *Obiectioni respondetur* Tolet.

§. IV.

De Iesv clamore in Templo.

17. *Cur clamat Dominus* CLamabat ergo Iesvs in *Templo docens*, & *dicens.*] Cur Dominus clamorem exciarit? Videt omnia, quæ Christus facturus erat, de ipso confiteri: hoc vno autem impediri, quia scirent, vnde esset: propterea clamat, quasi ex eis reportans victoriam. *Ergo.* Clamabat propter illorum dicta, qui nihil aliud opposuere. Docet clamore hoc, se etiam id habere quod requirunt, nempè se nescire eum, vnde sit; vt nulla re deficiente, Christum eum possent abnegare. *Particula ergo vn.*

18. *Et me scitis, & vnde sim scitis, & à me ipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis.* *Ostendit, illos*

nescire, quis sit, & vnde sit *nescitis. Ego scio eum, etsi dixero, quia nescio eum, ero similis vobis mendax, sed scio eum, quia ab ipso sum & ipse me misit.*] Ostendit Christus, eos nescire quis sit, & vndo sit. *Et me scitis, & vnde sim scitis*, id est, affirmatis, vos scite me, & vnde sim; quia meos parentes vos agnoscere existimatis. Et tamen *ego à me ipso non veni, sed misit me, qui verus est*, siue Deus implens, quæ promiserat; & hunc vos nescitis. Ac si diceret, Ego non sum merus homo, qualem me esse arbitramini: sed Filius Dei missus à Patre propter implendas promissiones vestris Patribus factas. Et hunc *vos nescitis*, id est, haud scitis esse Patrem meum. Non est ergo verum, quud putatis, nempe vos me & à quo sim, scire, qui filium Ioseph me esse existimatis. At ego *scio eum*, quia ego sum ab ipso, id est, genitus ab eo, & verus filius eius, & missus in carnem homo factus. Nam *si dixero* me nescire eum, *ero mendax* sicut & vos estis mendaces, dum dicitis, scite me, & vnde sim. Illi itaque nesciunt vnde sit Christus, & originis fontem ignorant; quia originem ducit cœlestem, & à Patre est, quem nemo vidit præter ipsum Filium; & qui affirmabant, Patrem eius scite, mentiebantur: sicut ipse mentiretur, si se Patrem scite negaret.
Lectionis varietas. Apud Græcos codices clausolam illam: *Ego scio eum, & si dixero, quia nescio eum, ero similis vobis mendax*, non inuenio: nec Chrysostomus,
Chrysost. nec Augustinus exponunt. Forsan relicta, quia in octauo capite repetuntur.

Quærebant ergo eum apprehendere, & nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius.] 19.
Ergo, id est, quia dixit, se esse à Deo Patre, & scite Deum, quem ipsi nesciebant, propterea eum quærebant apprehendere, & vnde debuere à sua conuerti malitia ad fidem, & amorem, inde obdurationis, & multiplicationis sceleris capiunt argumentum. Porrò diuina virtute eorum fuere repressi conatus. An quòd mori timeret? Absit. An quia nollet pati? Minimè; sed quia in tempus à Patre constitutum differebat. *Nondum* enim *venerat hora eius*, id est, mortis, & passionis. Adnotarim, particulam, *Et nemo misit* loco aduersatiuæ positam esse hoc sensu: Quamuis quærerent eum apprehendere, tamen nemo misit in eum manus. *Diuina virtute Christus apprehensores reprimit.*

De turba autem multi crediderunt in eum.] 20.
Vno Christi verbo multi conuertuntur, multi obdurantur; quod conuertuntur, virtus est verbi; quod obdurantur, vitium est auditorum. An non eodem lumine & sani vident, & lippi cœcutiunt? Quod illi videant, virtus est lucis: quod isti cœcutiant vitium est oculorum. Multi itaque de turba credidere verum esse Christum, & Messiam à Deo missum: tantóque crediderunt affectu, vt fidem in mente conceptam occultare non valerent, sed in oris prorumperent confessionem profantes: *Christus cum venerit, nunquid plura signa faciet, quàm quæ hic facit?* Omnia ex Beda, Augustino, Chrysostomo, Strabo, Anselmo, Cyrillo, & aliis. *Turba conuersio.* Beda, & alij.

IN
IESVM COLLOQVENTEM
PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS
CIRCA LITERAM.

EX OPERVM IESV
DEFENSIONE.

Observatio I.

Ad illa verba:

Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem? Quid me quæritis interficere?

Ineptè legis Moysis transgressores Principes quærebant Christum ob legis violationem interficere.

Nam qui aliorum plectit delicta, omninò sese debet innocentem præstare.

21. A Moyse vos acceptam legem non obseruatis, ergo ineptè me ob legis violatio-
Strab. nem quæritis interficere. Strabus, *Quasi diceret, gloriamini in lege, & contra legem, quæ vetat occidere, quæritis me interficere* quia Sabbati violatorem falsò me existimatis. Nullam legem vos non violatis, & me accusatis de legis violatione; irreprehensibilis vitæ sit, quisquis censor aliorum exurgit.

Hinc Paulus arguit, *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse: filios habentem subditos cum omni castitate.* 1. Tim. 3. Nam si de more, & munere velit impudentes subditorum filios carpere ob legis transgressionem: non audiat, Nonne Dominus dedit tibi legem corripiendi filios, & legem violare non metuis? Quid me quæris impudicum carpere? Anselmus in epist. ad Tit. cap. 1. *Qua libertate alienos filios corripere, & docere possumus, quæ recta sunt, cum nobis statim possit, qui fuerit correptus, ingerere: Ante doce filios tuos. Aut qua fronte extraneum corripio fornicatorem, cum mihi conscientia mea ipsa respondeat: Exhæreda ergo filium fornicantem, abiice filios tuos cassis fermentes? Cum autem filius nequam tecum maneat, tu audes de alterius oculo festucam detrahere?* 22. *Episcopus filios permittens, aut famulos impudicos, non potest impunè aliorum impudicitiam carpere.* 1. Tim. 3. Anselm.

Cum Stephanus à Iudæis lapidandus esset, 23.

Angelicæ puritate Moyses fulgebat, vt legem posset defendere aduersus transgressores. Act. 7.

quasi subcensens, quod lapides arripere in eum quasi legis transgressorem auderent iniuste, proclamat: *Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui prænuntiabant de aduentu iusti, cuius vos nunc proditores, & homicidæ fuistis: qui accepistis legem in dispositione Angelorum, & non custodistis.* Act. 7. Premo illam particulam: *In dispositione Angelorum.* Quinam Angeli memorantur? Lorinus ex Patribus, *Moyses hic Angelus dictus est tradens legem.* Accepistis ergo legem ab homine Angelicæ puritatis imitatore; vnde sine querela obseruare tenemini. At vos violatores legis præcipientis non occidere iustum occidistis, méque lapidare quæritis. O legis transgressores Moysi Angeli, cur me quæritis interficere?

24. *Vt Moyses posset Hebræos corripere, calceamenta proiicit transgressionu.* Exod 3. Ambros.

Moysi ipsi oues soceri pascenti Dominus è rubo proclamat: *Solue calceamentum de pedibus tuis.* Exod. 3. Cur calceamenta pastor solueret, & proiiceret? Ambrosius, *Vt vocaturus populum ad Dei Regnum prius carnis exuuias deponeret, & nudo vestigio mentis incederet.* Ne Hebræi possent obiicere. Pedes nostros curas ab affectibus noxiis ne hæreamus Ægypti illecebris, repurgare, cum pedes tui terrenis affectibus alligantur.

25. *Pedes Discipulorum lauit, vt mundities studiis impenderêt.* Isa 51. Hieron.

Cur existimas Dominum Discipulorum pedes abluisse? Certè vt mundi ad prædicationem obiicerentur. Isaias enim præclamauerat, *Quam speciosi pedes euangelizantium pacem.* cap. 51. Aptè Hieronymus, *Quorum Dominus lauit pedes, vt mundi, & pulchri essent, ad prædicandum.* Si speciosa vita eorum, qui reprehendunt, poterunt sine obiectionis periculo aliorum errata vulnerare.

26. *Potest carpere alios, qui purus obiicitur.* Psalm 140. Chrysost.

Cecinit dulciter Dauid, *Audiant verba mea, quoniam potuerunt.* Psalm. 140. Alij apud Chrysostomum, *Quoniam speciosa fuerunt. Scient,* (addit Pater,) *per rerum experientiam, exhortationis, & consilij mei iucunditatem: & quoniam reprehensio iustorum hunc producit fructum.* Aliter exposuerim argumento meo accommodatius. *Quoniam potuerunt* ipsi prædicatores sine frontis rubore auditorum delicta carpere propter pedum, seu affectuum conscientiæ puritatem.

27. *Non gerat baculum, qui renes præcinctos non habet.* Exod. 12. Rupert.

Manducaturi agnum Hebræi sic munentur à Domino: *Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, & baculos in manibus.* Exod. 12. Renum constrictio præcedat, acceptio baculi sequatur. Quare precor? Respondet mysticè quidem, sed acutè Rupertus lib. 2. in Exod. cap. 13. *Prius præcipimur renes accingere, postmodum baculos tenere; quia illi debent curam Pastoralem suscipere, qui iam sub corpore sciunt fluxa luxuriæ domare. Vt cum aliis fortia prædicant, ipsi desideriis noxiis eneruiter non succumbant.* Ne subditi conquerantur, *Nonne Deus dedit tibi legem*, &c.

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Respondit turba, & dixit: Dæmonium habes.

Syncera turba, quæ non agnoscebat Principum intentionem circa Christi necem: tribuit Dæmoni illud iudicium.

Agnatum enim dæmoni est, temerè de internis hominum intentionibus iudicare.

AVgustinus; *Dicunt habere dæmonium, qui dæmones expellebat.* Quomodo non ab ista cogitatione receditis, dum videtis IESVM è corporibus dæmonia abigere? Quia magnum obiicimus menti nostræ, (irrefragabile quidem,) argumentum probans, Christum a diabolo possideri. Iudicat de internis Principum intentionibus, asseritque eos, à quibus collaudatur, quærere eum interficere. An non de internis iudicare, intentionesque temerè carpere aliorum, diabolicum est? 28. August.

29. *Serpentis diaboli est intentionem iudicare.* Horat.

De ocularissimis Epidauris draconibus canebat Horatius Satyr. 3. subtaxans quemdam, qui hominum inuisibilem se aspectare putabat intentionem.

Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum?
Quam aut aquila aut serpens Epidaurius.

30. *Sicut subula interna penetrare curat.* Iob 16. Cyprian.

Serpens ille visus perspicaciam hanc exitialem tartareo didicit à serpente, de quo Iobus, *Hostis meus terribilibus oculis intuitus est me.* cap. 16. Cyprianus Cisterciensis. *Oculis,* (legit,) *subula inspexit me.* Subula rem perforat, vt occultius, ac profundius penetret. Temerariè iudicaos quamuis externa omnia rectè composita aspiciat: occultissimam intentionem, quæ solius Dei oculis reseratur, conspurcare contendit. O subulam, imò ô dæmonem malitiosum! *Hostis meus* diabolus *oculis subula inspexit me.*

31. *Dum externa laudabilia sunt, dæmon internam intentionem conspurcat.* Iob 1. Olympiod.

Diabolo Dominus, *Numquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra; homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.* Iob 1. En externa cuncta hominis Sancti, imò interna composita à Domino proponuntur, & laudibus ornantur. Quid tunc diabolus? Profectò, in morem subulæ, cor curat penetrare, ac corrodere intentionem, fatus: *Numquid Iob frustrà timet Deum? Nonne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersámque substantiam per circuitum?* Ibid. Vbi pulchrè Olympiodorus apud Comitol. *Animaduerte improbitatem. Cum ea, quæ dicta erant, incessere non posset, animi sententiam insectatur: & ad ea, quæ latent, se idcirco refert, quia quæ aperta, & explorata sunt, illi elabuntur.* Diabolicum planè est occultam damnare intentionem, præcipuè cùm externa contradicere videntur.

32. *Contrarius diabolo est, qui intentionem [illegible]* Iob 1. Gregor.

Quæsierim, vndenam diabolus hostis Iobi sit appellatus? *Hostis meus.* Certè quia Iobus contrarium sese dæmoni in cunctis exhibuit. Diabolus Iobi intentionem conspurcare contendebat, Iobus circa intentionem ancipiti iudicio afficiebatur. *Et erat vir ille simplex, & rectus.* Vis simplicitatem viri ostendam? *Cumque in orbem transissent dies conuiuij, mittebat ad eos,* (filios suos,) *Iob, & sanctificabat illos; consurgénsque diluculo, offerebat holocausta pro singulis, dicebat enim, Ne fortè peccauerint filij mei.* cap. 1. Vbi adnotat Gregorius lib. 1. mor. cap. 5. haud dictum à Iobo preces se & holocausta pro peccatis filiorum assiduè conuiuantium fecisse, sed potius *ne forte* in his conuiuiis in quibus penè ad peccandum ineuitabilis est illecebra,

fragili

fragilitate humana deliquerint. Non esset simplicis, ac recti viri, internam conscientiæ taxare intentionem. Cùm autem dæmon etiam externis compositus in laudem; curat intentionem haud visibilem, haud cognoscibilem plenè spiritui tartareo, conspurcare iniquo iudicio: simplex ac rectus vir, qui non audet intentionem filiorum damnare contrarius omnino dæmoni exponitur: *Hostis meus.*

33. *Diabolus condemnat hominē inauditum ob iudicium factum de intentione occulta.* Exod. 18.

Dixit aliquando Moyses Iethro soccro suo, *Venit ad me populus, quærens sententiam Dei.* Exod. 18. Quænam Dei sententia? Legit Lucifer Episcop. *Quærent iudicium Dei.* Certè Dei iudicium non condemnat hominem inauditum ob solum conscientiæ internæ respectum. In cuius expositionem aduerte, Constantium Imperatorem à Lucifero Episcopo petiisse, vt D. Athanasium condemnaret. Cui sanctissimus Antistes, vsus verbis Moysis, profatur Imperatori: *Venit ad me populus, quærens sententiam Dei.* Accusatus erat Athanasius absens, non erat auditus, & ideò iuxta Dei sententiam, qui prohibet homines damnari ob occultam internam intentionem, condemnari non poterat. Nam solus diabolus condemnat ex iudicio intentionis, quæ non agnoscitur. Audi Luciferum lib. 1. pro Athan. ad Constant. *Venit ad me, inquit Moyses, populus, quærens iudicium Dei. Igitur si iudicium Dei Athanasium tam decet esse iniustum, quod Dei esse dicatur iudicium determinatum: quomodo tu inauditum ob intentionem occultam iubeas damnari à nobis? Itaque hoc tuum præceptum, quod est à te, non est veniens de lege Dei; sed est planè ex voluntate firmamentum diaboli.* Solus enim diabolus audebit hominem inauditum condemnare, cum absens est, siue cum occultum est crimen quod imponitur, & intentionem vsque iudicium pertingit.

Observatio III.

Ad illa verba:

Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate.

Qui monuerat non iudicandam intentionem, edocet nec externam faciem esse iudicandam.

Quia semper errat, qui personarum solummodò facies intuetur, qui rerum adnotat superficies.

34. *Iudicia temeraria iniusta esse.* August.

Alebat Augustinus, *Magni laboris est in hoc sæculo, non secundum faciem iudicare, sed rectum iudicium retinere.* Rectum iudicium opponitur iudicio secundum faciem. Profectò erroneum feret plerumque iudicium quisquis rerum, aut personarum f[illegible]ies aspectans solummodo, nec callens anim[illegible]n, voluerit determinatum ferre iudicium. [illegible]ic quidem rectum iudicium n[illegible]n iudicat, quia se iniustum esse manif[illegible] stat.

35. *Iustum iudi-*

Ille iustus, [illegible]ui rerum apparentias non adnotat v[illegible] ut licet [illegible]ed rationis præceptum ample-

cium non potest ferre, qui iuxta faciē iudicat. Isa 11.

ctitur. De vero hominum iudice fatur Isaias, *Et replebit eum Dominus Spiritu sapientiæ, &c. Non secundum visionem oculorum iudicabit: sed iudicabit in iustitia pauperes.* cap. 11. Ac si diceret, Iudicabit in iustitia, quia secundum faciem non iudicabit. Quid si iuxta faciem sine attentione ad internam intentionem iudicare præsumat? Non iudicabit *in iustitia.* Si Deus non iudicat secundum faciem, quorsum homo præsumet iuxta rerum facies ferre iudicium?

36. *Ioseph vocatur iustus, quia non iudicauit Mariam prægnantem secundùm rei faciem.* Matth. 1.

De sponso Virginis Euangelista, *Ioseph autem vir eius cum esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.* Matth. 1. Erat iustus, & nolebat traducere eam, quàm contra legem grauidam aspiciebat? Si iustus est, impleat legem imperantem prægnantis iniquæ vxoris traductionem. Certè iniustus esset sponsus, si secundum faciem solummodo ferret iudicium, qui internum vxoris animum non callebat, & virtutum exercitamenta notarat. Imperfectus hom. 1. *Iustus Ioseph conceptionem manifeste videbat, & fornicationem suspicari non poterat.* Quare non poterat suspicari. Quia si suspicaretur adulterium ex sola faciei apparentia, iustus non existeret. Imperf.

37. *Non potest esse iusta sententia, dum sola facies rerum attenduntur.* Prou. 14. Hieron. August.

Sapiens hinc, *Est via, quæ videtur homini recta seu iusta, nouissima autem eius ducunt ad mortem.* Prou. 14. Putat quis ex faciei contemplatione hominem esse castum, cuius præcordia cæco igne carpuntur. Iudicium iustum minimè comperitur. Hieronymus lib. aduers. Lucifer. *In hoc errore iudicij quæ potest esse certa sententia.* Confirmo Augustini apposita sententia lib. 9. de ciu. cap. 5. *Disciplinâ Christianâ non tam quæritur, vtrum quis irascatur, nec vtrum sit tristis, sed vnde sit tristis?* Profectò plures iracundia accensos vidi ex zelo virtutis, dum audiunt aliquem Dominici nominis contemptorem. Cùm intueris Israëlitam fortissimum in scortum Madianitidem eiúsque amasium Hebræum irruentem; Scis an ex zelo legis, vel ex animi vitiosa iracundia feratur? Ergo Christianâ disciplinâ non tam quærendum, vtrum quis irascatur, quàm quare irascatur. Ne Eleazari iracundiam iustam cum iracundia nequissima Caini confundamus.

38. *Non reprehendenda, quæ nescim⁹, quo animo fiant.* August.

Ideo Doctor lib. 2. de serm. Dom. in monte, cap. 28. hoc roborat exemplo. *Si quispiam conquestus de stomacho ieiunare noluerit, & tu id non credens, edacitatis vitio tribueris, temerè & iniustè iudicabis.* Iniustum enim semper feretur iudicium, cum externæ actioni, quæ à ratione deflectere videtur, sic hæreseis, vt animum operantis haud velis aspectare. Addit Pater, *Non ergo reprehendamus ea, quæ nescimus, quo animo fiant.*

39. *Vel leprosum non condemnes ex facie horribili.* Leu. 13.

Formam recti iudicij circa leprosi damnationem adnoto. *Recludet eum Sacerdos septem diebus, & considerabit die septimo, & si quidem lepra vltra non creuerit, nec transierit in cute priores terminos; rursum recludet eum septem diebus aliis, & die septimo contemplabitur.* Leuit. 13. Si visibilis lepræ qualitas, quare contemplatio non semel indicitur? Profectò contemplatio ex visibilibus ad inuisibilia tendit. Opus est tibi contemplatione, vt rerum occultas proprietates perpendas, ne ex visione faciei solius ad iniustum iudicium deferaris.

40. *Nisi opera fuerint leprosa, peccatorem innocentem habe.* Leuit. 13. Radulph.

Adiicit pulchrè Textus, *Si obscurior fuerit lepra, & non creuerit in cute, mundabit eum.* Leu. 13. Id est, innocentem, ac mundum iudicabit. Audi Radulphum, *Si obscurior fuerit lepra, hoc est, si*

nulla criminis obiecti fuerit euidentia; nec hominis conscientia loquendo, vel operando corruptionis suæ suspicionem auxerit; mundabit Sacerdos. Facies enim externa non sufficit, vt leprosus peccator damnetur, ob obiectum crimen; nisi verb , ac opera eius leprosum animum manifestè proferant.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Dæmonium habes, quis te quærit interficere.

Vt Iudæi possent Domini animum horribiliter discruciare, eum dæmonium habere impudenter affirmant.

Nihil enim crudelius contumelia, ad præcordia nobilis, ac iusti hominis saucianda.

39. CVm illis in præsenti sentiam, (vt ansam exhibeam adnotationi,) qui asserunt verba illa: *Dæmonium habes:* non ad *syncerum vulgus*, (de quo in commentario,) sed ad hostes Principes pertinere. Hi enim affectu vindictæ proclamauerunt: *Dæmonium habes.* Theophylactus, *Contumeliosè & audacter dicunt, Dæmonium habes, eo quòd putabant, animam eius contumeliis cruciari.*

Theophyl.

40. Adonibezec profabatur, *Septuaginta Reges, amputatis manuum, ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias.* Iudic. 1. Cur Reges non occidit inimicissimos, sed pedes, manúsque mutilauit? Prado noster ad cap. 23. Ezech. respondet eripuisse occisioni, vt illusioni seruaret. Sub mensa enim eos habebat, vt canes, & illudebat verbis.

Adonibezec Reges hostes non occidit, vt contumelia crudelius cruciaret. Iudic. 1. Prado.

41. Præmiserat Textus, *Fugit autem Adonibezec, quem persecuti, comprehenderunt, cæsis summitatibus manuum eius, ac pedum.* Ibid. Quare crudelissimus tot Regum mutilator non omninò interimitur? Certè quia crudelius verborum irrisioni seruabatur, vt irrisus solueret pœnas, quas irrisor intulerat.

Ipse mutilator eiusdem contumelia gladio percussus occubuit. Iudic. 1.

42. Sedecias cinctus erat obsidione, mortique addictus: Cui Ieremias pollicitus est vitam, si ad Principes Babylonis exiret. Profectò ille respondit, *Solicitus sum propter Iudæos, qui transfugerunt ad Chaldæos: ne fortè tradar in manus eorum, & illudant mihi.* Ierem. 38. Quid si verbis illudere non vereantur afflicto? An non satius id, quam gladio exitialiter vulnerari? O illusionis crudelitas! Mitius gladius, quàm lingua illudens percutit. Abulensis quæst. 3. *Viri, qui sunt in magno honore, potius vellent sustinere mortem, quam illudi.*

Sedecia crudelior illusio, quàm nex. Ierem. 38. Abulens.

43. Testor Saulem proclamantem, *Percute me, ne fortè veniant incircumcisi isti, & interficiant me illudentes mihi.* 1. Reg. 31. Iam Rex erat exitialiter vulnerandus, sed non poterat sine grauissimo desperationis piaculo petere à milite, vt volnere exitum maturaret. Dum ergo obiicit Saül menti se illudendum verbis, dum occideretur, cœco impetu sese misit in barathrum: *Percute me.* Ab incircuncisis percutieris, & mortem non effugies: quid vitare conaris ipsius damnationis commutatione? Certè ne dum me incircuncisi vulnerant exitialiter, simul verbo me illusorio compungant.

Saul elegit necem, ne illuderetur. 1. Reg. 31.

Dum Christus Cruci illigatus obiicitur à prætereuntibus afficitur illusione. *Vah qui destruis Templum Dei, & in tribus diebus reædificas illud, salua temetipsum.* Matth. 27. Recole, quæso, passionis horribilis historiam, numera, si potes, vulnera spinarum, flagellorum stigmata recense. Quæsierim interea num hæc horribilia Domino, quam illusiones? Respondet Chrysostomus hom. 88. in Matth. *In patibulo pendentem omnes amaris impetunt verbis, quæ rebus ipsis mihi grauiora videntur.* 44.

Ad Iesv diriore illusio, quàm mors. Matth. 27. Chrysost.

Pondera accuratiùs Saulis desperationem. *Dixitque Saul ad armigerum suum: Euagina gladium tuum, & percute me. Noluit armiger eius. Arripuit itaque Saul gladium suum, & irruit super eum.* 1 Reg 31. Propria manu cur tibi necem infers, ô desperate Rex? ô miser damnatis, cur properas ad supplicium? An inis æternæ damnationis viam, vt possis illusionis viam euadere. Fatur Elianus lib. 9 de varia hist. cap. 19 fortissimum illum Ducem Temistoclem solitum asserere frequenter: *Si quis duas vias monstraret mihi, alteram ad infernum ducentem, alteram ad tribunal,* vti reus irridendus; *multo libentius ingrederer eam, quæ rectè ad infernum tenderet.* 45.

Saul elegit viam i[illegible] inir[illegible] re et [illegible] um [illegible] tam. 1 Reg 31. Elian.

Bis Dominus è Templo emptores, ac venditores exturbauit, semel suæ prædicationis initio, iterum passioni proximus. *Fuit autem,* (ait Toletus,) *hæc acerbior, illa autem prior fuit.* Porrò si primam exturbationem perpendamus, fatur Euangelista: *Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de Templo.* Ioan. 2. De secunda autem Matthæus sic: *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum* Matth. 21. Vndenam ergo hæc exturbatio illa acerbior extiterit? Certè quia flagellis conuicium horribilius est. O latrones! Mallent illi flagello cædi, quàm verbis huiuscemodi vulnerari. 46.

Acerbius exturbat Dominus è Templo vendentes, cum latrones appellat, quàm cum flagello cædit. Ioan. 2. Matth. 21.

Pater olim imperarat in typico agno ne ossa veri Agni comminuerentur: *Os non confringetis ex eo.* Exod. 12. Vnde cum milites crura crucifixorum fractum accederent, & latronum confregissent, *ad Iesvm cum venissent, & vidissent eum mortuum, non fregerunt eius crura, sed vnus militum latus eius aperuit.* Ioan 19. Id quod factum Euangelista monet, vt impleretur quod scriptum est: *Os non comminuetis ex eo.* Cur, obsecro Pater Filium à crucifragio horribili liberauit, qui tot vulneribus tradiderat subeundis? Crediderim, quia permisit alio grauiori admodum tormento consummari. Crucifragio moriuntur latrones? Iesvs illusionibus vulneratus de medio tollitur. Chrysostomus, *Vides, quantam adhibet diligentiam, vt credatur, quod turpe, & ignominiosum videbatur? Illudere enim mortuo, quàm cruces ipsius supplicium longè peius est.* Innuit Pater milites venientes ad Iesvm mortuum, dixisse: *Mortuus iam seductor ille.* Porrò illusio hæc vel cadaueri facta morte ipsa crudelior. 47.

Illusioni traditur [illegible] Iesv [illegible] Exod. 12. Chrysost.

Hinc monuerim irrisores, ac illusores, grauissimo homicidij genere sese maculare honorum interemptores. Dauid, *Lingua eorum gladius acutus.* Psalm. 56. Vbi Optatus Mill. lib. 2. in Donatistas 48.

Irri[illegible] gladio [illegible] vulnerans. Psalm. 56. Optatus.

tiftus si inuehitur. *Linguas vestras acuistis in gladios, quas mouistis in mortes non corporum, sed honorum. Iugulastis non membra, sed nomina. Quid prodest, quia viuunt homines, & occisi sunt honores à vobis? Valent quidem membris, sed erepta portant funera dignitatis.* Pulchrè planè.

Observatio V.

Ad illa verba:

Vnum opus feci, & omnes miramini.

Soli Principes, vt Pharisæi mirabantur, siue turbabantur, tumultuabantur; Christus autem omnes præsentes quasi eodem crimine reos arguit.

Quàm prudenter! Certè obiurgatio Concionatoris, quò generalior, eò mitior est.

49. Chrysost.

Chrysostomus, *Omnes miramini, id est, turbamini, tumultuamini.* Alij, *indignamini.* At non omnes, sed Primores in dignatione affecti, quærebant Dominum interficere. Cur ergo inuoluit omnes hoc piaculo illigatos? Respondet Gregorius lib. 13. Mor. cap. 3. *Nisi prædicator sustineat, quando proferre congruè correptionem possit; auget in eo malum, quod insequitur. Quid igitur in huius culpa prædicatori agendum est, nisi vt in sermone admonitionis, quem pro communi salute omnium auditorum facit, tales culpas ad medium deducat, quales eum perpetrasse considerat, qui & præsto est, & de se solo argui non potest, ne deterior fiat: & cum generaliter contra culpam inuectio intenditur, correptionis verbum libenter ad mentem ducitur; quia patens prauus ignorat, quod sibi hoc specialiter dicatur.* Eandem sententiam in commentario expressi, sed quod pulchrum bis. (Gregor.)

50. Paulus in communi Philippenses carpit. Quid fende ter. Philip. 2. Anselm.

Paulus ad hæc, *Multi enim ambulant, quos sæpè dicebam vobis, nunc autem & flens dico: inimicos Crucis Christi; quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Philip. 2. Preme particulam, *Multi ambulant.* Anselmus. *Multi ambulant latam viam perditionis, id est, multi promouentur in via peruersa actionis.* Cur viros hosce non expressè nominauit? Vt generico vocabulo illos, in quos inuehebatur inuolueret, ne exasperarentur. Theophylactos, *Horum nullum nomine patefecit, ne eos incessat; sed ita tam communiter indicat, vt possint facilè internosci cum ait: Quos sæpe dicebam.* (Theophyl.)

51. Ignatius Smirnen. ses communi diuerberat. Ignat.

Ignatius Martyr Epist. ad Smirnen. hos insectatur, asserens *omnes* præseferre humanam fictitiam formam, cum feris aptius valeant comparari. Cur *omnes* carpit, cum non *omnes*, sed aliqui ex Smirnensibus feras imitarentur? Ao ne exasperarentur peccatores, quibus cum mitius actum, dum eos Concionator egregius sub communi nomine expressit? Ita plane. *Ne libuit, ait, eorum ipsa nomina his litteris inserere. Absit vero à me, vt eorum mentionem* particulatim *faciam, donec pœnitentia ducantur.* Ad pœnitentiam etenim alliciuntur peccatores, dum prædicatoris prudentia eos sub communi nomine exprimit.

52. Paulus ad seipsum conuertit sermonem, vt in communi carpat delinquentes. 1. Cor. 1. Theodor.

Assolet Concionator cum intendit alicuius peccatoris carpere flagitia in seipsum inuectiuus exsurgere, quasi se loco communitatis exhibeat carpendum. Sic Apostolus, *Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis.* 1. Cor. 1. Curat taxare Corinthios inter se dissidentes, & in propria persona eorum errata reprehendit, vt adnotat Theodoretus. *Auget accusationem per vnumquodque eorum, quæ dicuntur; sed eos, quos accusat, non ferit nimis acriter, dum propriam personam pro illis adducit.* Efficacius enim peccator ad frugem meliorem allicitur, cum communiter taxatur, quam cum particulatim diuerberatus est.

53. Deus ipse se ipsum iudicat simul cum peccatoribus, vt fiat iudicium in communi & non particulatim geratur. Ezech. 20. Pagnin.

Audi Deum ex ore Ezechielis ad errantem populum sermonem dirigentem. *Et adducam vos in desertum populorum, & iudicabor vobiscum ibi facie ad faciem.* cap. 20. Pagninus ex Hebræo, *Et iudicabo me vobiscum.* Cur Dominus iudicaturus populi flagitia, se simul cum illis iudicaturum? Certè ne in particulari carpere videatur delinquentes, dùm se ipsum cum illis admiscet, vt communiter peruoleт reprehensio facta. Liceat vulgariter expendere. Assolet Concionator dum carpit peccatores, se ipsum simul cum illis colligare, fatus: *Somos dissgradecidos, homicidas.* Dum peccator videt Concionatorem communi verbere percussum, facilius ad correctionem allicitur.

54. Iesvs in generali terra piacula reprehendit in parabola seminum. Luc. Victor Antioch.

Dominus seminatoris parabolam exposuit. Multa pars seminis terræ culpa deperiit. Noluit id sigillatim aperire, ne auditores, quorum typum terra ipsa gerebat, acrius vulneraret. Luc. 8. Ad quæ Victor Antioch. ad cap. 4 Mar. *Interitus huius causa non extitit penes seminantem, sed penes terram, quæ semen exceperat, hoc est, penes audientium animas. Tametsi Dominus, ne auditores vehementius perstringat, aut ne quem forsan in desperationem coniiciat, disertè id non asserat.* Vtitur communi vocabulo terra, nec in speciali glebam aperuit. O prudentiam Concionatoris!

55. Propheta Altare quodammodo carpit, vt in generali reprehendat peccatores. 3. Reg. 13.

Missus Propheta, vt impium Ieroboam & Principes idololatras carperet. At ille ne cogeretur in particulari delinquentes exprimere, ad ipsum altare dirigit sermonem, communem scilicet exponendo conceptionem criminis. *Altare, Altare, hæc dicit Dominus. Ecce filius nascetur domui Dauid Iosias nomine, & immolabit super te Sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt,* &c. 3. Reg. 13. An deliquit Altare, vt contra ipsum comminatio contorqueatur? Profectò oc Regem, ac Proceres delinquentes in particulari exprimeret, cum sanctissimo Altari colligauit, vt communis esset increpatio, & mitius taxaret delinquentes.

LIBER SEPTIMVS.

COLLOQVIVM IESV CVM PHILIPPO, ET TVRBA.

PARAPHRASIS, ET COMMENTARII literales ad caput duodecimum Ioannis.

Panegyrici Morales circa literam in Iesum colloquentem.

PROLVSIO.

Dominici vitalis ligni FRVCTVS SEPTIMVS.

VICINVS Ierusalem Dominus nouam aduentus sui pompam instruit. Missos enim ad Bethphage ad oppidum, quod è Regione situm erat, Discipulos, iubet asinam simul cum pullo adducere, quibus insideat, lætis turbæ acclamationibus celebrandus. Ethnici quidam aduenæ, qui ad diem festum conuenerant, desiderio videndi IESVM accensi, de ipso videndo apud Philippum agunt. Id cum renunciatum esset, de fructu suæ passionis multa locutus est: & cum Patrem oraret, cœlesti voce eius est claritas declarata. O Ethnici peccatores, quare Philippum mediatorem adire paratis? Nónne faciliùs per Mariam aditum ad Filium inuenissetis? Ipsa planè ad Filium efficacissima Mediatrix est, fante Laurentino lib. 2. de laud. Mar. *Maria nostra ad Filium est Mediatrix: qua scilicet mediante, venit ad nos Filius Dei: & qua Mediatrice, ad Filium peruenitur.* An non cum Dominus de Passione colloquitur, peccatoribus Mediatricis Matris auxilium indicit? *Ad quod innuendum,* (addit ille,) *Christus moriens, ipsam habuit ab Aquilone, quo significantur peccatores, quasi hoc ipse diceret: quod Maria mediante, dexteram suæ propitiationis extenderet peccatoribus congelatis. Et nota, quod non solum ex ea parte dexteram extendit, sed & caput spinis coronatum inclinauit: quasi diceret, O vos peccatores, precibus Matris meæ vobis dexteram porrigo, & caput meum,* (ad salutem,) *vobis confixum spinis ost*[illegible] Author.

Richard. Laurent.

IOANNES CAP. XII.

VERS. 10. COGITAVERVNT autem Principes Sacerdotum, vt & Lazarum interficerent.

11. Quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in IESVM,

12. In crastinum autem turba multa, quæ venerat ad diem festum, cum audissent, quia venit IESVS Ierosolymam.

13. Acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei: & clamabant. Hosanna benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israël.

14. Et inuenit IESVS asellum, & sedit super eum, sicut scriptum est:

15. Noli timere, filia Sion: ecce Rex tuus venit sedens super pullum asinæ.

16. Hæc non cognouerunt Discipuli eius primùm: sed quando glorificatus est IESVS, tunc recordati sunt, quia hæc erant scripta de eo; & hæc fecerunt ei.

17. Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo, quando Lazarum vocauit de monumento, & suscitauit eum à mortuis.

18. Propterea & obuiam venit ei turba: quia audierunt, eum fecisse hoc signum.

PARAPHRASIS.

10. PHARISÆORVM *ac Sacerdotum animos sic liuor, & odium in* IESVM, *excæcauerat, vt iam illorum malitiæ non satis esset occidere* IESVM; *sed de Lazaro quoque tollendo cogitarent.*

11. *Non ob aliud quidem, nisi quod multi Iudæi commoti tam euidenti miraculo, desciscerent à Pharisæorum conspiratione & IESV crederent.*

12. *Postero verò die cum ingens hominum turba, quæ festi diei gratia Ierosolymam conuenerat, rescisset, IESVM, relicta Bethania, Ierosolymam aduentare:*

13. *Honoris gratia obuiam illi, decisis ab arboribus palmarum ramis processere. Acclamatum est autem, quemadmodum populus assolet publicum testari gaudium, illud, quod est in Psalmis: Osanna sit laus, & honor illi qui nobis expectatus venit in nomine Domini, Rex Israel.*

14. *At* IESVS *semper humilis, & omnis humanæ gloriæ contemptor, non tunc pompa voluit Ierosolymam deuenire: Nactus enim asinum, insidebat illi, cum solitus esset ante hac pedibus iter conficere: partim vt suos doceret, quàm esset inanis huius mundi gloria; partim vt de se Isaiæ vaticinium confirmaret.*

15. *Scriptum est enim. Noli timere filia Sion, ecce Rex tuus venit tibi mansuetus insidens pullo asinæ. Talis nimirum pompa decet Regem Ierosolymæ spiritualis, quæ est Ecclesia.*

16. *Hæc tum quidem Apostoli non intellexerunt opinantes hæc fortuitò geri: sed postea quam morte, resurrectione, missóque Paraclito, glorificatus est* IESVS; *tum rem gestam cum Prophetæ dictis conferentes, animaduerterunt, hoc de illo scriptum fuisse, quod acclamatum est à turba, quodque ipse sic adueniens gessit.*

17. *Hoc tam insigne populi studium excitarant multi, qui adfuerant iuxta Bethaniam, cum Dominus* IESVS *è monumento Lazarum excitaret: & quod oculis suis conspexerant, cæteris narrarant.*

18. *Et hinc tam frequens multitudo hominum obuiam* IESV *prodierat, quod ex his, qui viderant, cognouissent hoc insigne miraculum ab illo editum, quale non erat ab orbe condito exauditum.*

19. Pha

19. Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos. Videtis, quia nihil proficimus? ecce mundus totus post eum abiit.

19. Ea res Sacerdotum, ac Pharisæorum animos propemodum in desperationem adegit: & inter sese commurmurant, dicentes: Videtis, quod omnibus machinamentis aduersus illum nihil proficimus. Antea paucos habebat Discipulos, ecce nunc totus mundus defecit à nobis ad illum; vt nobis iam nec satis tutum sit, palam illi manus inicere.

20. Erant autem quidam Gentiles, qui ascenderant, vt adorarent in die festo.

20. Tantus autem id temporis erat populi fauor erga IESVM, *vt Ethnici quoque, qui religionis gratia venerant Ierosolymam, vt illic adorarent: videndi* IESV *desiderio tenerentur.*

21. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat à Bethsaïda Galilææ; & rogabant eum, dicentes: Domine, volumus IESVM videre.

21. At cum obstaret pudor, quo minus illum adirent: adeunt Philippum, cui ob patria viciniam; (nam erat natus in ciuitate Bethsaida, quæ est Galilææ gentium,) erant noti: vt is sibi ad IESVM *aditum aperiret Domine, aiunt, videndi* IESVM *magna tenemur cupiditate.*

22. Venit Philippus, & dixit Andreæ: Andreas rursum, & Philippus dixerunt IESV.

22. Philippus rem Andreæ communicat eiusdem ciuitatis collegæ. Nam is maioris erat apud Dominum auctoritatis, quod primus omnium esset vocatus Ambo igitur adeuntes IESVM, *exponunt illi, quosdam esse Ethnicos, qui illius videndi desiderio flagrarent, si dignaretur eos admittere.*

23. IESVS autem respondit eis, dicens: Venit hora, vt clarificetur Filius hominis.

23. IESVS *autem vbi cognouit ex Discipulis, Ethnicos quoque sui videndi desiderio teneri, cum tam impiè à Pharisæis, & Sacerdotibus sperneretur. Iam, inquit, instat tempus, vt mortis victoria Filius hominis clarificetur, & apud vniuersas orbis honorificetur nationes.*

Versum 24. 25. & 26. habes tomo 6. de Sanctis in Festo S Laurentij.

27. Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, saluifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc.

27. Mihi quidem ob instantem mortis diem sentio animam disturbari. Video grauissimam tempestatem imminere. Quid dicam, aut quo me vertam? Ad Patris voluntatem me accommodabo Pater, si fieri potest, saluum me fac ex hoc periculo mortis instanti. Imò si sic expedit, veniat optata mors: quando volens, ac sciens iuxta spiritus voluntatem, memet obtuli in mortem.

28. Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cœlo: & clarificaui, & iterum clarificabo.

28. Tu præsta, vt mea mors, meáque resurrectio clarum reddat nomen tuum apud omnes orbis nationes. Mox Patris exaudita vox: Et clarum reddidi nomen meum, & postea amplius illustrabo.

29. Turba ergo, quæ ſtabat, & audierat, dicebat, tonitruum eſſe factum. Alij dicebant, Angelus ei locutus eſt.

29. Profectò turba, quæ non procul ſtabat, cum audiſſet vocem cælitus emiſſam, variabat ſententiis. Quidam interpretabantur, tonitruum fuiſſe. Alij benigniùs, Angelus, inquiunt, quiſpiam ei locutus eſt.

30. Reſpondit Iesvs, & dixit: Non propter me hæc vox venit, ſed propter vos.

30. Iesvs *autem, vt gloria à ſe pelleret ſuſpicionem. Hæc, inquit, vox, quæ nec tonitrui, nec Angeli eſt, ſed Patris: non venit propter me, qui autumum Patris in me noui: ſed propter vos, vt intelligatis, mihi cum Patre conuenire: & quidquid facto, illo auctore, veſtra ſalutis cauſa facere.*

Verſum 31. 32. 33. 34. 35. & dimidium trigeſimi ſexti habes tom. 2. de ſanct. in Feſto Exaltationis S. Crucis.

36. Hæc locutus eſt Iesvs, & abiit, & abſcondit ſe ab eis.

36. Nec amplius id temporis illis Iesvs *locutus eſt, ne furorem illorum quem ſciebat, ad omne facinus eſſe promptiſſimum, magis irritaret; ſed abiit, & abſcondit ſe ab illis, veluti abſentia illorum mitigaturus inſaniam.*

SECTIO PRIMA.

Iudæorum commotio.

TEXTVS.

Vers. 10. Cogitauerunt autem Principes Sacerdotum, vt & Lazarum interficerent. 11. Quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Iesvm. 12. In craſtinum autem turba multa, quæ venerat ad diem feſtum, cum audiſſent, quia venit Iesvs Ieroſolymam; 13. acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obuiam ei, & clamabant: Hoſanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Iſraël. 14. Et inuenit Iesvs aſellum, & ſedit ſuper eum, ſicut ſcriptum eſt. 15. Noli timere, filia Sion, ecce Rex tuus venit ſedens ſuper pullum aſinæ. 16. Hæc non cognouerunt Diſcipuli eius primùm: ſed quando glorificatus eſt Iesvs, tunc recordati ſunt, quia hæc erant ſcripta de eo; & hæc fecerunt ei. 17. Teſtimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo, quando Lazarum vocauit de monumento, & ſuſcitauit eum à mortuis. 18. Propterea & obuiam venit ei turba: quia audierunt eum feciſſe hoc ſignum. 19. Phariſæi ergo dixerunt ad ſemetipſos, Videtis, quia nihil proficimus? ecce mundus totus poſt eum abiit.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De turba cùm ramis palmarum obuiam Christo procedente.

1. *Stultitia Principum intendentium Lazarum occidere.* Cogitauerunt, &c.] Cùm ex his, qui veniebant, multi propter ſuſcitati Lazari miraculum ad Iesvm conuerterentur: Principes Sacerdotum in peius prolapſi cogitant non ſolùm Chriſtum, ſed & Lazarum de medio tollere, quia miraculi magnitudo magnam populi partem ad auctorem operis adducebat. *August.* Auguſtinus, *Miraculum tanta erat euidentia diffamatum, vt nec occultato poſſent, nec negare. O cæcam ſæuitiam, quaſi non poſſet ſuſcitare occiſum qui mortuum ſuſcitauit? Vtrumque fecit, & Lazarum mortuum, & ſeipſum ſuſcitauit occiſum.* Chryſoſtomus, *Nullum Christi miraculum eos ita furere fecit; erat enim hoc mirabilius, & coram multis factum. Cùmque hi non poſſint queri contrà Dominum, contrà Lazarum irritantur. Hoc etiam eos malè habebat, quod feſtiuitatem inſtantem omnes dimittentes, Bethaniam veniebant.* *Chryſoſt.*

2. *Cogitauerunt, ſeu conſultarunt.* *Cogitauerunt*, Græcè ἐβουλεύσαντο, id eſt, *Conſultarunt*, & conſilio communi decreuerunt. Sic ſuprà, *Ab illo die cogitauerunt, vt interficerent eum.*

3. *Vndenā apparatus Ieſu triumphus? Anſelm.* *In craſtinum autem turba multa*, &c.] Die ſequenti à cœna, Anſelmus, *die Dominica.* Venit Dominus Ieroſolymam. Id turbam de Chriſto cogitantem, & loquentem latere non potuit, Deo diſponente. Cùm enim vidiſſent, qui Bethaniam venerant, Chriſtū iter verſus Ieruſalem capientem,

capientem, probabile est, præcurrisse, & eos, qui Ierosolymæ manebant, fecisse certiores: breuique temporis interstitio totam Vrbem famam esse peruagatam. Occurrit igitur ei turba multa extrà Ciuitatem cum ramis palmarum in signum lætitiæ, ac triumphi, honorificisque acclamationibus verum Regem excepit.

4. *Cur turba cũ palmarũ frondibus Christo obuiam processerit.* August. & alij.

Acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei.] Cur turba cum palmarum frondibus obuiam Christo processerit? Augustinus Tract. 50. Euthymius, & Theophylactus, *In signum victoriæ.* Quænam hæc victoria? Euthymius, Quam Lazaro suscitato de morte fuerat consecuturus. Augustinus, Quam in Cruce suffixus de diabolo, & morte consecuturus erat. Non probo; quia imperita turba id temporis huiusmodi non callebat victoriam.

5. *Auctoris sententia.* 1. Mach. 13. Ioseph.

Crediderim, Iudæorum more etiam palmarum frondes afferri ad magnæ lætitiæ significationem, licet hostium victoria non præcessisset. Simon in arcem Templi ingressus est *in hymnis & canticis, & ramis palmarum.* 1. Machab. 13. Iosephus lib. 3. Antiq. cap. 10. asserit Iudæos solitos hoc Tabernaculorum festum cum myrti, salicis, palmæque frondibus celebrare. Non Hebræis id lætitiæ magnæ erat documentum. Quod si adhuc contendas, signari etiam victoriam, admittam, credens turbam palmarum frondes attulisse ob victoriam, quam certissimam sperabant se per Messiam verum consecuturos.

6. *Multa præterit Ioannes.*

Monuerim, Ioannem multa misisse, quæ alij narrant Euangelistæ. Fleuit enim Christus Ierosolymam dum aspiceret, & futura incommoda est vaticinatus. De quo alibi.

7. *De voce Hosanna.*

Et clamabant, Hosanna.] Verbum est Hebraicum duplici constans dictione, scilicet verbo יָשַׁע, quod significat, *Saluum fac*, & נָא, quæ est interiectio quædam deprecantis. Latinè, *Salua obsecro*; qua voce Saluatorem Christum profitebantur. Anselmus, *Hosanna, id est, Salua obsecro.* Chrysostomus, *Maiorem de illo, quam de Propheta opinionem habebant; salutem enim soli Deo scriptura tribuit.*

Anselm. Chrysost.

8. *Verba laudis.* Ioan. 5.

Benedictus, qui venit in nomine Domini. Rex Israël.] Laudis hæc verba. Dicitur in nomine Domini venire, sicut supra, *Ego*, inquit, *veni in nomine Patris mei.* Ioan. 5. Quia non solum à Deo missus erat, sed cum diuina potestate & virtute veniebat, per quam sanitates operabatur, & mortuos suscitabat. Regem vero Israël appellant, quia IESVM Messiam futurum sperabant. Anselmus, *Etiam dicere possent, Benedictus, qui venit in nomine suo, quia ipse Dominus. Verba tamen* (Beda ait) *eius monstrum melius dirigunt intellectum. Ego, inquit, veni in nomine Patris mei.* An magno IESVM titulo efferunt, dum Regem appellant? Augustinus, *Quid magnum fuit Regi seculorum Regem hominum fieri? Quod Rex esse voluit Israël, dignatio est, non promotio; miserationis indicium, non potestatis augmentum. Rex est Israel, quod mentes regat, & in Regnum cælorum perducat.* Adnotat autem Theophylactus, *Iudæi illum Regem Iudæorum nuncupabant, quasi temporalem: expectabant enim Regem quendam, qui eos a Romanis eriperet.*

Cur Regem appellant. Anselm. Beda. August. Theoph.

§. II.

De Rege Israel equitante.

9. *De asello.*

ET *inuenit* IESVS *asellum, & sedit super eum.*] Alij Euangelistæ narrant, Discipulos missos, vt asinam & pullum eius soluerẽt, & ad eum adducerent: vestimentaque Discipulos iumento apposuisse, vt mollius ac decentius Dominus sederet. Cur dixit, *Inuenit* IESVS *asellum?* Quia misit Discipulos in Castellum qui inueniste asinam, & pullum dicuntur. Interlinearis, *Breuiter dicit, quod alij quomodo factum sit, narrãt.*

10. *An sederit super asinã & pullum simul?* Hieron. Euthym. Chrysost. Imperf.

Tres Euangelistæ super pullum asinæ referunt Dominum sedisse, Matthæus autem super asinam, & pullum. Hieron. asserit, super vnum tantum sedisse pullum; nec ei videtur verisimile super duos sedisse modo super vnum, postea super alterum propter viæ breuitatem; quindecim enim stadiis Bethania distabat. Euthymius affirmat, vnum animal fuisse, qui asinus & pullus asini dictus. At Chrysostom. hom. 65. super vtrumque sedisse modo super vnum, modo super alterum docet. Auctor Imperfecti hom. 37. in Matth. super asinam tantum sedisse existimat. Recentioribus quibusdam prima sententia placet. Mihi autem Chrysostomi, Toleti, Theophylacti, & aliorum mens probabilior, nempe super vtrumque animans sedisse primo quidem super asinam, quæ populum Iudæorum signabat; postea super pullum in quo ingressus est Ierosolymam, per quem Gentes indomitæ, iugo legis non assuetæ signabantur. Zacharias, *Ecce Rex tuus sedens super asinam, & super pullum asinæ.* Cap. 9. Ad quid iussisset vtrumque solui, & dicere, *Dominus his opus habet.* Matth. 21. si vno solummodo esset vehendus? Addit Matthæus, *Adduxerũt asinam, & pullum eius, & imposuerunt super eos vestimenta sua: & eum desuper sedere fecerunt.* Vtrumque texerunt indumentis, & super vtrumque fecerunt sedere.

Auctoris sententia. Chrysost. Tolet. Zach. 9. Matth. 21.

11. *De Zachariæ prophetia.*

Sicut scriptum est, Noli timere filia Sion, ecce Rex tuus venit super pullum asinæ.] Prophetia Zachariæ cap. 9. Cuius verba non recitat Euangelista cuncta, sed ea, quæ ad rem attinebant. *Exulta* (ait Propheta) *satis filia Sion*, pro quo Euangelista sensum respiciens, *Noli*, ait, *timere*; quod verbum Christi mansuetudinem & clementiam, qua non ad iudicandum, sed ad saluandum venerat, apertè significat. Augustinus, *Noli timere Ierusalem, illum agnosce, qui à te laudatur, & noli trepidare cum patitur; quia ille sanguis funditur, per quem tuum delictum deleatur.* At Chrysostomus particulam, *Noli timere* aptius exposuit, *Quia Reges eorum iniusti fuerant, & bella mouentes: confidere iubet, quia non hic talis est, sed mitis, & mansuetus; quod ex asina ostenditur: nec enim intrat cum exercitu.*

August. Chrysost.

12. *De Discipulis nõ cognoscentibus eã fuisse scriptum.* Anselm.

Hæc non cognouerũt Discipuli eius primum: sed quando glorificatus est IESVS, *tunc recordati sunt, quia hæc erãt scripta de eo, & hæc fecerũt ei.*] Haud tunc intellexerũt Discipuli totũ illud, quod fiebat, esse prædictũ. At *quando glorificatus est Iesus*, id est, post Ascensionẽ Christi ad superos, misso Spiritu sãcto illustrati sunt, nouerunt id totum fuisse prædictũ. Recordati ergò sũt, hæc scripta fuisse de illo, & hæc eadẽ fuisse facta, sicut scripta erãt. Anselm. *Hæc fecerunt ei, non alia, quã quæ scripta erant de eo.* Ex August. accepit Tract. 51.

13. *Testimonium ergo perhibebat turba: quæ erat*

cum

Vudenam tanta commota est multitudo?

cum eo, quando Lazarum vocauit de monumento, &c.] Iam reddit Ioannes causam, propter quam tanta commota multitudo IESVM honorificè exciperent: nempe quia turba, quæ Bethaniç aderat, videratque mortuum Lazarum suscitatum reddebat omnibus testimonium, Christum tanti operis auctorem extitisse. Non otiose particula *ergo* apposita; tacitam enim habet illationem huiusmodi: Quia turba multa adfuit Bethaniæ, & vidit miraculum: idcircò perhibebat testimonium asserens IESVM Lazarum suscitasse.

14. *Addita Christi virtus, ad seruanum.* Tolet.

Propterea & obuiam venit ei turba, quia audierunt eum fecisse hoc signum] Audit turba Iudæorum, quod pars turbæ asserebat, proceditque obuiam ei, quem Messiam verum profitentur mortis vim superantem. Toletus addit, *Fuit exterior causa mouens miraculum; sed nisi virtus Christi eorum corda mouisset, & mentes illustrasset, adhuc in sua cæcitate mansissent.*

15. *Pharisæorũ indignatio.*

Pharisæi ergò dixerunt ad semetipsos, Videtis quia nihil proficimus: Ecce mundus totus post eum abiit.] Verba indignantium, & ægrè ferentium; quod constat ex Luca. Quidam Pharisæorum dixerunt ad illum: Magister, increpa Discipulos tuos. Cap. 19. Sic Augustinus Tract. 51. Ioannis verba interpretatur. Chrysostomus autem, vocem eorum, qui beneuoli erant Christo, esse affirmat, qui ipso euentu rerum conatus iniquos persequentium studebant reprimere. Euthymius vtramque probat expositionem. Ast ego primam probabiliorem puto, vt ex Lucæ colligo testimonio. *Mundus totus* quid? Chrysostomus, *Mundum turbam dixit.* Augustinus, *Quid inuidet cæca turba, quia post eum vadit mundus, per quem mundus est factus?* Anselmus nostram probat expositionem fatus: *Simplices mirabile factum efferebant, sed Pharisæi turbidè loquuntur, Videtis quia nihil proficimus, &c.*

August. Chrysost. *Auctoris sententia.* Anselm.

I N

IESVM COLLOQVENTEM

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS

CIRCA LITERAM.

EX IVDÆORVM COMMOTIONE

OBSERVAT. I.

Ad illa verba:

Cogitauerunt Principes Sacerdotum, vt & Lazarum interficerent.

Quanta cœcitate laborabant Principes cogitantes interficere Lazarum, quem suscitare poterat occisum, qui mortuum ad vitam reuocarat.

Et quando inuidia luminibus capta non ostenditur?

16. August.

PRINCIPVM cœcitatem cogitantium Lazarum interficere taxat Augustinus, *O cæcam sæuitiam, quasi non posset suscitare occisum, qui mortuum suscitauit!* Vudenam ergo Sacerdotum Principes plerumque sapientes, ac prudentes tanta cœcitate laborabant? Addit Ioannes, *Quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in IESVM.* Vnde Chrysostomus colligit Sacerdotum inuidiam. *Hoc inuidos præcipuè malè habebat, quod festiuitatem instantem omnes dimittentes, Bethaniam veniebant.* Vt scilicet tanti miraculi auctorem venerarentur. Inuidia corripiuntur? Tenentur procul dubio cœcitate; inuidia enim luminibus capta ostentatur.

Chrysost.

Ant. de Escob. & Mend. Tom. III.

Clamat Stephanus, *Ecce video cælos apertos, & Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei.* Act. 7. Asserit se videre, quia Iudæi minimè intuebantur. Quonammodò, precor, tam celebris apparitio, disruptis cœlis, æthere lumine coruscante, ab oculis adstantium Iudæorum absconditur? Crediderim, quia illi laborabant inuidia, quæ videre non potest, quia luminibus est orbata. Bellè Augustinus serm. 94. de diuers. supra sub alia thesi datus: *Vidit Stephanus* IESVM *stantem ad dexteram Patris, vidit, vt non taceret. Non illi videbant, sed inuidebant; & ideo non videbant, quia inuidebant.*

17. *Non vident Iudæi Filiũ Dei, quia inuidia pleni, quæ cæca est, & excæcat animũ,* Act. 7. August.

Tanta Isaac apud Palestinam opulentia illustris obiicitur, vt Palestini inuidia affecti, curarint ab ipsis relegari. *Abi à nobis, quia potentior nobis factus es.* Gen. 26. Vbi Chrysostomus, *Magna* (exclamat) *maleuolentia! Cuius gratia abigis istum? Num iniuriam intulit? Oportebat quem omnium Deus tanta gratia prosequebatur, Dei exemplo magis fauere ei seruiendo; vt honore in illum collocato, etiam sibi diuinum fauorem conciliarent.* Cur ergo ablegatis Palestinæ decus, peccatorum aduocatum? O cœcitas inuidiæ! *Sic se habet* (Pater addit) *inuidia, quæ nihil cum rationis lumine operatur.*

18. *Cæcitas eorum, qui inuidebant Isaaco.* Gen 26. Chrysost.

Hinc antiqui fœminæ inuidiam exprimebant imagine, cuius oculi nube obuelabantur. D. Chrysol. serm. 48. adhæc, *Non sic nubes cælum, nox diem, Solem caligo: quomodo mentem cæcat, & tenebrat inuidia.*

19. *Inuidia umbra, nox, caligo.* Chrysol.

Clamant Iosephi fratres inuidia correpti, *Ecce somniator venit, venite, occidamus eum. Et tunc apparebit, quid illi prosint somnia sua.* Genes. 37. Ad quæ D. Basilius hoc inuidos cœcos

20. *Fratres Iosephi cæci ex inuidia.*

O dileinare

Gen. 17. Basil.

dilemate conuincit: *Si vera erant Iosephi somnia, qua ratione potuit effici, vt non omnino ea euenirent quæ prædixit? Sin falsa, cur inuidebant erranti, & decepto?* Concludit doctor, *Sic in Iosephum erant fratres animati, vt quidquid facerent cœci nescirent.*

21. *Quam cæci ex inuidia Iudæi circa titulū Crucis.* Ioan. 19.

Eodem argumento Iudæos illigare intendam in suffixione Saluatoris. Titulus Crucis addicitur à Pilato, IESVS *Nazarenus, Rex Iudæorum. Dicebant ergo Pilato Principes Iudæorum, Noli Scribere, Rex Iudæorum*, sed quod se Regem Iudæorum simulauit. Ioan. 19. Aut verus est Rex, aut fictus. Si verus quonammodo potestis eius potentiam superare? *Si mortalis erat* (loquor cum Chrysostomo hom 84. in Ioan.) *& imbecillis, & moriēs ut quid Scripturam timuistis, quod esset Rex Iudæorum? Quid hoc vobis nocebat Iudæi? Nihil.* O inuidiæ cœcitatem. O quam capti intellectu, qui post tanta potentiæ Christi experimenta, Regem eum esse abnegarunt! Cyrillus lib. 12. in Ioan. cap. 31. *Non possunt ferre huiusmodi titulum Principes Iudæorum, sed acri turbati, seu cæci inuidia, Regnum pernegant Christi.*

Chrysost. Cyril.

22. *Inuidet prodigi frater dictus qua ritur de incœnomia.* Luc. 15.

Obiiciam inuidi supremam cœcitatem. Post exceptum prodigum adolescentem, post Symphoniæ modulos, post institutum conuiuium vituli saginati, senior filius inuidia affectus, *Ecce*, inquit, *tot annis seruio tibi, & nūquam dedisti mihi hædum* Luc. 15. Vbi Hugo Card. *Nunquam feci, vnde debeam veniam impetrare.* O lumina obturata! Quereris, ô bone, quod non permissus fueris esse malus? Vndenam potuit tanta animi cœcitas eorum ducere nisi ex inuidiæ affectu? Chrysologus serm. 105. *Summum frugalitatis bonum extremo zeli malo perdidit, & liuoris.* Lubet exclamare cum Augustino, *O stulta cogitatio & cœca sæuitia! Quando Lazaro inferebatis necem, nunquid auferebatis Domino potestatem? Si alius videtur vobis mortuus, alius occisus: ecce Dominus vtrumque fecit, & Lazarum mortuum, & se ipsum suscitauit occisum.*

Chrysol.

OBSERVAT. II.

Ad illa verba:

Vt & Lazarum interficerent.

Cogitant inuidi Principes non solum Christum, sed & Lazarum de medio tollere.

Inuidia enim crudelissima lues.

23. PArticula *& Lazarum* innuit, (vt vidimus) non solum Principes intendisse Dominum è medio tollere, sed *& Lazarum*, quem à monumento suscitarat. Profectò inuidia malum est crudelissimum. Herodotus inuidiam leænâ esse horribiliorem exposuit. *Inuidum quemuis puto leonem horribilem sæuitia vincere.*

Herodot.

24. *Quam crudeles inuidi Iudæi in Saluatorem tot actum iniuriis.* Ioan. 19.

Iudæi Christum vili purpuræ ornatum indumento, pro sceptro, coronaque spinis & arundine stiparunt. *Exiit ergo* IESVS *portans spineam coronam, & purpureum vestimentum, & dixit eis Pilatus: Ecce homo. Cum ergo vidissent eum Pontifices, & ministri, clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum.* Ioan. 19. Non solum efflagitarunt Dominum necari, sed & morte turpissima puniri. Vti prophetico ex ore clamitarant: *Morte turpissima condemnemus eum.* Vndenam post aspectatam spinarum, ac flagellorum crudelitatem, tanta Iudæis sæuitia vt tormentis actum horribilibus, expetant enixè patibulo configi? Ex inuidia planè. Augustinus Tract. 116. in Ioan. *Egreditur ad eos* IESVS *portans spineam coronam, & purpureum vestimentum, non clarus imperio, sed plenus opprobrio. Si Regi inuidetis, iam parcite, quia deiectum videtis. Flagellatus est, spinis coronatus est, ludibriosa veste amictus est, amaris conuiciis illusus est; feruet ignominia, frigescat inuidia. Sed non frigescit, inardescit potius, & increscit.*

August.

25. *Qui non irritantur ex flagellatione, ex inuidia excandescunt.* Matth. 12.

Restituit Dominus, ariditate ablegata, manui hominis cuiusdam sanitatem. *Extende*, inquit, *manum tuam, & extendit, & restituta est sanitati, sicut altera. Exeuntes autem Pharisæi concilium faciebant aduersus eum, quomodo perderent eum.* Matth. 12. Obsecro reuoces ad memoriam Dominum flagello Templi prophanatores percutientem. An iracundia succenduntur, vt Dominum de medio tollant? Minimè: sed profantur, *Quod signum ostendis nobis, quod hæc facis.* Ioan. 2. Cum vulnerantur infami flagello non excandescunt; cum miraculi fulgore coruscat, sæuitia affecti necem Domino meditantur? An inuidia est iniuria crudelior? Quis abneget? Chrysostomus hom. 22. in Ioan. *Cur Iudæi, qui in collatis beneficiis Christum accusabant, & persequebantur: cum credibile esset castigatione tam acri grauius excandescere, æquo animo tulerunt? Nulla enim in eum contumelia vsi sunt, sed quod signum, inquiunt, ostendis nobis, quia hæc facis? Animaduertis inuidiam incredibilem, & quonam pacto in alios collata beneficia magis eos irritabant?* Si vulnus inflictum potuit componi cum vulneratorum patientia: quonammodò beneficiorum fulgor animum excitauit ad vulnera exitialia? Quia inuidia crudelissima lues, quæ non potest à sanguinis profusione conticeri.

Chrysost.

26. *Fratres Iosephi inuidi, tauri in morē tunicam fugientis cōminuunt, & cruentant.* Gen. 37. Theodor.

In Iosephum fratrem filij Iacob insurgere conantur inuidia succensi. Cogitauerunt interficere, sed sanguine exorante, eum viuum in cisternam emittunt, à qua quidem extractum Ismaëlitis mercatoribus vendidere. *Paulò post Ismaëlitis mercatoribus vendunt, cum in somnis regnantem ne aspectu quidem dignari possent.* Sic Theodoretus serm. 8. de Prou. An crudelitas inuidiæ extincta? *Tulerunt autem* (Moyses ait) *tunicam eius, & in sanguine Hædi quem occiderunt, tinxerunt, mittentes qui ferrent ad patrem.* Gen. 37. Et quonammodò inuidia poterat sine sanguinis profusione quiescere? Basilius Seleu. Orat. 8. *In speciem cædis vestem compositam patris offerunt manibus; quasi sine sanguine inuidentiam nequeant extinguere.* O *feram pessimam* innocentis sanguinem profundentem. Inuidiæ crudelitati satis non erat in puteum immissio, venditioque, nisi sanguis funderetur innoxius. Vnde, in morem tauri, aufugiente Iosepho, polymitam (originem inuidentiæ) desænit in tunicam.

Basil. Seleu.

27. *Malus Saul videri dæmoniacus,*

Quis magis inuidus quam Saul, qui benefactorem suum curauit lancea confodere. Spiritu hic Dei malo inuadente, lanceam vt

Dauidem

quam inuidiæ. Sed si dæmon crudelis obsecretur inuidus appares. 1.Reg.18. Lyran.

Dauidem configeret contorsit vano quidem ictu. *At fecit eum Tribunum super mille viros.* 1.Reg.18. Quare inimicum honore cumulauit? *Vt fingeret se non inuidia, sed à dæmone agitatum lanceam contorsisse.* Sic Lyranus. Ac si minus puderet à dæmone, quam inuidia correptum videri. O quam imprudens Regis simulatio! Nullus non crederet ex inuidia ortum duxisse iracundiam dæmoniacam; tanta enim feritas quomodo non à sola inuidia procedere videretur?

28. *Saulus inuidus vsque ad sanguinem feritas.* Athan.

Quot Rex inuidus lapides mouit, vt fugitiuum interficeret? Sufficiat tibi tantum virum infami fugæ se dedisse, subeat in mentem tuum generum esse, illustres obtinuisse ab hostibus triumphos. Et quonammodo poterat inuidia sine profuso sanguine satiari? Athanasius hom. de semente. *Heu mihi qualis tentatio! Inuidia insidiatur ei, quem in generum accepit, nec filiæ parcendum putat; vt per speciem magnificæ affinitatis filiæ marito, vsque ad sanguinem, insidietur.*

OBSERVAT. III.

Ad illa verba:

Acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei.

Non tapetibus viæ sternuntur, sed palmarum ramis, ad victoriam Domini celebrandam.

Deus enim non fuco, sed naturali compositione delectatur.

29. *Contra fucos faciei, & sermonis.* August.

AVgustinus, *Rami palmarum laudes sunt significantes victoriam, quia erat Dominus mortem superaturus moriendo, & trophæo Crucis de diabolo mortis Principe triumphaturus.* Ad tanti momenti laudes inouendas cur viæ non sternuntur tapetibus aulicis? Cur arcus triumphales non exædificantur? Certè quia Deus fucato non delectatur ornatu, sed natiua simplicitate frondium.

30. *An bestiæ beatiores homine ex eo quod natiua synceritate sine fuco benedicat Domino?* Clem.Alex.

Expressit id Clemens Alexand. dum asserit cæteros animantes homine posse esse fæliciores; quia fuco vti non possunt, sed naturali simplicitate Deum collaudant. *O error* (inquit lib. ad Gent.) *qui est in hominibus! Bestiæ beatiores quæ patiuntur quidem ignorationem, veritatem autem nequaquam falso imitantur, ac simulant.* Ideo Dauid cuncta animantia, creaturasque sensu non præditas ad Dei laudes proferendas inuitat. *Benedicite omnia opera Domini Domino. Benedicite aquæ, benedicite bestiæ, & pecora,* &c.

31. *Iesus laudatur à simplici columba ramum gestante oliuæ?* Matth.3.

Columba Dominum aliquando demonstrauit. *Baptizatus autem IESVS confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei cæli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se.* Matth.3. Cur cælum non elegit Angelicos Choros, qui Christi laudes decantarent? Simplicitatem columbæ gratissimam sibi esse ostentauit ad victorias IESV proferendas. Quemadmodum ad triumphos Noemi celebrandos aduersus diluuium columba eligi-

tur portans oliuæ (ceu palmę hodiernæ) ramum. O quam grata Numini ad proferendas laudes naturalis simplicitas! Tertull. lib adu. Valentin. *Christum columba demonstrare soluta est. Illa enim & à primordio diuinæ pacis præco. Illa simplicitas facilius sola Deum & agnoscere poterit, & ostendere.* Tertull.

Exprimo datam Iacobo à parente Isaaco benedictionem. *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus,* Gen.27. Cur Iudæorum non memorat aromata, vt fragrantiam filij dilectissimi laudaret? Spiritu cœlesti actus ille ostendit natiua pulchritudine, ac simplicitate sine fuco delectari. Ambrosius lib.5. Exam. cap.17. *Odor Iacob, odor agri pleni, id est, naturalis odor. Quid enim pleno rure suauius? Et ego odorem ipsius terræ simplicem, atque syncerum pro gratia benedictionis accipiam, quem fraus nulla composuit, sed veritas indulgentia cœlestis infudit.* Dum terra curat festiuo plausu obuiam procedere conditori, ramos gestat, natiua exponit germina triumphatori.

32. *Agri benedictio placet Domino, quia naturalis fragrantia.* Gen.27. Ambros.

Quid turba proloquitur? Queisnam panegyricis Dominum victorem celebrauit? *Hosanna*, inquiunt, *benedictus, qui venit in nomine Domini.* Ioan.12. Cur non clamitant, Benedictus Dei Filius ex Patre procedens, Dominus exercituum suspirium Patriarcharum, Prophetarum spes. *Hosanna. Salua obsecro.* Non verborum fuco, sed naturali idiomate laus diuina efferenda. Edocuit Dominus sic orans: *Pater noster, qui es in cælis.* Matth 5. Quare Regem Regum non appellauit, vel aliquo honorificentiori titulo, seu vocabulo vsus est? An quia solum nomen Patris est nomen naturale, simplicitati naturæ conueniens? Philo lib. de vita Moys. *Ne mortalium quidem parentum nomina proferunt ij, quibus cordi est pietas. Sed omissis propriis, honoris gratia vtuntur naturalibus, patrem appellantes, matremque; atque ita profitentur immensa accepta beneficia.* Dum ergo naturali vocabuli simplicitate clamas, *Pater noster,* immensa à Deo beneficia accepta ingenuè profiteris; quæ quidem vocabulum *Pater* repræsentat. Nam & *Pater* à *portando*, à *pascendo*, à *patrando* deduxit originem.

33. *Non verborum fuco, sed naturali idiomate laus diuina offertur.* Ioan.12. Matth 5. Philo.

Deo Dauid curat obuiam procedere triūphatori. Recenset Rex Conditoris victorias proclamans, *Tua est magnificentia, & potentia, & gloria, atque victoria. Tuum Domine, Regnum, & tu es super omnes Principes. Tu Dominus omnium, in manu tua virtus & potentia. Nunc igitur Deus confitemur tibi, & laudamus nomen tuum inclytum.* Quonam igitur apparatu, ô Dauid, obuiam curas victori procedere? An triumphalem præparas currum? *Scio Deus meus, quod probes corda, & simplicitatem diligas; vnde & ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli vniuersa.* 1.Paral.29. Liceat sic exponere: *Vniuersa obtuli in simplicitate*, id est, dum simplicitatem cordis offero triumphatori, vniuersa videor me obtulisse; quia naturalis simplicitas Deo vberrimum sacrificium. Ramos igitur gesto vt obuiam procedam triumphatori. Vnde Lyranus, Simplicitate oblata gaudet Deus, *prout simplicitas opponitur duplicitati.* Hinc monuerim fucum omnem tum quam non Deo inuisum à verbis, à pulchritudine, à laudatione ablegandum.

34. *Sic Dauid offerebat in cordis simplicitate grata Numini.* 1.Paral.9. Lyran.

OBSERVAT. IV.

Ad illa verba:

Cogitauerunt Principes Sacerdotum, vt & Lazarum interficerent; quia multi propter illum, &c.

Principes Sacerdotum expetunt de medio tollere Lazarum, vt adulatione Cæsaris animum demulcerent.

Cuncti enim curant Principum auribus, profusa adulatione, assentari.

35. Rupert. ASserit Rupertus Sacerdotum Primores cogitasse Lazari neci operam dare, timore perculsos, ne propter turbatum acclamationem, & credulitatem in IESVM Cæsar mœstitudine afficeretur. Vnde vt possent eius animum adulatione demulcere, Lazarum, qui gloriam Christi viuens commendabat, curant ad mortuos reuocari. *Iste pauor* (ait Abbas) *fidelitatem sonuerat Dominorum suorum.* O quam agnatum subdito cuique Dominorum, Principum, Præsulum auribus, profusa adulatione, assentari.

36. *Dum Iudas Christo non tribuit nomē magnificum sapiens adulationē, ostē-dit se iam nō esse subditū.* Math. 26. Rupert.

Subditus quis est? Naturali pondere (plerumque sine vllo piaculo) ad adulatoria verba defertur. Asseruit Christus se à Discipulo esse tradendum. Rogantibus autem Discipulis, *Numquid ego sum, Domine?* Solus Iudas profatur: *Numquid ego sum, Rabbi?* Matth. 26. Cur Rabbi, & non Dominum appellauit? An quia iam se minimè esse subditum innuebat? Sic pulchrè Rupertus, *Solum hoc dicere Magister, siue Rabbi, & non dicere, Domine, cordis est longinqui, id est, longe iam remoti.* Iam Iudas exemptum se à communitate profitetur, se subditum abnegat. Quid subdito cum magnifico Domini vocabulo? Certè subditus eo curat vocabulo vti, quod heri gloriam augustius repræsentet. Vnde dum Iudas non studet Domini laudibus efferendis, ostendit se à ditione Christi recessisse. Porrò Discipuli (sine suspicione piaculi) dum IESVM sibi præpositum agnoscunt, naturali pondere augustiores excitantur ad laudes. *Numquid ego sum Domine.*

37. *Quod litatur Domino, vt Domino, & non vt Deo, an sapiat adulationem.* Gen. 8. Ambros.

Post diluuij aquas recedentes, post terram repurgatam, gratus Noë *ædificauit Altare Domino.* Gen. 8. Legit Ambrosius, *Ædificauit Altare Deo.* Additque Doctor, *Non dixit, Domino, sed Deo. Non coacta videtur esse hæc actio gratiarum coram Domino, sed virtus instinctu morigera, & grata quasi Deo, quod imperiale est sequestrauit.* Sic lib. de Noë cap. 22. Ac si diceret, Noluit Noë, dum Dominum menti obiicit, litare sacrificium, sed dum Deum concipit intellectu. Ne qui viderent eum Domino subditi munus offerre, crederent magis illud obsequium ex adulanti animo profluere, quam ex gratitudinis officio. Vix enim obsequij nomine potest exprimi, quod Domino litatur. Domino subditus offert? Vereor ne sit obsequium, sed adulatio.

Moyses in fluuium mittitur suffocandus, sed aqua applaudens vndarum impulsu eum in Ægypti Regis filiæ tradidit ditionem. *Quem illa adoptauit in locum filij, vocauitque nomen eius Moyses, dicens: Quia de aqua tuli eum.* Exod. 1. Vides, aquam Moysi adulari? Cur vel insensibilis loquor tam se beneficam exposito ostentauit infanti? Certè quia aquarum futurus Præses, dum vndas Nili mutaturus erat in sanguinem. Pulchrè Chrysostomus hom. 1. in Act. *Futurus Præfectus in ipso medio furore nascitur, expositum autem aquis, illum ab aqua sustulit filia Pharaonis, & nutriuit, pro filio.* Præfecto futuro adulatrix blanditur vnda. 38.

Aqua futura subdita adulatrix vnda applaudit Moysi Præsidi. Exod. 1. Chrysost.

Fratrem Mosem Aaron & Maria detractione afficiunt, & Maria, irato numine, *apparuit candens lepra.* Num. 12. Vbi quærit Chrysostomus hom. 3 ad Col. *Qua ratione, cum vtrique Moysi oblocuti essent, Maria sola pœnas dedit?* Respondet, *Ne mireris. Si enim in mundanis dignitatibus, etsi mille modis quisque incusetur, non tamen primum ad iudicium ducitur, nisi prius Principatum deposuerit: multo magis in Prælatura spirituali.* An non spirituali Prælaturæ lepra subdita est? An non Sacerdoti datum de lepræ qualitate iudicare? Ergo ipsa subdita futura lepra Præposito applaudit adulatrix. 39.

Lepra subdita futura non inficitur Aaron An ægritudines adulatur? Num. 12. Chrysost.

Dauid cecinit, *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Psalm. 140. Genebrardus ex quorumdam lectione, *Non franget caput.* Quid oleo cum capite Dauidis? Explicat Auctor, dum ait adulationem oleo illo signari, quod quidem caput præcipuè obtundit; quia adulator subditus semper capiti, seu Præsuli assectatur: *Non franget caput.* 40.

Subditus capiti assentatur, seu Præsuli. Psalm. 140. Geneb.

OBSERVAT. V.

Ad illa verba:

Vt & Lazarum interficerent, &c.

Lazarus suscitatus à Domino quid deliquit, vt interfectioni sit addicendus.

Porrò fælix ostenditur, & agnata est ruina fælicitati.

CHrysostomus, *Nullum Christi miraculum eos ita furere fecit, erat enim hoc mirabilius, & coram multis factum: cumque hic non possint queri contra contra Dominum contra Lazarum irritantur.* An deliquerit Lazarus? Minimè. Quare igitur irritantur in Lazarum? Certè quia fælicitate resurrectionis potitur. O fælicitatis terrenæ incommoda! Semper seculari fælicitati agnata est tribulatio. 41. Chrysost.

Contemplemini obsecro Dauidem tribulationum sepulchro clausum, quam victor ostenditur, passionibus animi superatis? Ast cum primum à Domino à sepulchro auocatur, & fælicitate potitur, mox exsurgunt in illum Principes tenebrarum: *Cogitauerunt, vt & Dauidem interficerent.* Vnde misere, ac fœde cecidit in certamine. 2. Reg. 11. August. ad Ps. 50. *Quando Dauid sanctus Saulem inimicum patiebatur, quando illius persecutio* 42.

Dauid è sepulchro persecutionum oxillēs, fœlix effectus, fœdè à Principibus tenebrarum interimitur. 2. Reg. 11. August.

persentiemibus agitabatur non concupiscebat alienam. Erat in morte tribulationis sua tanto in Deum intentior, quanto miserior videbatur. Valet hoc exemplum ad id, vt timeamus falicitatem. Ergo præstat in morte seu sepulchro tribulationis recludi, quam resurgere ad Principum tenebrarum verè exitialia vulnera subeunda.

43. *Ex fœlicitatis beneficio iniuria nascitur.* Tertull. August.

Dixerat Carthaginensibus Tertullianus lib. de Pal. cap. 1. *Post iniuria beneficium.* An non appositè addidisset, *Et post beneficij iniuriam.* Nam ex fælicitatis beneficio supremo assolet infallibiliter hostium exoriri repugnatio. Vndo *Scipio Nasica* (Augustino auctore lib. 1. de Ciu. cap. 30.) *Nolebat amulam tunc Imperij Romani Carthaginem dirui: & decernenti, vt dirueretur, Catoni contradicebat, timens infirmis animis hostem fœlicitatem.* Ex fœlicitatis enim beneficio iniuria assolet parturiri.

44. *Vulneratus liberatur, sed diutius à fœlicitate fortasse percutiendus.* Luc. 10. Arnul.

A latronibus vulneratum Samaritanus pius ad valetudinem; ac velut Lazarum è tumulo reuocauit ad vitam, *infundens oleum, & vinum.* Luc. 10. Cur suauitati olei vini vim admiscuit? Vt moneret fælicis valetudinis ineuitabilem iniuriam. Audi Arnulphum Epist. ad Henr. Pisan. *Habent medicina remedia nescio quid abominanda malignitatis admixtum: & ne gratis conferant omne beneficium, semper à iuncto maleficio recompensant. Vt etiam cum profuerint, indignius vlciscantur.* Sanitate frueris ò miser vulnerate, sed sanus affectus valetudinis ipsa fælicitas acrius fortasse vulnerabitur.

45. *Partus virginis verè fœlix sine vsura corruptionis quia diminutione falicitatis natura minatur.* Luc. 2. Herodot. Theodor.

An felicitas corporalis aliqua sine vsura iniuriæ? Si aliqua obiicitur, diuinæ potentiæ gratia necessario ostenditur, vt naturæ vincat consuetudinem. Mittuntur cœlestis exercitus proceres ad partum Deiparæ celebrandum. *Gloria in Altissimis Deo, & in terra pax hominibus.* Luc. 2. Lætitia interminabilis hominibus indicitur cunctis, Virgini parienti, & hominibus salute donandis. Scio lætitia nos affici, ob salutem: sed quæsierim, an Deiparæ etiam lætitia fuerit indicta? Herodotus aiebat. *Concepisti ò miserè fœlix quia periit ex conceptu integritas.* An Maria etiam fælix ex hoc capite *miserè?* Minimè verò, quia contra fœlicitatis naturam virgo & mater ostenditur. Perpulchrè Theodotus hom. de Natio. Tom. 6. Concil. Apend. 5. *Clara & inopinabilis prasentis causa festiuitatis. Clara quidem, quoniam communem hominibus introduxit salutem. Inopinabilis autem, quia rationem natura vicit. Natura quippe post partum nescit vlterius virginem. Gratia vero & parientem ostendit, & matrem facit, & virginitatis fœlicitati non nocuit.*

46. *Cum Hebræi fœliciter liberantur ab exterminatore indigent alio protectore, qui fœ eos defendat.* Exod. 12. Gaudent.

Communis Hebræis fælicitas egressionis indicitur primogenitorum intcremptione, à qua, sanguine Agni protegente, erant liberandi. *Et transibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in terra Ægypti ab homine vsque ad pecus. Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus. Et videbo sanguinem, & protegam vos.* Exod. 12. Si fœlicitas egrediendi Hebræis parabatur, quid necessum erat ipsos protegi à Domino? Respondet acutè D. Gaudentius Tract. in Exod. *Protegam vos quasi ab alio exterminatore.* Cur non dixit, *Protegam vos ab eodem exterminatore.* Sed *ab alio?* Crediderim, quia tam Dominus iusserat Angelo exterminanti illi, nè auderet Hebræorum primogenita vulnerare. At dum fæliciter domus eorum ab exterminatore defenduntur, ipsique fælices ostentantur: necessario in fælices noua exsurgit calamitas, à qua à Domino liberandi erant. *Protegam vos ab alio exterminatore.* Haud nimium credas fœlicitati, quæ nunquam tentatur ab hostibus.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Et inuenit Iesus asellum, & sedit super eum, &c.

Si Rex à Sion filia recipiendus inducitur, asellum requirit ad equitandum?

Quia quò quis augustior, eò efficacius superflua reiicit, necessaria solummodo admittens.

47. *Regũ, Principũ, Equuleum Theophanum superfluum ornatum tave.* Theoph.

CLamitant turbæ Iudæorum, *Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel.* Theophylactus, Iudæi illum Regem Iudæorum nuncupabant, *quasi temporalem Regem.* Mox adiicit Ioannes, *Et inuenit* IESVS *asellum.* Inuenit quia quæsiuit Discipulos, immittens. Quare ergo non quæsiuit equum, quo Rex Iudæorum decentius inferretur? Quia quo IESVS augustior obiicitur, efficacius superflua reiicit contentus necessariis. Vulgarem esse hominem, superfluus ostendit ornatus: nobilitas enim suomet fulgore vestitur.

48. *Oculi Reges non indigent ornatu, sicut subdita alia membra.* Auson. Platon.

Aiebat Ausonius, *Oculi reliquorum sunt membrorum Rectores, imò facilè Principes.* An indigeant Reges oculi speciali ornatu, ad augustæ dignitatis ostentationem? Certè subdita membra indigebunt vestimentorum ornatu, ne agnata vilitas exponatur. At oculi Reges sua propria nobilitate vestiuntur. Vnde oculi fuco ornati, oculi minimè esse apparent. Audi Platonem Dial. 4. de Repub. monens Principes ad sola necessaria requirenda. *Si quis ad nos hominis imaginem pingentes, accederet, & vituperaret, quod non pulcherrimis animantis partibus pulcherrima pigmenta apponeremus; oculi enim pulcherrima pars non purpureo colore, sed atramento induti essent: moderatè sane ipsi respondere videbimur, si diceremus: O admirande, ne putes, nos oportere ita oculos pulchros pingere, vt nec oculi esse videantur.* Oculis pulcherrimæ ac Principi corporis parti sufficit atramentum agnatum colorem significans. At si purpura illos induere curarem, clamis quidem Imperatoris, non autem Imperatores ipsi apparerent. Imperatori sufficit agnata magnitudo cum ornatus necessarij moderamine.

49. *Pedes subditi ornentur, oculis Regibus sufficiat agnata pulchritudo necessario.* Cant. 7.

Reliqua membra, fateor, indigent ornatu, ne vituperio affici videantur: oculis ornatis ingeris vituperium. Subditi viliores ornentur, augustis hominibus sufficit nobilitatis fulgor. Sponsus appositè, *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis! Iunctura fœmorũ, &c. Oculi sicut piscina.* Cant. 7. Et oculorum & pedum studet Salomon ornatum exponere. Quid pedes nisi subditi viliores? Quid oculi nisi Principes augusti? Vilitate laborantes pedes

pulchri ostentantur, dum calceamentorum ornatus adducitur. At oculi pulcherrimi obiiciuntur aquæ comparati, quæ nullum referente colorem, exprimit agnatam oculorum speciem. Viles subditi admittant ornatum, Reges non indigent superfluo indumento, vt agnosci possint.

50. An non Adamus omnium Dominator creaturarum exsurgit? *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis terræ?* Gen. 1. Quonam ornatu illa Dei imago apparet amicta? Certè suamet agnata pulchritudine. *Cognouerunt se esse nudos.* Gen. 3. Tunc cum nudus obiicitur Adam à cunctis creatoris Rex honoratur. Porrò cum indutus apparet subditi sese imperio abdicarunt. *Cognouerunt se esse nudos, & fecerunt sibi perizomata.* Vilis subditus ostenditur, cum ornatur, qui nudus cunctis Dominator obiicitur. Rupertus. *Bene igitur nudus erat vterque, & non erubescebant, quia quod erubescerent non habebant. Illa nuditatis securitate perdita, nos ingemiscimus, eo quod gloria, & honore spoliati, & panniculis obuoluti sumus.* Dum igitur ornamur, subditi apparemus: dum autem agnata nobis sufficit pulchritudo, tunc nobis à subditis litatur obsequium.

Adamus dū nudus est, Rex ostenditur, dum ornatus folijs, subditus obiicitur.
Gen. 1.
Gen. 3.
Rupert.

51. Addit Doctor, *Ita vestiti verè incedimus nudi, etiam si vestiamur, sicut vestiuntur lilia agri.* Id est, etiam si affectamus nos lilia agri imitari, quæ agnata puritate vestiuntur. Equidem lilia agri Regni exerunt simulacrum. Plinius, *Extollit caput lilium Regium.* Quid cum Regno lilio? *Considerate lilia agri* (ait Dominus) *quomodo crescunt, non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis.* Matth. 6. Salomon Rex ornatus obiicitur, lilia Regia nuda ostentantur; liliorum nuditas superat Salomonis ornatum: & lilia aptius nuditate ostendunt se floribus imperare, quam ornatus Salomon hominum esse Imperatorem.

Lilium florū Rex agnato ornatus amictu. Non Salomon ita gloriosè.
Rupert.
Plin.
Matth. 6.

52. Preme particulam, *In omni gloria sua.* An non Salomon vicit gloria, seu apparatu Regio cunctos orbis Imperatores? Testor Reginam illam, quæ, oculis obiecta Salomonis gloria, pene exanimata apparuit. Quomodo ergo à lilio vincitur? Quia lilium agnato splendescit ornatu, foliorum viridium moderamine vsus. Augustinus quæst. 81. ex nouo Test. *Hæc vera laus est, si sic illi proficiat quæsita dignitas, vt nullius egeat: dum hoc natura eius præstatur, vt per se ipsa viuat, & bene viuat nullo requisito suffragio.* Hoc est verè diuitem (Regemque) *fieri, & verè gloriosum.* Ergo dum lilium à Regia natura accepit, vt per se viueret, & bene viueret: veram gloriam gloriæ Salomonis superiorem ostentat.

Vera nobilitas non indiget ornatu.
August.

53. Hinc mundialium Principum ornatum taxo. Studet Rex, Principes, Eques apparatum addere, vt ex indumento, satellitioque possint augusti admodum apparere. At tunc vulgares subditi ostentantur, seu Reges, aut Equites fabulæ obiiciuntur. Verum enim Imperium, vera nobilitas haut eget apparatu. Christus se Regem asseruerat, non credente Præside, quia Regium apparatum non aspectabat. Vnde obiectioni Dominus respondit: *Regnum meum non est de hoc mundo, si ex hoc mundo esset Regnū meum, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis.* Ioan. 18. Ac si diceret, verus sum Rex qui externo non indigeo apparatu veluti Principes non veri mundiales. Theophylactus, *Præsentis Regni inanitatem* (seu mendacium) *significat, eo quod ab externis habeat robur. Supernum verum Regnum sufficiens est, nullo indigens.* Hinc Regum, Principum, Equitumque superfluum ornatum reprehenderim obscurantem quidem dignitatem, quæ ex agnato modesto ostentatur amictu.

Fallax Regnum ex apparatu agnoscitur, verū haud eget ornatu.
Ioan. 18.
Theoph.

SECTIO SECVNDA.

Gentilium Accessio.

TEXTVS.

VERS. 20. ERant autem quidam Gentiles ex his, qui ascenderant, vt adorarent in die festo. 21. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat à Bethsaida Galilææ; & rogabant eum dicentes: Domine, volumus Iesum videre. 22. Venit Philippus, & dicit Andreæ: Andreas rursum & Philippus dixerunt IESV. 23. IESVS autem respondit eis, dicens: Venit hora, vt clarificetur Filius hominis. 24. 25. 26. 27. Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, saluifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc. 28. Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cœlo: Et clarificaui, & iterum clarificabo. 29. Turba ergo, quæ stabat, & audierat, dicebat, tonitruum esse factum. Alij dicebant, Angelus ei locutus est. 30. Respondit Iesus, & dixit: Non propter me hæc vox venit, sed propter vos. 31. 32. 33. 34. 35. 36. Hæc locutus est Iesus, & abscondit se ab eis.

COMMEN

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Gentilibus alloqui Christum procurantibus.

1. *Soliti Gentiles Templum ascendere.* — Act.8. — 2.Mac. 3. — 1. Esdr. 1. — Chrysost. — Anselm.

ERant autem quidam Gentiles, &c.] Compertum planè est multos Gentiles deuotionis gratia solitos Ierosolymam ascendere. Eunuchum Ethyopiæ Reginæ sacram Vrbem inisse Lucas asserit Act.8. Eliodorus adorauit & oblationes saccerrimo Templo litauit. 2. Mach.3. Reges Gentium Cyrus,& Darius munera immittebant. 1. Esdr. 1. Chrysostomus hom.65. putat hosce Gentiles ex iis fuisse, qui proselyti esse studebant. Anselmus, seu Interl. Glossa proselytos iam, & circuncisione addictos esse affirmat. At crediderim ex Euangelio solummodo ediscere nos posse Gentiles fuisse, quos certum est solitos in Templum tunc ascendere, etiam si circuncisi non essent, nec vellent circumcidi. An Gentiles ad sacrificia admitterentur? Ita plane, sed ad esum agni minimè, si non essent iam circuncisione initiati, & Iudaismi professores. Exod.12. Beda, *Adeo erat famosum Templum, vt diebus festis etiam ex longinquis Regionibus Gentes conuenirent, Sicut de Eunucho Cādacis Regina Apostolorū Actus declarāt.*

Exod 12. — Beda.

2. *De particula illatiua.*

Hi ergo accesserunt ad Philippum, &c.] Vsus Ioannes illatiua particula *Ergo* vt significaret hosce Gentiles esse Galilææ Gentium incolas, ideoque memorat Philippum *à Bethsaida Galilea.* Erant igitur Gentiles, & propterea accesserunt ad Philippum, qui erat à Bethsaida Galilææ Gentium, quam multi Gentiles incolebant. Philippo itaque vicino exponunt, se desiderio affici Saluatorem videndi. Toletus, *Perpende, quanta reuerentia Gentiles prosecuti fuerint Christum; non enim per seipsos accedere ausi sunt.* O quam vtilis Diuorum intercessio iam tunc Christicolis ex Gentilitate indicta! Augustinus, *Iudæi volune occidere, Gentiles videre.* Sed & ex Iudæis erant, qui clamabant: Benedictus qui venit in nomine Domini. Isti ex circuncisione, illi ex præputio velut duo parietes de diuerso venientes in vnam Christi fidem pacis osculo concurrunt.

Tolet. — *Intercessio Diuorum.* — August.

3. *Dicit Philippus Andrea: & quare?* — Chrysost. — Tolet.

Venit Philippus, & dixit Andrea: Andreas rursus & Philippus dixerunt IESV.] Cur Philippus id retulit Andreæ? Chrysostomus, hom.65. *Philippus refert Andrea tanquam maiori, seu priori Discipulo Christi.* Ac nec ipse solus est ausus, sed ambo simul Domino referunt. *Discipulorum* (ait Toletus) *perpende ordinem, cedebat enim vnus alteri: & rursum omnium reuerentiam erga Magistrum, vt nihil facere præter eius voluntatem voluerint.*

§. II.

Quid IESVS *responderit;*

4. *Quænam hora venit?*

IESVS *autem respondit eis dicens: Venit hora, vt clarificetur Filius hominis.*] Augustinus, *Audiamus vocem lapidis angularis.* Gentium, (ait Dominus,) hic aduentus adesse iam horam, seu tempus significat, quando Filius hominis clarificandus est; & non Iudæis solum, sed & Gentibus omnibus exponendus Quænam hora hæc? Mortis, ac passionis, postquam IESV nomen Gentibus prædicatum, Christus autem clarificatus Gentibus, ac populis. Augustinus, *Videbat, Gentiles post passionem suam & resurrectionem in omnibus gentibus credituros. Occasione igitur horum Gentilium, annunciat futuram plenitudinem Gentium: & promittit, iam adesse horam glorificationis suæ: qua facta in cælis, Gentes fuerant creditura, iuxta illud: Exaltare super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua. Sed altitudinem glorificationis oportuit procedere humilitatem passionis.* Ideo addidit opportunè, *Nisi granum frumenti Christus cadens in Virginis terram,* mortuum fuisset, ipsum solummodo in sua perfectione mansisset, sed neminem à morte liberasset, &c.

August.

5. *Quonam modo turbata fuerit anima Christi?*

Nunc anima mea turbata est.] Quonammodo Christi anima fuerit affecta turbatione? Duo Gentilium aduentus hic significauit, & repræsentauit Saluatori: vnum Gentium vocationem, alterum mortem ipsius imminentem, postquam, & per quam Gentes erant vocandæ. *Nunc turbata est anima mea.* Hi Gentiles mihi suo aduentu mortem meam proximam prænuntiarunt, idcirco nunc turbata est anima mea præ horrore: simul planè præ nimio amore, & desiderio communis salutis, ac Gentium vocationis gestiens. Augustinus, *Sequi iubes animam meam: Si quis mihi ministrat, me sequatur. Sed turbatā video animam tuam. Quale ergo fundamentum quaram, si petra succumbit? Agnosco misericordiam tuam Domine; nam qui charitatis voluntate turbaris, infirmos, ne desperādo pereant, cōsolaris. In se caput nostrum suscepit membrorum suorum affectum.*

August.

6. *Sententia quorūdam.* — Theoph. — *Auctoris sensus.*

Et quid dicam? Pater, saluifica me ex hac hora.] An Christus positus in timore hæc proferat verba: *Quid dicam?* Dicam ne, *Pater saluifica me, ex hac hora?* Minimè, nam propterea veni in horam hanc. Sic Theophylactus exposuit, quem multi recentiores sequuntur. At omnes Græci, ac Latini Textus interrogationis illius minimè recordantur. Vt autem aptius exponam sine interrogatione sententiam, præmitto, Christum præter diuinam, humanam etiam habuisse voluntatem.

7. *Volūtas humana Christi in naturalem & deliberatam diuiditur.* — *Exemplo mortis exponitur.*

Porrò humana voluntas, quam vt homo habebat in naturalem & in deliberatam diuidenda est, ratione diuersorum obiectorum. Naturalis voluntas dicitur, quæ in rem aliquam secundum seipsam consideratam fertur: deliberata autem, quæ fertur in rem, non solam, sed cum circunstantiis suis per intellectum propositam. Exemplo exponam. Mors & passio dupliciter potest considerari; vno modo vt mors & passio est, & sic habet rationem mali haud quidem appetibilis. Voluntas igitur, quæ in mortem sic consideratam fertur, dicitur naturalis; & quia in huiusmodi consideratione mors quoddam est malum, voluntas mortem auersatur. At potest altero modo considerari mors circunstantia apposita, nempe esse secundum Dei voluntatem ad mundi redemptionem: & sub hoc prætextu habet rationem boni, voluntasque eam acceptat. Illa dicitur voluntas naturalis, hæc deliberata: sæpeque contingit, vt quod nolumus voluntate naturali, deliberata velimus voluntate.

8. *Locus elucidatur.*

Hoc præmisso, Christus, vt in affectu suo non tantum sensitiuo, sed etiam rationali pateretur: & timorem, pauorem, tristitiam propter nos in se excitaret: hac naturali voluntate vtebatur. Vt autem Patri se conformaret vtebatur deliberata.

Sententia igitur illa IESV hominis est in huiusmodi agonia constituti; turbat sese timore, & clamat. *Quid dicam?* Hæret anima mea hinc inde agitata. *Pater, saluifica me ex hac hora.* Saluum me fac, ne in hanc horam veniam. En naturalis voluntatis affectus, quo mortem horribilem in se consideratam auersabatur. At voluntas deliberata in aliam partem trahit; proponit enim ratio, mortem hanc esse pro humana salute assumptam, & a Patre esse immissum, vt morte sua mundum redimeret. Ideo addidit.

9. *Voluntas Christi deliberata.* *Sed propterea veni in horam hanc*, &c. Id est, mors hæc est hominum redemptio, ad hoc veni, & missus sum à Patre. Voluntas instat deliberata, *Pater clarifica nomen tuum.* Id est, mortem accepto, pati placet, nomen tuum mea in morte, & passione clarifica; ostende me esse Filium tuum, sicut ante mortem mirabilibus tuæ potentiæ operibus clarificasti. An propter se hanc petiit clarificationem? Minimè, sed propter nos, quorum salus ipsius est clarificatio.

§. II.

De cœlesti testimonio.

10. *De cœlesti Patris voce.* VEnit ergo vox de cœlo dicens.] Deus tanquam *Pater* vocatus respondet. Semper Christus humilibus admiscet diuina, ne verbis hominis Deus occultetur. Est particula *Ergo* adnotanda? Indicat enim quandam consecutionem, nempe: Quia Filius à Patre petiit clarificari, idcirco vox de cœlo venit signans clarificationem. Particulam autem *dicens* textu in Græco non inueni.

11. *De clarificatione Iesu præterita, & futura.* *Et clarificaui, & iterum clarificabo.*] An non (Pater ait) operibus virtutis diuinæ te esse Filium expressi? Ita & in morte clarificabo. An factum? Ita planè, tum ipsa in morte, obtenebrato sole, terra tremente, lapidibus concussis, scisso velamine: tum etiam post mortem, dum immortalis suscitatur à Patre, dum innumera exponuntur, quæ quidem eum Dei Filium ostentarunt.

12. *De tonitruo.* *Turba ergo, quæ stabat, & audiebat: dicebat tonitruum esse factum; alij autem dicebant: Angelus ei locutus est.*] Ex turba quidam sonitum magnum audierunt, idcirco tonitruum esse existimarunt. Alij distinctius percipientes, voces agnouerunt humanas, & significationem non intelligentes, Angelum ei locutum esse putarunt. Legerant enim in scriptura Angelos Prophetis esse locutos. Particula ergo consecutionem innuit; quia vox de cœlo venit, idcirco quidam de turba tonitruum esse, alij autem Angelum locutum sunt arbitrati. *aut vox Angeli esse humana.*

13. *Ab errore Iesus auocat turbam.* *Respondit IESVS, & dixit: Non propter me hæc vox venit, sed propter vos.*] Dum vocem esse affirmat, tonitruum esse negat; dum non propter se, sed propter eos venisse docet, Angelum esse, qui ei locutus est, indicatur. Haud ego Angelo indigeo, qui mihi aliqua nunciet, omnia cognoscenti. Non venit propter me, quemadmodum Prophetarum causa veniebat, ad voluntatem Domini eis annunciandam. Venit quidem propter vos, vt me esse Dei Filium, & de cœlo descendisse credatis. Sic Chrysostomus homil. 66. exposuit, aptè quidem.

14. *Clarificationis Iesu opera.* *Nunc iudicium est mundi,*] En primum opus, quo Christus est clarificatus. *Nunc Princeps huius mundi eiicietur foras.*] En secundum. *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.*] Ecce tertium. Quæ quidem omnia vsque ad verba illa: *Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis.* exposui Tom. 2. de sanctis lib. 11. de Exalt. Crucis.

15. *Cur se absconderit, & quò abierit. Matth. 21.* Hæc locutus est IESVS, *& abiit, & abscondit se ab eis.*] Quo abierit? Matthæus expendit, *Relictis illis, abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam, ibique mansit, mane autem reuersus in ciuitatem esuriit.* Cap. 21. Profectò hisce paucissimis diebus Dominus extra ciuitatem nocte recedebat, ne ante tempus à Iudæis caperetur: mane autem reuertebatur. Iudæi enim metu turbæ affectæ propter suscitationem Lazari, non audebant interdiu eum illigare. Addo, quia conati erant aliàs eum capere in die, & non potuere. O tenebrarum filios tenebras quæritantes! Augustinus, *Cum se abscondit, nostræ infirmitati consuluit, non suæ potestati derogauit.* August.

IN IESVM COLLOQVENTEM

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS

CIRCA LITERAM.

EX GENTILIVM ACCESSIONE.

OBSER

Observat. I.

Ad illa verba:

Pater clarifica nomen tuum.

Postulat Dominus, ex Passione ac Cruce clarificari à Patre.

Passio enim & Crux clarificauit Christum; id est, cum fecit Dei Filium ostentari.

16. *Laborum ac tribulationum clarificatio, gloria.* August. Chrysost. Strab.

AVGVSTINVS, *Pater, clarifica me passione.* Chrysostomus, *Futurum erat, vt per Crucem cognosceretur ab orbe nomen Dei* Strabus, *Saluationem quaro, sed passionem non recuso, propter quam passionem clarifica me, quod est gloria nominis tui.* Quis crederet Dominum ex passionis, ac Crucis ignominia esse glorificandum? Perfectò Christi fuit index Deitatis. Idem fuit suffigi Cruci, ac glorificari, seu exponi quod latebat, recluso sigillo, Diuinitate fulgurante.

17. *Diuina natura clarificatur, seu ostenditur ex Cruce, & passione.* Hebr. 2.

Paulum præmittam, *Videmus* IESVM *propter passionem mortis gloria, & honore coronatum. Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per gloriam consummare.* Hebr. 2. Syriacè Per *passionis perfectum reddere*, siue exponere esse perfectum, hoc est, Dei Filium ostentare, Quid Dei Filio cum passione, & Cruce? Anselmus respondet, *Diuina natura dici potest exaltata in Cruce secundum ostensionem, quia cœpit sciri, quod erat.* Anselm.

18. *Cognoscitur Christus Dei Filius esse in corporis fractione.* Luc. 24.

Discipuli, qui Dominum Filium Dei non plenè agnouerant post tot testimoniorum scripturæ elucidationem in via, post tot miraculorum ante obitum patrationem: *Cognouerunt eum in fractione panis.* Luc. 24. Cognouerunt planè eum esse Dei Filium. Quid panis fractio nisi passionis ac Crucis memoria? In passione ergo Christus Dei Filius esse dignoscitur. Drogo Card. de Sacram Passi. pulchrè, *Verè non cognosceris Domine, nisi in fractione panis. Panis caro tua, fregisti manibus tuis corpus tuum, quia potestatem habebas ponendi animam tuam, & iterum sumendi eam; fregisti corpus, quod foris apparebat, & ostendisti medullam, quæ intus latebat. Nisi antea patiaris, non cognosceris: ibi abscondita est fortitudo tua.* Drogo.

19. *Virtus abscondita in sinapis grano passionis contusione exponitur.* Matth. 13. Chrysol.

Christus id exposuit sinapis exemplo. *Simile est Regnum cælorum grano synapis.* Matth. 13. Id est, Rex cœlestis, seu Deitas IESV sinapi assimilatur. Quare precor? Quia virtus abscondita, clarificatur, dum teritur granum, dum Christus passione contunditur. Chrysologus serm. 98. *Christus est Regnum cælorum, qui velut granum sinapis in hortum virginei corporis missus orbe toto Crucis in arborem creuit, ac tantum dedit fructus sui saporem cum teritur passione: vt quidquid est vitale, suo saporaret, & condiret attactu. Nam sicut in integritate grani sinapis virtus habetur occulta, apparet vero virtus eius vehementissimè, si teratur: ita Christus corpore teri voluit, qui suam noluit latere virtutem,* Deitatem occultari.

20. *Ostenditur IESVS magnus Deus in passionis purpura.* Psalm 103. Cassiod.

Dauid cecinit, *Domine Deus meus magnificatus es vehementer, confessionem & decorem induisti.* Psalm. 103. Quandonam Dominus vehementer magnificatus est? Cassiodorus, *Magnificatur Dominus apud homines, quando eis magnus, atque excelsus esse claruerit.* Id est, quando à Patre clarificatus fuerit, amictus confessione, dum Pater clamat, *Et clarificaui, & iterum clarificabo.* Certè huiusmodi claritas ex patibulo. Id expressit particula, *Decorem induisti.* Dum scilicet humanitatis IESV tela purpura est passionis intincta. Chrysologus serm 31. *Tunc primùm Regalis indumenti tela de Christi vellere texebatur, de vellere, quod dabat Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Texebatur autem Regium vestimentum, quod in purpureum fulgorem cruor tingeret passionis.* Christus Deus & homo tela est vestimenti Regij ab ipso conceptionis instanti, sed non erat clarificata dignitas Regia, siue Deitas vsque ad sanguinis profusionem: tunc enim vestis candida, quæ visum hominum disgregabat, in purpureum fulgorem tincta est. Chrysol.

21. *Lily Dominici gloria passione reseratur.* Cant. 2. Eucher.

Ego (ait Dominus) *flos campi, & lilium conuallium.* Cant. 2. Cur lilium appellatur? Eucherius lib. 3. in Reg. *Christus lilium propter gloriam Resurrectionis, foris candidum propter gloriam corporis, intus verè aureum propter fulgorem animæ* Verbo vnctæ. *Ante passionem quidem lilium quasi clausum; propter passionem quippe gloria & honore coronatus est: & potentiam diuinæ claritatis, quam habuit apud Patrem, priusquam mundus esset, ostendit.* Alibi plura.

Observat. II.

Ad illa verba:

Nunc anima mea turbata est.

Christus turbatur, suscipiens in se membrorum suorum affectum.

Rex etenim, seu Præsul subditorum sustinet passiones, eorum ponderibus grauatur, compatiens ipsis.

22. August.

AVgustinus aiebat, *Turbari video animam tuam, & agnosco misericordiam tuam Domine. Nam qui charitatis voluntate turbaris, infirmos, ne desperando pereant, consolaris; in se caput nostrum suscepit membrorum suorum affectum.* Regiæ dignitati agnatum compassione adeo affici ex subditorum oneribus, vt velut onera propria sustineat. O compassionis Præsulis vis? Turbata est anima Saluatoris, quia nos subditi turbatione afficimur.

23. *Christus Rex noster portat omnia incommoda subditorum.* Hebr. 1. Seneca.

Quàm apposiuè Paulus! *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansque omnia.* Hebr. 1. Portans Græcè φέρων, id est, *gubernans:* ac si *portans omnia, idem sit ac gubernans.* Quam agnatum gubernatori pondera omnia subdita alleuare! Vel Gentilis Seneca dignouit, *Deus ille maximus potentissimusque ipse vehit omnia,* queiscumque grauamur.

24. *Præsul debet subditorum pondera sustinere.*

Alibi Apostolus, *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmiorum sustinere.* Rom. 15. Vbi Caietanus asserit particula, *Firmiores* Præsules

designari,

designari, queis Paulus non consilium suggerit, sed debitum exponit. Ac si diceret: Præsules estis? Debetis ergo imbecillitates subditorum sustinere agnata muneri compassione.

Rom. 15. Caiet.

25. Prælatis Dominus apud Bethaniam Lazaro sepulto: *Tollite lapidem.* Ioann. 11. Cur lapidem iubet Discipulos amouere? subditorum moles sibi adscribere debent Præsules. Subditus tribulationis mole recluditur? Tollat Præsul tribulationis eiusdem molem, vt velut clausus ipse videatur. Ambrosius lib. 2. de Pœn. cap. 7. *Poterat tacita vi operationis occulta transferre saxum sepulchri; sed hominibus* (futuris Prælatis) *iussit, vt remouerent lapidem: in typo quod nobis donaret, vt leuaremus moles quosdam subditorum.*

Iubet Dominus Præsules portare subditorū lapidem, seu moles. Ioan 11. Ambros.

26. Exactores instant, vt Collegium Apostolicum Imperatori tributa persoluat. Quam molesta subditis calamitas tributorum solutio extrema in paupertate! Dominus iubet Petrum de statere in ore piscis inuento vectigalia reddere. *Sumens da eis pro me & te* Matth. 17. Cur non dixit, *Pro cunctis Discipulis*, sed *Pro me & te*? An quia Christus Rex, ac Petrus summus Ecclesiæ Præsul sic debent assimilari subditis, eorumque pondera sustinere: vt simul cum illis exactionis molestia afficiantur? Ita planè.

Rex Christus se tributarium, vti subditi, ostentat. Matth 17.

27. Christus apud Gethsemani hortum *cœpit pauere, & mœstus esse.* Matth. 26. Vndenam cœlesti Præsuli pauor, & mœstitia? Certè pauet, ac mœstus est, omnium subditorum exprimens affectus in lacrymarum valle morantium. Bernardus serm. 1. de D. Andrea, *Agnosco in Duce belli, pusillanimorum trepidationem: agnosco vocem ægroti in Medico: agnosco infirmantem gallinam cum pullis considero charitatem, stupeo miserationem, expauesco dignationem. Quid magnum fuerat, Domine* IESV, *si necessariæ horæ, propter quam veneras, intrepidus stares, tanquam qui potestatem habeas ponendi animam tuam, & nemo eam tollebat à te? An non longè gloriosius fuit, (quando quidem totum propter nos agebatur) vt non modo passio corporis, sed etiam cordis affectio pro nobis faceret?* Discipuli ea nocte tenebricosa admodum timent? Timore afficiatur Præsul compassionis affectu.

In IESV Præsule subditorū pondera conspiciuntur. Matth 26. Bernard.

28. Dixerat aliquando Petrus, *Animam meam ponam pro te.* Ioann. 13. At accedente ancilla, petra Ecclesiæ timore, ac turbatione corruit. Ideo Dominus. *Anima mea turbata est.* Ioan. 12. Vndenam Christi anima turbatur, nisi quia aspicit petram commoueri, Petri animam conturbari? Bellè Ambrosius lib 2. de Fide cap. 3. *Petrus dixit, Animam meam pro te ponam: & Christus dixit, Anima mea turbatur. Ille qui superior est, gerit timentis affectum.* Quia licet tunc Petrus non timeret, videt Dominus timore corripiendum. Id profectò præstat *ille qui superior est.* Præsul enim subditi affectus imitatur.

Christi anima turbatur, quia subditi Petri anima turbanda est Ioan. 12. Ioan 13. Ambros.

29. Ambrosius egregiè confirmat lib. 10. in Luc. *Nusquam magis Maiestatem Domini admiror, quam cum susceptam in illo ad tempus video infirmitatem meam. Minus enim mihi contulerat, nisi meum suscepisset affectum. Ergo pro me doluit, qui pro se nihil habuit quod doleret.* Expende illud: *Maiestatem Domini admiror.* Mirabile enim est, Reges subditorum suscipere dolores, affectus imitari.

Mirabile est, Præsules subditorum dolore suscipere. Ambros.

OBSERVAT. III.

Ad illa verba:

Et quid dicam? Pater saluifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc. Pater clarifica nomen tuum.

Licet voluntate humana naturali Christus mortem non expeteret: voluntate deliberata Patris voluntati appetit, & efflagitat.

Edocens nos Patris cœlestis imperiis difficilibus subiacere.

VIdimus in Commẽtario humanam Christi voluntatem diuidi in naturalem, & deliberatam. Illa quidem mortem vti malum aliquod repellebat: hæc vero expetebat vt Patris gereret voluntatem. Anceps igitur quodammodo Domini humana voluntas obiicitur: *Quid dicam?* Quid eligam? Dicam ne, *Transeat à me calix iste?* an *Fiat voluntas tua.* Iam profero sententiam, iam deliberatam expono voluntatem. *Pater clarifica nomen tuum*, me Cruci suffixo. Chrysostomus, *Non habeo quid dicam, ereptionem quærens, propterea enim veni in horam hanc.* Augustinus autem, *Docuit te, quem innocet, cuius voluntatem tuæ præponas. Docet dicere, Non quod ego volo; sed quod tu.* 30.

Monet filios debere à natura debere parentibus obedire. Chrysost.

Preme, obsecro, Dominicæ sententiæ particulas. *Pater, saluifica me, Pater clarifica nomen tuum.* Theophylactus asserit prima particula petere Dominum Patrem, vt calix à se transferretur. At memor ipsius Patris, sese eius subdidit voluntati. *Quid dicam?* Dicam, Pater saluifica me ex hac hora, seu calicem istum transfer à *me*? Haud id conuenit Patris vocabulo. Pater est? Ergo *Pater, clarifica nomen tuum*, me tuæ submitto voluntati, ad Crucem properare iubet. Quonammodo Patrem appellare audes eum, cuius imperia non exequeris? 31.

Dum IESVS Patrē obiicit sibi, eius se submittit voluntati. Ioan 12. Theoph.

Debetur Patri cœlesti humilis obedientiæ obsequium. Vix à cœlesti Patre homo prodierat Creatore cum filio indicitur: *Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali nè comedas.* Gen 2. Cur illicò viuenti homini obedientia indicitur? Certè vt ostendatur ex filiatione, ac paternitate illa imperium in homine diuinum coalescere. Bonauentura apud Lipom. *Deus prohibuit homini filio esum illius ligni, propter meritum obedientiæ acquirendum ex parte hominis, & propter ostendendum iurisdictionis paternæ suæ imperium in homine.* Pater est? Ergo iure paternitatis debet filius Dei submitti voluntati. 32.

Adamo vocem exorto Deus indicit obedientiam quia Pater erat. Gen 2. Bonau.

Dei Filium audite. *Sacrificium, & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi. In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam Deus meus volui.* Psalm. 39. Alij, *Deus Pater meus, volui.* Quid mirum Filium velle, si ius paternum exigebat? Chaldæus legit, *Aures, ô Pater, ad auscultanda præcepta tua perforasti mihi.* 33.

Christus mox conceptus, Deo Patre, voluit eius implere voluntatem.

Græcus apud Eusebium de Præparat. Euang. *Aures autem mihi meas perfecisti.* Id est perfectum ô Pater, me genuisti tui imperij obseruatorem. Ergo *in capite libri*, siue in meorum operum initio, conceptionis instanti, tuæ voluntati submittor.

34. Ex ore prophetico Dominus Dei Filius, *Erigit mane, erigit mihi aurem, vt audiam quasi Magistrum. Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abij. Corpus meum dedi percutientibus.* Isai. 50. Aurem erigit mane, cum ex vtero ante luciferum genuit me. Vnde *propterea* (inquam) *veni in horam hanc, Pater clarifica nomen tuum, ego autem non contradico.* Bernardus in serm. 28. in Cant. *Quam beatus, qui ait: Ego non contradico, retrorsum non abij. Vbi voluntaria obedientia habet formam. Qui enim non contradicit, spontaneus est; & qui retro non abiit, perseuerat.*

Ab instanti conceptionis IESVS Paterna voluntati paruit. Isai 50.
Bernard.

35. Applaudit Paulus, dum ait: *Ideo ingrediens mundum, dicit: Ecce venio.* Hebr. 10. Ingrediens mundum, quia ex Virgine exortus Patrem cœlestem recognoscit. Vnde ex iure filiationis cogitur proclamare deliberata quidem voluntate: *Ecce venio.* D. Damascenus lib. 3. cap. 18. *ipse vt homo, in se, ac per se, id quod humanum erat, Deo ac Patri submisit, Patrique obediens factus est.*

Christus ingrediens mundū Patrem cognoscens illico obedire curat.
Hebr 10.
Damasc.

36. Alibi Apostolus, *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere factum sub lege.* Gal. 4. Eo ipso quod factus ex muliere à Deo Patre eius Filius apparet, factus sub lege obediens obiicitur. Athanasius cont. Arium. *Christus igitur Filius Dei in forma serui, quam assumpsit ex Virgine, Patri dicitur esse subiectus. Ille igitur dicitur esse subiectus, qui sub lege ex muliere dicitur generatus.*

Factus sub lege IESVS: quia dum nascitur Filius, nascitur obediens.
Gal. 4
Athan.

37. Preme verbum: *Factum ex muliere, factum sub lege.* Quia eo ipso quod factus est ex muliere homo ex Patre cœlesti, sub lege constituitur. Laurentius Iustin. Opus. de contemp. mundi, cap. 9. *Hanc obedientiam experimento operis Christus didicit, hanc consummatus in Cruce compleuit. Proinde quisque Christianus discat à Christo Filio iussa Patris perficere, & sancto sibi tradito obedire mandato.*

Confirmatur.
Laur Iust

38. Clamarat non semel apud hortum, *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.* Matth. 26. Attamen illicò sese Patris submittit voluntati: *Non mea sed tua voluntas fiat.* An calicem plenum amaritudinibus cunctis exhauries? Ita planè. Nam si *Pater* præmisi, quonammodo possibile erit, à morte parata fugitare? Quam pulchrè postquam dixit, *Pater*, adiecit, *si possibile est.* Quomodo enim erat possibile Filium Patris voluntati non submitti? D. Bernardus in sententiis, *Dominum* IESVM CHRISTVM *subire Crucis, & mortis ignominiam, tria quadam præcipua coactione voluntaria compulerunt. Filialis & pura obedientia, &c.* Ex eo quod Deus Pater est, te cogit Filium voluntaria coactione eius imperiis subiacere. Hinc monnetum filios non posse non submitti parentum voluntati.

Dum Pater in horto aur. illico obedire curat.
Matth 26.
Quasi impossibile, non obedire Patri.
Bernard.

OBSERVAT. IV.

Ad illa verba:

Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.

Videtur Dominus dubitare de sua in Cruce exaltatione.

Quia aliquorum peccatorum malitia tanta est, vt vel Deo quodammodo impossibilis videatur.

ADnotans D. Augustinus illam particulam, *si ego exaltatus fuero*, id est, si actus fuero in Crucem: videt Christum quasi dubitare de euentu futuro. Non enim dicit: *Cum exaltatus fuero*, sed, *si fuero exaltatus*. At ne aliquis crederet Dominum ignorantia laborasse circa passionis futuræ euentus, adiicit: *Si exaltatus fuero, Id est, Cum exaltatus fuero, non enim dubitat futurum, quod venit implere.* Cur ergo Dominus vsus est illa dubitantis particula: *si exaltatus fuero*? Crediderim, vt innuat aliquorum peccatorum malitiam tantam esse, vt vel Deo quodammodo impossibilis videatur. 39.

August.

Peccata hominum grauissima Propheta recenset, *Iniquitates vestra diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret.* Isa. 59. exponam particulam, *Ne exaudiret*, liceat proferre Comici Græci clausulam. Inducit incredibile quoddam amici proditoris facinus: alter autem seductus amicus profatur, 40.

Qui vna manu panem ostentauit,
Altera ferre lapidem non recusat?
O facinus! quia non credo, non audiam.

Dum ergo homines post beneficia innumerabilia idololatriæ crimine defœdantur, Deus ipse quasi non credens, haud volt exaudire.

Dominus quasi non credat, homines potuisse quadā piacula perpetrare.
Isai 59.

Audierat Sodomiæ ciues fœdissimis criminibus contaminari, & inquit, *Clamor Sodomorum venit ad me, descendam igitur & videbo, vtrum clamorem clamorem opere compleuerint?* Gen. 18. An dubitat Numen omnia aspiciens, cui nihil potest abscondi, qui infinita scientia clausa hominum corda scrutatur? Certè tanta est malitia Sodomitarum piaculi, vt vix Deo perpetrari ab eis potuisse videatur: Descendam, & videbo. Liceat vulgariter explicare. *Si no lo veo, no lo puedo creer.* 41.

Ideo Deus simulat, se nō credisurum, nisi videret.
Gen. 18.

Redeo ad Isaiam, *Multiplicata sunt iniquitates nostra coram te. Auersi sumus, ne iremus post tergum Dei nostri, vt loqueremur calumniam, & transgressionem. Et vidit Dominus, & malum apparuit in oculis eius, quia non est iudicium; & vidit, quia non est vir; & aporiatus est.* cap. 59. Quasi subdubitans quodammodo Dominus circa hominum malitiam, oculorum adhibuit experimentum. *Vidit Dominus, & vidit, quia non est vir.* Cuncti enim ad animantium brutalitatem declinarunt. Quid plura? *Et aporiatus est.* Legit Cornelius ex Hebræo, *Et obstupuit. Videns obstupuit.* Ac si in stuporem Deus raperetur, 42.

Videns, stupore quasi afficitur Deus pra hominum malitia.
Isai. 59.

tur, dum videt potuisse homines tam horribili iniquitate defœdari.

43. Quæritur Dominus à Discipulo Iuda proditore, vt comprehensoribus traderetur. Accedit manus illa Christum alligatura, ducente Discipulo. Hic impudentiæ affectu, ausus est pacis osculo Dominum salutare. *Aue Rabbi, & osculatus est eum.* At Christus profatur, *Amice, ad quid venisti?* Matth. 26. Dubitas ne ô sapientia Patris ad quid venerit Iudas? Augustinus *Amice ad quid venisti? Quasi diceret. Oscularis, & insidiaris: amicum fingis, cum proditor sis.* Rectè quidem, sed argumento conuenientius puto, Dominum quasi subdubitare, an Iudas Discipulus venerit ad gerendam proditionem. Tantum enim piaculum quonammodo poterat à Discipulo perpetrari.

Rogat Dominum, ad quid venerit Iudas, quasi non credat, Discipulum potuisse venire ad proditionem. Matth. 26. August.

44. Turbis irruentibus Dominus inquit, *Quem quæritis?* Matth. 26. Tot gladij, hastæ, funes quanam de causa præparantur? Rupertus, *Quem quæritis, dixit: Non dixit, Ecce ego, quia me quæritis.* Vndenam ergo Deo illa intentionis Iudæorum ignorantia? Dei Filius comprehendus erat ab eis, quos tot ipse beneficiis illigauerat. Tam ingens crimen post tot beneficia? Impossibile planè. Quem quæritis? Alium, non me comprehendere accessistis. Bellè Abbas, *Quem quæritis dixit, quia re vera talem persecutionis moduta Veritas nescit, salus ignorat, lux, & vita refugit.*

Quasi ignorat Dominus aduentum Iudæorum ad comprehendum eum. Matth. 26. Rupert.

45. Fatur Ioannes videns: *Cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo quasi media hora, & vi i, &c.* Apoc. 8. Vbi noster Viegas asserit hoc sigillo innui Apostasiam Iuliani Imperatoris, ac persecutionem in Christicolas excitatam, de qua Theodoretus lib. 6. & alij. Pendo particulam, *Et factum est silentium in cœlo.* Vndenam silentium Cœlicolis indicitur? Respondet Viegas, *Putamus, silentium hoc in cœlo factum ingentem admirationem Cœlitum omnium exprimere.* O cœlites, ô Trinitatis beatissimæ Personæ, ô Angeli, ô Deiparens ô Diui quid admiramini? Admiramur, Apostatam Iulianum ausum esse tam horribilibus se se piaculis inficere. O si cœlitus datum nobis fuisset peccari malitiam perpendere, quæ quodammodo Deum in admirationem abripere videatur!

Stupent Cœlites videntes Apostasiâ Iuliani. Apoc 8. Viegas. Theodor.

OBSERVAT. V.

Ad illa verba:

Qui mihi ministrat, me sequatur, & vbi ego sum, &c.

Non dixit, Mecum moretur, sed me sequatur, quia loquitur viris studentibus perfectioni.

Perfecti enim Christi imitatores necessario Christum nunquam sedentem, sed semper ambulantem sequuntur.

46. CVm Dominus viros spirituales edocet virtutis sublimis consequutionem, hortatur, vt sequantur IESVM præcedentem. Non dixit, Qui mihi ministrat, mecum sistat, sed me sequatur. Nunquam enim Dominus in virtutis via sistit. Vnde IESV imitatores, necessariò sequuntur properantem. Augustinus, *Qui mihi ministrat, vias ambulet meas.* Quia scilicet Christus semper ad anteriora fertur. Profectò ille cadit à perfectione, qui ad gradum superiorem continuo profectu non studet ascendere.

Non proficiunt qui in perfectionis via consistere non nunt. August.

47. Paulum præmitto. *Ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo IESV. Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim. Sequor autem.* Phil. 3. Perfectionis studiosus Apostolus semper ostenditur, nunquam videtur sibi perfectionem esse assecutum, semper sequi expetit Saluatorem. Anselmus, *Non quod iam acceperim, quod peto, aut iam perfectus sim, vt nihil mihi desit. Non dico, sufficit, quod egi; sed semper aliquid addo, semper ambulo, semper proficio, semper sequor, quod comprehendere laboro*, Poterat Paulus Christicolis se se obiicere perfectionis magisterium. At quia veraciter præditus erat perfectione, nunquam non sequitur; agnatum enim perfectis studium nunquam non sistendi? quia qui sistit consummatur, ex eo imperfectus deprehenditur.

Proficiens Paulus, quasi imperfectum adhuc Dominum sequebatur. Phil. 3. Anselm.

48. Sapiens fatur, *Qui sequitur iustitiam, diligetur ab ea* Prou. 15. LXX. *Qui persequitur iustitiam.* Innuit ardenter perfectionis conatum. Iansenius, *Vt intelligamus, non segniter iustitiæ insistendum, sed grauiter ad eam obtinendam elaborandum. Vt à qua per carnis illecebram ita semper retrahamur, vt facile è manibus elabatur, nisi velut fugientem toto conatu insequamur.* Sistis in spiritus via? Perfectio aufugit. Certè non consequeris perfectionem, si non studueris eam velut fugientem insequi, vt apprehendas. Adiicit Doctor, sic Dauid dixit, *Inquire pacem, & persequere eam.* Et Theophylactus, *Debemus ergo omni nisu, & sine interpellatione vlla ad Christum contendere.*

Perfectus ardens perfectionem maiorem conatus indicitur. Prou. 15. Iansen.

49. Elucidabo vberius Pauli testimonium. *Sequor autem si quomodo comprehendam.* Phil. 3. Ac si fugeret perfectio, Occasionis in morem, & Apostolus properante conatu eam curaret apprehendere. D. Hilarius ad Psalm. 2. *Sic & beatus Paulus currit vt apprehendat* quasi fugientem, dicens: sequor autem, vt apprehendam. Non lento gradu properat, nec otioso sequitur procursu, apprehensurus enim sequitur. Et satis quidem dixisse videretur, si consecuturus sequeretur; sed vim & ipse afferre optat, & apprehendere properat.

Paulus persequitur perfectionem quasi fugitiuam. Phil. 3. Hilar.

50. Lucas appositè, *Saulus autem adhuc spirans minarum, & cædis in Discipulos Domini, accessit ad Principem Sacerdotum, & petiit ab eo epistolas in Damascum ad Synagogas; vt si quos inuenisset huius viæ viros, ac mulieres vinctos perduceret ad Ierusalem.* Act. 9. Preme particulam, *Huius viæ viros.* Quænam hæc via? Tertullianus acutè lib. de Orat. cap. 10. *Alias enim via cognominatur disciplina nostra.* Perfectionis (ac si diceret) studium via appellatur. Quare, precor: Vt innuatur, eos qui perfectioni student, currere debere, non sistere. Non arripitur via à te, vt sedeas, sed vt properes ad terminum. Vitium est viatori consistere, quia legi viæ minimè conformatur. Nazianzenus Orat. 1. adu. Iulian. *Atque vt hoc demus, eos sucatis suis præceptis* Nazianz.

Perfectio Christianorum appellatur via, quia semper est ambulandum. Act. 9. Tertull.

vitium

Vitiosa studio perfectionis statio.

stilium reprimere; quo tandem modo ad virtutis, & doctrinæ nostæ gradum peruenerint, qui non in virtute proficere, neque ex veteribus subinde nouos esse: sed iam eodem hærere, in vitio permanere. Disciplina fucata mundialis non est via, sed ciminus conflictus. Vitiosa quidem studioso perfectionis statio. Vitia vincat, sed non contendat ad superiora peruolare: vitiosus quilibet obiicietur; *quia Disciplina nostra via cognominatur.*

51. *Vir perfectus semper puer reputatur, quia semper proficere.* 1. Ioan. 1. August.

Alia metaphora Ioannes expressit. *Filioli, nouissima hora est.* 1. Ioan. 1. Legit Augustinus Tract. 3. in epist. Ioann. *Pueri, nouissima hora est.* Ac si diceret, si nouissimæ horæ instantia vos pueros inuenerit, quomodo vti perfecti coronabimini? An non inter Ecclesiæ filios aliqui perfecti reperiebantur? Multi equidem; sed *pueros* vocitat perfectos viros, vt excitet ad vberioris perfectionis conatum. In hac lectione pueros alloquitur, seu spirituales viros perfectos. Cur pueri appellantur; qui perfectione fulgent? Quia quemadmodum puer ad incrementa noua quotidie festinat, sic vir perfectus quasi puer semper ostenditur, vt ad nouos profectus auolare contendat. *Vbi natiuitas* (adiicit) *in voluntate est, & incrementum in voluntate est. Ergo si vult, crescit; si non vult, decrescit. Quid est crescere? Proficere. Quid est decrescere? Deficere. Quisquis nouit, natum esse, vt audiat, quia puer est, infans auide inhiet vberibus matris, & cito crescit.* Monentur itaque viri perfecti agnatam esse perfecto viro illam cogitationem: Puer sum adhuc, oportet spiritualibus incrementis studere.

52. *Vir perfectus sit instar cedri semper crescens.* Psalm. 91.

David cecinit, *Iustus vt palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur.* Psalm. 91 Si perfectus vir nunquam debet dicere, *sufficit*, quare cedro Libani comparatur? An non cunctæ arbores ad certam pergunt altitudinem, qua perfecta, vlterius minimè progrediuntur? Non igitur rectè cedrus signat viri perfecti studium. Respondet pulchrè Apponius lib. 5. in Cant. *Natura cedrorum semper crescere fertur, neque aliquando finitur in senectam ire.* Attamen licet natura cedri reliquarum arborum naturam imitaretur, vt determinatam ad altitudinem tandem perueniret: apposite Vates verbum illud posuit: *Multiplicabitur.* Non dixit, *Sicut cedrus Libani crescet*, sed, *multiplicabitur.* Terminus datur cedri incrementis? At non datur terminus cedri multiplicationi; ex vna autem cedri pinnula alia arbor procera generatur, & sine termino Libanus cedris filiis coronatur. Iustus ergo perfectioni studens, cedri in morem, multiplicatur: ac si ex perfectionis incrementis plurimos proficeret in perfectos.

Appon.

Non solum debet crescere, sed & multiplicari.

LIBER OCTAVVS.

COLLOQVIVM IESV CVM DISCIPVLIS DE TRIVMPHO IEROSOLYMITANO.

PARAPHRASIS, ET COMMENTARIVS literalis ad caput vigesimum primum Matthæi.

Panegyrici Morales circa literam in Iesum colloquentem.

PROLVSIO.

Dominici vitalis ligni FRVCTVS OCTAVVS.

TRIVMPHVM agens Dominus insidet asinæ ac pullo eius vtrumque populum subiugando: sterni viam sibi vestibus ac arborum frondibus passus est, turba acclamante, *Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel.* Deipara, cuius *statura assimilata est palmæ*, sese ancillam Domino exhibens, meruit ad manus triumphatoris exaltari. *Quasi palma exaltata sum in Cades.* Eccli. 24. Prouolui curat pedibus properantis Domini ad Redemptionem mundi ex Incarnationis mysterio, sed à Domino augustissimam exaltatur in Matrem. Richardus lib. 12. *In Cades dicit se palmam exaltatam; Cades enim interpretatur, mutata; & mutata fuit Maria de humili ancilla in sublimem Reginam.* E pedibus ergò palma Maria triumphatoris IESV transfertur in manum. Et quomodo sine palma Mariana Palmarum *dies, sine Matre triumphus Saluatori?*

Eccli. 24. — Richard. Laurent.

MATTHÆVS CAP. XXI.

VERS. 1. CVM appropinquasset IESVS Ierosolymis, & venisset Bethphage ad montem Olineti: tunc misit duos Discipulos:

PARAPHRASIS.

1. *IAm vicinus Dominus vrbi Ierosolymarum, venit in montem Oliuarum, vbi visum est instituere nouam aduentus sui pompam, quæ factum huius mundi derisit. Ex hoc igitur monte duos ex Discipulis legauit, affatus:*

2. Dicens

2. Dicens eis, Ite in Castellum, quod contra vos est, & statim inuenietis asellam alligatam, & pullum cum ea: soluite, & adducite mihi.

2. Ite in Oppidulum, quod vobis est ex aduerso: & statim ingressi illic alligatam asinam inuenietis, & pullum, cum ea, cui nullus adhuc hominum insedit: soluite vtrumque, & hûc ad me adducite.

3. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet: & confestim dimittet eos.

3. Et si quid aliquis dixerit vobis, rogans, cur soluistis? quò, cuive adducitis? nihil aliud respondete, quam Domino id opus esse. Ad hanc vocem illi statim sinent abduci.

4. Hoc autem factum est, vt adimpleretur, quod dictum est per Prophetam dicentem:

4. Hæc partim ideo facta sunt, vt intelligerent illi, nihil esse incognitum, & habere potestatem quibuscumque vellet, imperandi; partim vt Iudæi vel hoc argumento agnoscerent, illum esse Messiam, quod viderent hunc nouum ingressum à Zacharia Propheta fuisse prædictum.

5. Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, & sedens super asinam, & pullum filium subiugalis.

5. Dicite, inquit, filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, & humilis, insidens asinæ, & pullo filio subiugalis.

6. Euntes autem Discipuli fecerunt sicut præceperat illis Iesvs.

6. Abiere Discipuli, compereruntque quidquid Iesvs eis prædixerat. Statim ad mentionem Domini, dimissa sunt iumenta, cum nec Dominus adesset, nec Discipuli quidquam præ se ferrent autoritatis.

7. Et adduxerunt asinam, & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt.

7. At Discipuli adducentes asinam & pullum, quo commodius sederet Dominus sua instrauerunt pallia, atque ita sedisse eum in tergo vnius, & probabiliter postmodum alterius, vt Iudæi, ac Gentiles nudi virtutibus Apostolicis vestibus operirentur, submitterenturque Saluatori.

8. Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via: alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via.

8. Tantus autem erat turbæ quoque fauor, vt plerique vestibus suis viam consternerent, nonnulli ramos ex arboribus resectos sternerent in via.

9. Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna filio Dauid: benedictus, qui venit in nomine Domini.

9. Profectò caterua, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, adgratulantes acclamabant illud è vaticinio Psalmi: Osanna filio Dauid, benedictus, qui venit in nomine Domini. Hoc honoris Dominus, qui semper humilis vixerat, sibi passus est exhiberi, quo declararet, sibi huius mundi gloriam non defuturam, nisi maluisset eam aspernari, quam amplecti.

SECTIO PRIMA.

Christi humilis Equitatio.

TEXTVS.

VERS. 1. CVm appropinquasset IESVS Ierosolymis, & venisset Bethphage ad
montem Oliueti: tunc misit duos Discipulos, 2. dicens eis: Ite in
Castellum, quod contra vos est, & statim inuenitis asinam alligatam, & pullum
cum ea: soluite, & adducite mihi. 3. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia
Dominus his opus habet: & confestim dimittet eos. 4. Hoc autem factum est,
vt adimpleretur, quod dictum est per Prophetam dicentem: 5. Dicite filiæ Sion,
Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus & sedens super asinam, & pullum filium
subiugalis. 6. Euntes autem Discipuli, fecerunt, sicut præceperat illis IESVS.
7. Et adduxerunt asinam, & pullum: & imposuerunt super eos vestimenta sua,
& eum desuper sedere fecerunt.

COMMENTARIVS LITERALIS

§. I.

De Aduentu Domini in Bethphage.

1. *Contextus.* CVM *venissent Bethphage.*] Seqeenti die, postquam Dominus à Maria in cœna fuit inuentus: profectus est ex Bethania Ierosolymam cum Discipulis. Cum autem venissent in vicum nomine Bethphage in monte situm Oliueti, duos ex Discipulis ad adducendum asinam, ac pullum eius immisit. Sabbato quidem Bethaniæ cœnauit, die Dominica sequenti proximè ex Bethania proficiscitur Ierosolymam.

2. *Euangelistarum concordia.* Marcus ait, *Cum appropinquarent Ierosolymæ, & Bethaniæ ad montem Oliuarũ.* Idem prorsus, ac *Cum venisset Bethphage.* Nam Bethphage vicus erat Bethaniæ, ac Ierosolymæ propinquus. Qui ergò venerat Bethpage, propinquus erat tum Bethaniæ, tum Ierosolymæ.

3. *De Bethphage.* Porrò Bethania, teste Ioanne, quindecim stadiis, id est, duobus milliaribus à Ierosolyma distabat. Bethaniæ autem propinquus erat viculus Bethphage situs in monte Oliueti, vti docet Hieronymus ad Matth. 26. *Hieron.* Affirmat autem vicum fuisse Sacerdotum, nomenque *Bethphage, domum maxillarum* interpretati. בית *Beth domum* significat, פג *phag maxillam.* significat etiam פג *phag* ficum immaturam, ideoque alij interpretati sunt *domum ficuum*, siue grossorum. *Haymo.* De Bethphage sic Haymo scripsit, *Bethphage est viculus in latere montis Olineti situs, in quo habitabant Sacerdotes, Pontifices, & ministri, qui certis diebus offerebant sacrificia, & ministrabant in Templo Domini. Vnde Bethphage domus buccæ, siue maxillarum interpretatur; quia Sacerdotes ibi habitantes cum vxoribus, filiis, & filiabus comedebant decimas, & primitias, & oblationes, quas in Templo Domini offerebat populus Deo.* *Bethphage domus buccæ, quia comedebant Sacerdotes: bene, nõ quia cantabant.* An non Sacerdotum vicus aptius domus buccæ appellaretur à laudum diuinarum prolatione, quam à comestione decimarum? O Sacerdotes taxandi, qui ex munere plus temporario studetis profectui, quam spiritus incrementis! Druthmarus vult domum maxillarum vocitari propter capita arietum, & hircorum, quæ inibi iacebant.

Illud autem à veritate alienum arbitror, nempè Sacerdotes in villa Bethphage habitasse eo tempore, quo Templo ministrabant. 4. *Vndenam viculus Sacerdotum?* Constat enim ex Scriptura, ac Doctoribus ipso in Templo habitasse. Addo viculum tot Sacerdotibus minimè capacem. Viculum Sacerdotum fateor. Vnde hoc nomen habuerit, ignotum mihi. Fortè in illo oues, aliæque victimæ in Templo offerendæ pascebantur: vel decimarum congregabantur fructus; quemadmodum vulgariter apud Hispanos vicus vbi redditus Diœcesis colliguntur *Camara Episcopal* assolet appellari.

§. II.

De asinæ adductione.

TVNC IESVS *misit duos Discipulos, dicens eis:*] Quinam fuerint hi Discipuli? Hilarius, Beda, & alij. *Petrus, & Philippus.* Alij, *Petrus & Paulus.* 5. *Quinam hi Discipuli?* Sed hi mysticè locuti, cum Paulus nondum inter IESV Discipulos adnumerabatur. Putarim autem adducturos asinam mysticam mysticos etiam Discipulos immissos esse. *Auctoris sententia.* Anselmus, *Misit duos Discipulos, id est, duos prædicatorum ordines, alterum in Gentes, alterum in Circumcisionem.* *Anselm.* Remigius, *Misit duos Discipulos, quia duo sunt præcepta charitatis, & duo Testamenta: & litera, & spiritus.* *Remig.* Hieronymus, *Quia duplex scientia theorica, & practica.* *Hieron.*

Ite in Castellum.] Quodnam sit Castellum id? Lyranus, Abulensis, Hugo Card. & Magister Historiæ asserunt immissos Discipulos in Ierusalem, & ex Vrbe asinam, pullumque adduxisse. 6. *De Castello.* Non admitto, quia Castellum hoc loci non Arcem significat, aut Vrbem; sed pagum, aut viculum; quod indicat nomen Græcum κώμη, quo Euangelistæ vtuntur. Præterea Castellum, in quod Discipuli mittuntur è regione illorum, & in aspectu aderat; Ierusalem verò ex loco, in quem Christus peruenerat, nondum aspectabatur.

Quod contra vos est] id est, *ante vos.* Sic illud: 7. *Peccatum meum contra me est semper.* Psal. 50. Id est, ante me. *Sedentes contra sepulchrum.* Matth. 27. Id est è sepulchri regione. Alij exposuere, *Castellum ante Discipulos.*

Castellum

Psal. 50. Matth. 17. *Castellum, quod contra vos est, id est, quod contrarium est vobis.* Porrò sensum huiusmodi litera non admittit.

8. *An sit castellum ipse viculus Bethphage?* Quæritur, an Castellum, quod Christus indicabat, quodque ante Apostolorum in erat oculos extiterit viculus ipse Bethphage? Probabiliter id asseruerim. Missi Discipuli in Bethphage, cui propinquus erat Dominus, qui ique è regione Discipulorum aderat. Lucas me ad hanc sententiam adduxit fatos: *Cum appropinquasset ad Bethphage, misit duos Discipulos.* Cap. 19. Ergo

Luc. 19. nōdū Bethphage fuerat ingressus. Ideò potuit ad vicum illum Discipulos immittere præcurrētes.

9. *Quorsum iusserit asinam simul, ac pullum adduci?* *Et inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea.*] Quorsum iusserit Dominus asinam, ac pullum simul adduci? Crediderim, id præcepisse, vt vaticinio faceret satis præcinenti, Messiam Regem asinæ, pulloque illius insessurum, Ierosolymamque ingressurum esse. Quare autem iumento ad ingrediendum vti voluerit?

Reiicit quorundā confictionem. A queisdam apud Barradium tom. 3. lib. 7. cap. 5. confingitur, Christum propterea iussisse asinam pullumque adduci, quia mortis propinquæ meditatione, ac præuisione vires ita cœpit amittere, vt iumento indigeret. Quàm inepta confictio! An in tam exiguo itineris spatio iumento opus habuit, qui ad Passionis difficiliora itinera pedes cucurrit?

10. *Hic magis aspectanda mysteria, quā litera.* Profectò hic non tam litera, quam mysteria aspectanda. Patrum exprimo testimonia. *Inuenietis asinam alligatam.*

Anselm. Anselmus, *Id est, Iudæos legis iugo domitos, sed tamen peccatis irretitos.*

Hieron. Hieronymus, *Asina synagoga, pullus Gentium populus, cuius Iudæa secundum Deum mater est.*

Raban. Rabanus addit. *Vnde Matthæus, qui Iudæis scripsit, asinæ meminit: vt Iudæi salutem sperent, si pœniteant.*

Interlin. Interlin. *Soluite asinam, id est, peccatores à peccatis. Nam quæcumque solueritis, soluta erunt.*

Chrysost. Chrysostomus, *Peccatores per doctrinam & miracula soluite; & adducite illos, id est, ad gloriam meam conuertite.* *Et si quis vobis aliquid dixerit,* &c. (Interlin. ait)

Interlin. Chrysost. *vel obedientiam denegare voluerit, non desistatis prædicando.* Chrysostomus, *Homines ante Christi aduentum vt asini immundi, irrationabiles, stulti, ignobiles, & erroribus onerati. Ligata verò erat, id est, diaboli erroribus impedita, & nisi Deus soluat à peccatis, ligatum vsque ad mortem animal in eorum vinculis permanebit.*

Hilar. Hilarius, *Asini, & pullus duplex Gentium vocatio, scilicet Samaritanorum, & reliquarum Gentium. Per Philippum Samaria credidit, per Petrum Cornelius Gentium primitiæ.* Plura Patres.

11. *Cur solus Matthæus asinæ meminit?* Asinæ solus Matthæus meminit, pulli reliqui Euangelistæ. Cur Matthæus & asinæ, & pulli fecerit memoriam? Quia Prophetæ vaticiniū memorauit, in quo non tantum pulli, sed asinæ etiam mentio geritur. Obiicis Ioannem vaticiniū idem memoriæ prodidisse, nec tamen asinæ fecisse memoriam. *Inuenit* IESVS *asellum,*

Ioan. 12. *& sedit super eum.* Cap. 12. Respondeo Ioannem de asina siluisse, quia Dominus præcipuè pullo vsus est ad equitandum.

12. *An Dominū iumenta haberent?* Num hæc iumenta Dominum haberent?

Lyran. Hugo. Luc. 19. Lyranus, Hugo Cardin. & alij opinantur, vsui pauperum fuisse destinata. Profectò Lucas Dominos habuisse illis verbis expressit: *Soluentibus illis pullum, dixerunt Domini eius ad illos: Quid soluitis pullum?* Cap. 19. Habebant igitur non solum dominum, sed dominus, virum scilicet, & vxorem vel filios.

Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet.] Absolutè se Dominum iubet appellari, id est, Deum; solus enim Deus absolutè, & simpliciter à Iudæis dicebatur. Auctor Imperf. *Ne dicatis, Dominus tuus, neque Dominus noster, neque Dominus iumentorum; vt intelligant omnes, quia ego solus Dominus.* Anselmus, *Dominus his opus habet, id est, omnium Dominus rerum, cui seruire debet omnis creatura.* Chrysostomus, *Ipse absolutè Dominus omnium hominum.* 13. *Se absolute Dominum iubet appellari.* Impers. Anselm. Chrysost.

Et confestim dimittet eas.] Duplicem expositionem profero. Aut refero ad Dominum hoc sensu: Dicite, quod Dominus iumentis hisce opus habet, & confestim ea dimittet, vobisque restituet, postquam illis breui temporis spatio vsus fuerit. Marcus sic, *Si quis vobis dixerit: Quid facitis? dicite, quia Domino necessarius est,* pullus scilicet, *& continuo illum dimittet huc.* Cap. 11. Exposuit ita Auctor Imperf. Aut refero ad Dominos iumentorum: Si quis vobis dixerit aliquid, dicite, quod Dominus asina & pullo opus habet: & confestim qui prohibere voluit, *dimittet eos,* hoc est, permittet, vos asinam, pullumque ad me adducere. 14. *Duplex verborum sensus probabilis.* Marc. 11. Imperf.

Vterque sensus probabilis. At secundum eligendum censeo propter Marcum profantem: *Quidam de illic stantibus dicebāt illis: Quid facitis, soluentes pullum? Qui dixerunt eis, sicut præceperat illis* IESVS, *& dimiserunt eis.* Cap. 11. Hoc est, dimiserunt Apostulis pullum. 15. *Auctoris sententia.* Marc. 11.

§. III.

De Zachariæ prophetia à Domino memorata.

HOc autem totum factum est, vt adimpleretur, &c.] Dominus solebat pedes iter agere, nunquam iumento fuerat vsus: nunc iter breuissimū perfecturus asinam & pullum iubet adduci, quibus veheretur. Cur insolitæ studet equitationi? Certè vt vaticinio satisfaciat. 16. *Cur equis Dominus insederit?*

Quid Zacharias? *Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: Ecce Rex tuus venit tibi iustus, & saluans: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.* Cap. 9. LXX. *Gaude vehementer filia Sion, prædica filia Ierusalem: Ecce Rex tuus venit tibi iustus & saluans; ipse mansuetus, & ascendens super subiugalem, & pullum nouum.* Zachar. 9.

Euangelistæ sensum expressere, non verba. Videor, Matthæum non solum Zachariæ, sed & Isaiæ vaticinium aspectasse præfantis: *Dicito filiæ Sion, Ecce Saluator tuus venit: ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo.* Cap. 62. Porrò Messiæ in Vrbem ingressus summæ lætitiæ materiam suggerebat, ideò Ierosolyma iubetur iubilare. Describitur Rex noster pauper, mansuetus, humilis: non vt Reges mundiales esse assolent sæpè opulenti, feroces, arrogantes. An non illius paupertatem, mansuetudinem, ac humilitatem iumentum indicat, quo vectatur? Non metuendo insidet equo, sed mitissimo asinæ pullo. Isai. 62.

Imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt] Iumenta adduxere Discipuli, pallia sua illorum apposuere dorso, vt commodiorem, ac decentiorem sedem Domino obiicerent; eumque desuper fecerunt sedere. An asinæ, & pullo? Tres Euangelistæ Marcus, Lucas, Ioannes soli pullo insedisse memorant, nulla 17. *An Dominus asinæ & pullo insederit?*

Abulens. & alij. *Auctoris sententia.* Theoph. & alij.

asinæ facta mentione. Vnde Abulensis, Euthymius, Iansenius & alij asserunt breue illud spatium vectum solummodo pullo perfecisse. Asserui lib. 7. proximo, & asina, & pullo vectum successiue Dominum; quod vlterius ex Theophylacto, D. Thoma, Lyrano, Caietano, & aliis plurimis confirmo. Id indicant Prophetæ verba. *Ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.* Matthæus autem, *Imposuerunt super eos vestimenta sua*, id est, super asinam & pullum; quia Christus vtroque volebat equitare. *Et eum desuper sedere fecerunt.* Id est, in asina, & pullo, quibus imposuerant vestimenta. Græcè *ἐπεκάθισεν ἐπάνω αὐτῶν*, hoc est, *insedit super eos.*

18. *Improbo* Scio Hebraicè legi in Zachariæ testimonio חמור *chamor*, quod nomen asinum plerumque significat. Pagninus, *Ecce Rex tuus veniet tibi equitans super asinum, & super pullum.* At lectio hæc minimè admittenda, quia vulgatæ repugnat, in Zacharia, & Matthæo apertè contradicit. Vnde expositio illa: veniet Rex sedens super asinum, qui quidem asinus erat natura, & ætate pullus, omnino obliteranda. *quorumdam expositione.* Pagnin.

Sic exposuit Euthymius: *Posuerunt super asinam, & super pullum vestimenta Discipuli, ignorantes super quem illorum vehi vellet.* Verosimilius est, Christum significasse, se velle vtroque vehi, ideoque vestimenta vtrique Discipulos apposuisse. Quidam, qui solo pullo vectum Christum volunt, numerum pluralem pro singulari vsurpatum exponunt. Sed non opus, syllepsim, aut synedochem confingere, cum sine absurdo Textus numerus exponitur. 19. *Reiicio aliorum placitum.* Euthym.

IN
IESVM COLLOQVENTEM
PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS
CIRCA LITERAM.

EX HVMILI CHRISTI EQVITATIONE.

Observatio I.

Ad illa verba:

Ite in castellum, quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam, &c.

Non equum, sed asinam Dominus elegit, vt sedeat, & triumphum agat.

Quia non sapientibus mundi, sed insipientibus Dei fuere reuelata mysteria, in sapientum confusionem.

20. Chrysost. Chrysostomus, *Elegit Dominus asinos, id est, irrationabiles, stultos, & erroribus oneratos, vt eos verè reddat sapientes.* Diuina plerumque mysteria synceris præcordiis recluduntur, non mundi sapientibus, clamante Domino, *Abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus: & reuelasti ea paruulis.*

21. *Damnandus ne Christus, qui elegit insipientes.* Tertull. An Dei sapientia suis in electionibus aberrauit: Elegit ne sophistas, an piscatores plenos synceritate? Tertullianus lib. de anima. Cap. 3. *Deliquit, opinor, diuina doctrina ex Iudæa potius, quam ex Græcia oriens. Errauit & Christus piscatores citius, quam sophistas mittens.*

22. *Fœmina inertis, insipiens drachma arcanorum conditorium traditur.* Luc. 15. Maldon. Chrysol. Fatur Christus, *Quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam vnam, nonne accendit lucernam, & euerrit domum, & quærit diligenter, donec inueniat?* Luc. 15. Vbi Maldonatus, *Hæc mulier rusus.* Quænam, quæso, hæc drachma? Chrysologus serm. 169. *Christus est drachma nostra redemptionis, plenum Diuinitatis numisma.* Tantus thesaurus à rudi muliere est inueniendus? An non aptius Diuinitatis arcana doctissimis viris traderentur? *Confiteor tibi Pater, quia reuelasti ea paruulis.*

Abræ Dominus, *Egredere de terra tua, & veni in terram, quam monstrauero tibi:* Gen. 12. Quare non Patriarchæ viæ terminum reuelauit? Basilius Seleu. ora. 7. *Metam celas, vt cursum contendas*, seu vt properantiorem efficiat. Potius ignoratio ingeret gressui tarditatem. Minimè verò: quia dum Abram Deo se præsentat ignarum, ad montem eleuabitur, vt montana Verbi mysteria valeat edoceri. 23. *Dum Abrã nescit viam ad arcana eleuatissima adducitur.* Gen. 12.

Ait Ecclesiastes, *Dedi cor meum, vt scirem prudentiam, atque doctrinam, & stultitiam.* Cap. 1. Preme particulam, *Dedi cor meum*, id est, magno conatu me ad studium prudentiæ, doctrinæ, ac stultitiæ addixi. An tanto viro, tam sapienti Doctori stultitiæ callere facultatem? Curaui anxiè stultus effici. Caietanus, *Vt scirem stultitiam, hoc est, multitudinem imprudentiarum, quibus homines abundant.* Si cupit Rex prudentia, atque doctrina cœlesti informari, quare simul fieri stultus expetit? Profectò Salomon synceritate cupiebat ornari, quia synceris insipientibus, (sapientibus veracirer) diuina sapientia reuelatur. 24. *Salomon curat esse insipiens, vt verò sapiens efficiatur.* Eccles. 1. Caietan.

Ideò Dominus, *Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis: sed nescis, vnde veniat, aut quo vadat.* Ioan. 3. O ignorantiam sapientissimam! Nescis vnde veniat, aut quo vadat. Et simul vocem eius audis. Quia scilicet nescientibus Theologiæ arcana eleuatissima, spiritu synceris verba diuina aptius reuelantur. Tertullianus lib. 1. de anim. cap. 1. *Quis reuelauit, quod Deus texit? Vnde sciscitandum est? Ignorare tutissimum, prostat per Dñi nescire.* Nescis ne vnde veniat, aut quo vadat? Proculdubio vocem eius te audisse dignosces. 25. *Qui nescit, audit Dei vocem.* Ioan. 3. Tertull.

Observatio II.
Ad illa verba :
Inuenietis asinam alligatam.

Discipuli ad asinam alligatam, id est, ad peccatores immittuntur.

Peccator enim miserè illigatur, turpissimè laborare cogitur.

26. Anselm. ANselmus asserit asinam alligatam peccatores significare. *Mittentur Discipuli, vt soluāt asinam, id est, peccatores illigatos peccatis, iuxta illud: Quacumque solueritis, soluta erunt.* Existimas ne peccatorem qui legis iugum proiicit, à vinculis esse absolutum? Certè duriori vinculo se dat, qui à vinculo cœlesti recedit; peccator enim turpissimis laboribus implicatur.

27. *Iniquæ messis dolorum.* Iob. 4. Iob clamabat, *Qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metunt eos.* Cap. 4. Vna iniquitas perpetratur, granum est, è quo dolorum exsurgit spica. Testus auarum. *Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos?* Luc. 12. Luc. 12. Vnicum granum auaritiæ seruit, vide quàm copiosam, messem dolorum congregarit. Basilius Basil. hom. in ditescen. *Ipse vtilitate miser erat, ac timidus. Non enim prouentus annui fruitionem ei terra ferebat, sed fletus, & suspiria; non fructuum copiam, sed curas, & dolores, & graues anxietates sibi colligebat.* O auaritiæ granum quantam spinarum messem exposuisti!

28. *O quantæ spinæ peccatori! quot angustiæ!* Iudic. 2. Pagnin. Vatabl. De Chananæis pugnantibus aduersus Hebræos, ait Dominus, *Quam ob rem nolui delere eos à facie vestra, vt habeatis hostes, & dij eorum sint vobis in ruinam.* Iudic. 2. LXX. illud: *Vt habeatis hostes*, transtulere. *Erunt vobis in angustias.* Pagninus. *Erunt vobis in lateribus, id est, in spicula, quæ vobis latera confodiant.* Varablus, *Erunt vobis in spinas.* Cur tot spicula, & spinæ Berchor. Hebræis præparantur? Apprimè Berchorius. *Peccata Hebræorum verè illorum Chananæi erant.* Dum peccator non compungitur, vndique pungatur necesse est.

29. *Tam dira spinarum compunctio peccatori, vt ad conuersionem excitetur.* Psal. 31. Bern. Clamat Dauid, *Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* Psalm. 31. Quænam excitamenta ò Rex te in conuersionem, aut pœnitudinem impulere? An peccati grauitas? An Dei auersi recordatio: An rectorum operum amissio? Profectò quasi trahor ad conuersionem, dum ipsius peccati spiculis, ac spinis vulneror: Dum configitur spina. Bernardus ser. 34. in Cant. Benè confixus, qui conuersus exinde est. Liceat vulgariter exponere, *Bien le affligio la espina del peccado, pues le obligo à conuertirse.*

30. *Mala morte moritur, qui delinquit ex cruciatibus agnatis criminis.* Gen. 2. Adamum obiicite post præuaricationem. *De ligno* (inquit Conditor) *scientiæ boni, & mali ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Gen. 2. Comedit miser, nec tamen illa ipsa die morte fuit mortuus: *In quocumque die.* Patres verba illa: *Morte morieris*, de duplici morte spirituali, ac temporaria exponunt. Obstat, quod licet in illa die Adamus animo mortuus est, non tamen corpore deperiit. Vnde lubet in præsenti locum de alia morte explicare, quam homo delinquens illo ipso die & spiritu & corpore incurrit. Mortuus est morte, quia spiritus fuit crimine occisus; & corpus tot actum compunctionibus spinarum, vt possit proclamitare: *Muero mala muerte.* Isidorus lib. 1. sent. Isidor. cap. 18. id belli seu rebellionis metaphora exposuit, *Qui noluit cum Deo esse vnitus, fuit in seipso diuisus; & qui imperanti Deo noluit esse subditus, factus est sibimetipsi rebellis, atque contrarius*, duplici mala morte affectus.

Audi Ieremiam. *Visitabo super eos quatuor species, gladium ad occisionem, & canes ad lacerandum, & volatilia cæli, & bestias terræ ad deuorandum.* Cap. 15. Vbi Hieronymus, *Neque enim fieri poterat, vt, Creatore neglecto, non vniuersa creatura consurgeret in peccatores.* Difficilis planè sententia, *Neque fieri poterat.* An non sæpe Creator ab homine negligitur, & non ideo vniuersæ creaturæ ad vltionem exsurgunt? Ita planè. Cur ergo Doctor asserit fieri non potuisse, vt Creatore neglecto, non vniuersa creatura consurgeret in delinquentem? Profectò quia peccator tot ex ipso delicto compungitur spiculis, vt videri possit recto rerum æstimatori in illum vniuersam creaturam consurrexisse. 31. *Fieri non potest, vt delinquens non compungatur à cunctis creaturis.* Ierem. 15. Hieron.

Expressit Dauid fatus, *Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Psal. 48. Chaldaicus Paraphra. Nisi quando reatus peccati mei circumdabit me. Saa, *Id est, si non peccauero, non timebo. Iniquitas autem calcanei, est gressuum, seu operum iniquitas.* Chrysostomus, *Peccatum solum est terribile, quod vndique circuit eos, qui capiuntur, quouis exercitu grauius.* Vidisti ne Vrbem pressam obsidione? Quid obsessi milites non patiuntur? Timore, fame, siti assolent discruciari. An eis somnus dulcis, secura quies? En obsidionis è crimine simulacrum: *Iniquitas circumdabit me.* 32. *Instar obsessæ Vrbis, cunctis malis premitur peccator.* Psal. 48.

Observatio III.
Ad illa verba:
Soluite, & adducite mihi, & si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet.

Opus ne Deus vnico peccatore habet? Necessarius ne homuncio conditori?

Tanti ducit Deus vnum hominem, vt cum ipso quodammodo omnia possidere videatur: sine ipse nihil?

CHrysostomus, *Per doctrinam, & miracula soluite eum à peccatis, & ad me conuertite, & adducite mihi ad gloriam meam; quia ad id Dominus eo opus habet.* Ad gloriam Dei necessarius ne peccator vnus? Qui omnibus potitur bonis, quomodo potest volco deficiente peccatore, gloriæ defectum experiri? Profectò sic Deus quemlibet diligit homuncionem ad se conuersum, vt cum ipso quodammodo bonorum omnium videatur potiri immensitate: sine ipso quasi indigus exponatur. 33. Chrysost.

34. *Omnia in manu Iesu, dum vnus homo ei deeret?* Ioan. 13. Theoph.

Fatur Ioannes, *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus.* Cap. 13. Vbi Theophylactus, *Omnia dedit ei Pater in manus, hoc est, quod credidisset ei hominum cuiusliber salutem.* Cuiuslibet hominum salus omnia Saluatori? Quid mirum illico Dominum ad pedum Discipulorum ablutionem operam dedisse: vt, Simone de Cassia contemplatore, Iudæ votius curaret non solum pedum, sed animi mundiciem, ne amisso vno Iuda quasi thesaurus omnis amitteretur.

35. *Omnia dat Christo, qui se dat, omnia subtrahit, qui à Iesu recedit?* Matth. 21. Chrysost.

Matthæus noster cogitationem roborauit. *Dicite filiæ Sion, ecce Rex tuus venit tibi.* Cap. 21. Particulæ adnotandæ: *Filia. Tuus, Tibi.* Cur non dixit, *Venit omnibus?* Vt suum cuilibet homini ostendat affectum, Cuilibet homini se totum dat, quia quilibet Deo omnia esse videtur. Chrysostomus, *Si intellexeris, venit tibi vt saluet te: alioqui contra te,* quia auferens te ab eo, omnia detraxisti. Vnde reus latrocinij competeris, & supplicio addiceris.

36. *An sanguis à latere profluens, omnibus impenditur, dum vni profluxit: quia vnus homo omnia?* Ioan. 19. Cyrill.

Vulnerato latere Seruatoris, *Continuo exiuit sanguis, & aqua, & qui vidit testimonium perhibuit.* Ioan. 19. Quærit Cyrillus Ierosol cath. 13. si omnibus salus, si omnibus illuminatio ex sanguine Saluatoris Domini parabatur, cur non omnes viderunt, sed vnus? Respondet sic vnicuique hominum salutem profluere, ac si solummodo homo vnus esset illuminandus. Vnde vt abundantia anni benignitatis Domini exprimatur, sufficit vnum hominem luce fuisse potitum; quia vnus homo quasi omnia Deo. *Tibi vni credenti per aquam tota salus.*

37. *An vnus latro Iesu fuit velut omnes Deo?* Chrysost. Luc. 23.

Christi mors clauis Dauid, qua cœli cardines recludi debuere. Fatur IESVS latroni, *Hodie mecum eris in paradiso.* Luc 23. Affirmat Chrysostomus verba hæc de omnibus Patrum apud limbum expectantibus spiritibus intelligenda. Cur ergo non dixit, Adam, Abraham, Dauid, Dima, reliquique omnes *vincti spei*, hodie mecum eritis in paradiso? Quia vnus peccator ad frugem meliorem adductus sic omnia est Christo, vt omnium obliuisci videatur. *Mecum eris, amen dico tibi.*

38. *Vnus homo est omnium rerum colligatio, imago vtique Dei.* Gen 1. Procop.

De hominis efformatione Moyses, *Et creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam.* Gen. 1. Vndenam homo Dei imago, ac similitudo appellatur? Certè quia quilibet homo est omnium rerum colligatio, sicut Deus omnium bonorum epilogatio dicitur à Procopio, qui quidem addidit, *Et quidem homo solus fertur ad imaginem Dei constructus. Cum enim Deus sensibilia, & intelligibilia finxisset: vniuersam vtrorumque creationem quasi in homine colligauit. Quæ igitur in hoc vniuerso opere distabant, contraxit in vnum, huicque omnia & familiaria, & cognata efficit.* Si Deus, *qui continet omnia, & scientiam habet vocis* huiusce: *Homo*, videt omnia in homine contineri: quid mirum, proclamet, *Dicite quia Dominus his opus habet.* Agnosce homo, pretium tuum, & tantum thesaurum ne pro vilissima commutes voluptate.

OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.

Mansuetus venit Rex, vt subditos homines facilius ad se adducat.

Nam mansuetudo Præsulis trahit subditos ad obsequium voluntarios.

DIxerat Dominus, *Inuenietis asinam alligatā soluite & adducite mihi.* Nihil difficilius, quam ad Dominum illigatum adducere peccatorem, eique subditum addicere eum, qui multis dominis subdebatur. Ideo Propheta proclamat, *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* Dum mansuetudinem ostentat Dominus, asinam subditam regit, & ducit. O quam efficax mansuetudo Præsidis, vt subditi submittantur, magisque vltroneum impendant obsequium. 39.

40. *Dum Præsul se mitem offert vt subditus: subditum sortitur obsequentem.* 3. Reg 3.

Regi Salomoni Deus, *Postula quod vis, vt dem tibi.* Rex autem, *Dabis seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possis.* 3. Reg. 3. Hebraicè *Cor audiens.* Quid Regi cum auditione aut obedientia? Subditi accommodatior deprecatio: *Da subdito cor audiens,* seu obediens. O quam apte Rex cor obediens sibi dari petiit. Ille enim obedientes subditos sortietur, qui cor audiens, humile, mite, ac mansuetum ostentarit.

41. *Dum Præsul videtur à subditis, voluntate, mansuetissimus, agit tunc illum ad suā efficacius voluntatem adducit.* Gen. 1. Tertull. Hugo. Alcuin.

Orbe condito, *Spiritus ferebatur aquas.* Gen. 1. Quemadmodum Christus hodie super iumentum fertur verè Dominus subiiciens animantem: sic olim super aquas, auctore Tertulliano, deferebatur eas subditas continens. An aptus regimini Princeps, qui fertur ad voluntatem subditorum? *Ferebatur super aquas.* Certè dum fertur Princeps, dum morem gerit subditis mutabilibus, eorumque mansuetus aspicit mutationes: suprà ipsos deferri conspicitur. Hugo Card. *Sapientia Dei ostenditur vbi dicitur, Ferebatur.* Alcuinus, *Ferebatur super aquas Regentis more.* Nunquam enim verius regere ac moderari subditos Rector aspicitur, quam cum mansuetus videtur ad eorum impetum amoueri.

42. *Dum Deus se nobis Patrem magis, quam Iudicem ostendit, eius agimus promptius voluntatem.* Matth. 5.

Nihil difficilius, quam hominem sic Deo submitti, vt experat eius voluntatem executioni, cœlo, ac terra, committi. *Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra.* At Dominus subditos edocet, quonam modo nunquam à Dei voluntate recedant, dum eos iubet sic instituere orationem: *Pater noster, qui es in cælis.* Matth. 5. Cur non iubet, ad reuerentiam conciliandam, trahendumque animum subditi ad obsequium, Deum à nobis iudicem compellari? *Iudex noster, qui es in cælis.* Profectò quia nunquam Dei præcepta à subditis audiuntur, & exequuntur efficacius, quam cum Deus magis se patrem mansuetum, quam iudicem ostentat. Chrysostomus, *Qui Iudicem mutauit in Patrem, amari voluit, non timeri.* Profectò Doctoris tanti venia, dixerim, timeri voluisse; quia nunquam magis timet subditus Dei transgredi voluntatem, quàm cum eum patrem mansuetissimum experitur. Chrysost.

43. *Optimus Princeps, qui mansuetudine subditos continet.* Petrarch. Ambros.

De optimo Principe Petrarcha, *Ille Princeps optimus est, cui omnes subditi obedire satagunt.* D. Ambrosius Theodosium Imperatorem effert magisterium optimi Principatus. *Cum haberet super omnes potestatem, quasi parens expostulare malebat quam quasi Iudex punire.* Vndenam ergo optimus Princeps, si Principis optimi est subditos sortiri obedientes? Certè

Certè quia dum se Princeps non seuerum Iudicem, sed mansuetissimum subditis parentem ostendit: cogit subditos ad obsequium.

44.

Iordanus fugit Iudicem, Præsulem, sequitur Christum mansuetum. Psalm. 113. Cyrill.

Olim accedente Arca (vbi virga virtutis ad flagellatiooem Ægypti,) ad Iordanis ripam, *Iordanus conuersus est retrorsum.* Psalm. 113. At postea cum Domious verè *virga virtutis*, (*Virgam virtutis sua emittet Dominus ex Sion*,) ad Iordanem diluendus à Ioanne accessit, Iordanis non se dedit in fugam. Quæritur, cur tunc aufugit flumen, nunc sistens placidis vndis expectauit? Respondet Cyrill. Ierosol. Cat. 12. *Ante carnis assumptionem mare vidit; & fugit, Iordanis conuersus est retrorsum. Assumpsit corpus Dominus, vt mare videns sisteret, & Iordanis sine timore illum susciperet.* Efficacissima enim Præsulis mansuetudo ad subditos adducendos.

45.

Paralytică, quem seueritas ablegarat, attrahit ad obsequium Christi mansuetudo. Ioan. 5. Hugo.

Paralyticus piscinæ probaticæ sese à dominio Conditoris exemerat, siquidem illi Saluator indixit: *Noli amplius peccare.* An inobsequens ille es Domini in ipsum seueritate? An es asperatus delinquebat? Illud scio, Dominum post tot iniquitatis annos accessisse, seseque ei mansuetissimum ostentasse, fatum: *Vis sanus fieri?* Et mox Paralyticum inclamasse, *Domine, hominem non habeo.* Ioan. 5. Vbi pulchrè Hugo Card. *Nota, quanta deuotione captus est ad benignitatem sermonis Christi; statim enim eum honorans, Dominum dixit.* Subditus enim efficaciter adducitur, vt obsequatur, cum Præsulis benignitatem experitur.

46.

Exactio est subdit. Principis mansuetude. Psalm. 140. Chrysost.

Dauid Rex quidem optimus proclamabat, *Audient verba mea, quoniam potuerunt.* Ps. 140. Alij, *Quoniam ex mansuetudine speciosa fuerunt.* Chrysostomus autem, *Quoniam munita sunt satellitibus.* Liceat vulgariter expendere, *Mis palabras mansas estan llenas de executores.* Mansuetudo enim Principis subdito est exactio ad obsequium.

Observat. V.

Ad illa verba:

Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum.

An aptè Propheta asserit Regem esse Christum, cum tam humili agnato agricolis rusticis, vtitur equitatu?

Ita planè, nil enim sic Principem, seu virum nobilem manifestat, ac humilitatis submissio.

47. Aspiciendus aliquando Christus obiicitur *in diademate, quo coronauit eum mater eius*, vt subditus adorare possit. At *sedens super asinam* qua prudentia exponitur subditis Princeps: *Ecce Rex tuus venit tibi?* Chrysostomus, *Cum ergo sic videritis, nolite dicere, Non habemus Regem nisi Cæsarem.* Potius sic viso Domino, proclamabunt subditi, *Non habemus Regem;*

Chrysost.

quia dedecet Regem humilis equitatio. O vis humilitatis? Dum Christum aspiciunt Iudæi hærentem asinæ humeris, non possunt, non eius agnoscere (quodammodo) maiestatem; quia humilitas Principis augusta manifestat.

48. Fatur de Christo Ioannes Baptista, *Oportet illum crescere, me autem minui*, Ioan. 3. Cur oportuit crescere Saluatorem? Quia Deum hominum superbia quodammodò depresserat. Quomodo autem incrementa Dominus sic depressus accepit? Crediderim humilitatem mirum in modum creuisse. Bellè Augustinus serm. de Nat. *Tantum te pressit humana superbia, vt te non posset nisi humilitas subleuare diuina.*

Deum pressum hominū superbia, quodāmodo crenus humilitate. Ioan. 3. August.

49. Inducitur augustissima Regis IESV origo. *Egredietur virga de radice Iesse*, (Hieronymus, *De trunco Iesse*,) & flos de radice, seu trunco *eius ascendet.* Isa. 11. Quomodo tam pulcher flos es trunci nuditate ascendit. Procopius, *Erat enim Tribus ipsa illaque adeo, vnde Christus prodiit familia non minus quam truncus aliquis ramorum honore spoliatus.* Cur ergo ad exprimendam Christi augustam dignitatem, non dusit Propheta originem à Dauide Rege vt Matthæus gessit, (*Filij Dauid*,) sed nudum & inornatum recurrit ad truncum? Crediderim, quia plus Dominum augustum trunci nudi humilitas, quam ipse Regius thronus ostentabat.

Christus Rex inducitur nascens ex humilitate Iesse trunco. Isa. 11. Hieron. Procop.

50. Preme vocabulum, *Virga.* An non es abiectione, ex gracilitate humilitatem obiicit? Virga hæc Israel regit, hostes animi contundit, subiicit orbem, homines iudicat? Quid virgulæ cum Imperio? Profectò humilitati tam agnata dignitas regia, vt nuoquam tam aptus gubernatiooi IESVS ostendatur, quam dum humilior exponitur. Idem Procopius, *Virga nomine eius, de quo vaticinium est, dignitas Regia significatur. Quia Regia maiestatis Symbolum virga continet.*

Virga humilis nomine apud Iesus Rex significatur. Isa. 11. Procop.

51. Annunciatur Pastoribus Rex Messias. *Natus est vobis Saluator*, ad cuius adorationem imittuntur. At vt eum agnoscant Dauid filium *in Ciuitate Dauid*, hoc eis signum ab Angelo datur: *Inuenietis infantem positum in præsepio.* Luc. 2. Quid, quæso sublime, quid Regium, qui Dauidicum io infante? An præsepium thronus? an sceptrum palea? an purpura panni? an spelūca palatium? an Bethleem Metropolis? O augustissimam humilitatis gloriam! Vt ostendatur Rex Messias subditis, humilis exhibetur; vt ipsa humilitas, cui agnatum Imperium eum exponat Imperatorem. Elegit id Conditor? Ergo id Regiam habebat maiestatem. Cyprianus, *Tale elegit Fabricator mundi hospitium, huiusmodi habuit delicias, sacra Virginis puerperium, panniculi pro purpura, pro bysso in ornatu Regio lacinia congeruntur.*

Pastoribus Christus Rex exponitur, du vilitas apparet ostenditur. Luc. 2. Cyprian.

52. De Spelonca Bethleemitica Isaias præfatur, *Vmbra petræ præminentis in terra deserta.* Cap. 32. In Hebræo, *Quasi vmbra rupis magna.* Honoratæ, gloriosæ, grauis diuitiis, & honore. Sic exposuit Forerius particulam *Rupis magna.* Tanta maiestas humili designatur in rupe? Quid mirum, si totum id, quod humilitatem inouit, Regiam ostentat maiestatem? Addit Propheta, Iste io excelsis habitabit, monimenta saxorum sublimitas eius. Cap. 33. LXX. *Hic habitabit in excelsa spelunca.* Excelsa plane

Vilis spelūca Bethleemi appellatur excelsus Regis Iesu thronus ex humilitate. Isa. 32. Forer. Isa. 33.

ob

ob Regis nasciturі humilitatem. Apte subditur, *Regem in decore suo videbant.* Quid in *decore suo*? In Deitatis maiestate. Tunc enim agnitus est Rex cœlestis à pastoribus, à Regibus, cum in speluncæ humilitate conspicitur.

53. Dauid olim ad speluncam Odollam diuertit, illucque conuenerunt, *qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo: & factus est eorum Princeps.* 1. Reg. 22. Ideo tenor promissam Regi Domino Dauidis sedem. *Dabit illi Deus sedem Dauid patris sui, & regnabit in domo Iacob in æternum, & Regni eius non erit finis.* Luc. 1. Vbi noster sapientissimus Salmeron tom. 3. Tract. 6 asserit sedem hanc promissam Christo Regi Bethleemiticam speluncam extitisse, vbi Dominus auspicatus est Imperium æternum, quemadmodum Dauid in specu Odollam Regnum fuit auspicatus. Quid speluncæ cum Regno Dauidico temporario: imò quid speluncæ cum Imperio Christi æterno: *Et Regni eius non erit finis.* ? Certè tantæ maiestatis Regnum solummodò poterat speluncæ humilitate figurari.

In spelunca humilitate & Dauid Regnum temporale, & Iesus Regnũ auspicatur æternum
1. Reg. 22.
Luc 1.
Salmer.

54. Clamat ipse Messias, *In petra exaltasti me.* Psalm. 60. Vbi Caietanus affirmat hunc Psalmum Messiæ promissionem exprimere. Quænam illa petra? *In petra, quæ eleuabitur nomine, & fama.* Eleuabitur ait, at non tunc eleuata erat, sed quid maximè abiectum. Quomodo ergo verificatur illud: *In petra exaltasti me*? Exaltasti scilicet, tunc cum exortus sum, currentibus ad obsequium pastoribus, Regibus adorantibus? Certè quia cum abiectior spelunca obiicitur antè futuram eleuationem, tunc augustior Deifici Regni thronus ostentatur.

Christus Rex in spelunca humili, ante futurã eius gloriam, exaltatur.
Psalm. 60.
Caiet.

Observat. VI.

Ad illa verba:

Ecce Rex tuus venit tibi.

Magna admodum cœlestis Regis dignatio, singulis hominibus venire.

O iusti dignitas, qui potest proclamare: Rex Deus meus planè est! Taxo Principes qui non sunt omnium singulariter subditorum.

55. Anselmus pulchrè, *Spiritu videtũ non oculis illum Regem, de quo Prophèta, Ecce Rex tuus.* Profectò Rex ille, qui tuus sit in particulari, ac meus, cum sit Princeps omnium: solis mentis oculis, quibus Deus aspicitur, est videndus. Deus solus est *Rex tuus*, & omnium, & singulorum subditorum est speciatim Princeps. Non sic mundiales Reges, omnium Reges vocantur, & non omnium Reges ostenduntur.

Anselm.

56. Hinc cuiuslibet subditi confidentia: Deus meus est, Præsul meus est. Magdalena aliquando sicut errонea ouicula recesserat à Pastore. At ad mentem meliorem adducta *attulit alabastrum unguenti, & stans retro lacrymis cœpit rigare pedes eius*, &c. Luc. 7. O fœmina peccatrix qua confidentia ad Regem sæculorum accedis? Deus meus, Rex meus est, & *venit mihi.* Augustinus ad Psalm. 56. *Irruperat Maria in habitaculum alienum*, sed non accesserat ad Deum alienum. *Deus meus*? Non repellet. *Ecce Rex tuus venit tibi.*

Audet Magdalena accedere, quia ad Dñ̃ suũ pergebat.
Luc. 7.
August.

57. Quid Prodigo immundius, & sceleratius? Substantiam dissiparat paternam, *viuendo luxuriosè.* Attamen aliquando videns, ac in se reuersus, ait: *Surgam, & ibo ad Patrem meum.* Luc. 15. Et quonammodò audebis ante patris conspectum apparere? Est *Pater meus*, fratris mei est Pater, omnium subditorum speciatim est Princeps; non repellet. Anselmus, *Qui longe recessi, qui sub Principe porcorum fame tabesco, ibo ad Patrem meum.* An excipiet substantiæ dissipatorem? Occiditur vitulus saginatus, vt fame expulsa filius experimento edisсat, fame deperiisse apud Principem mundialem, apud Regem cœlestem fruitum satietate; quia licet ipse porcus ex luxurie extitisset, Princeps autem porcorum non erat vniuscuiusque singulariter Princeps: Rex autem Deus singulorum fratrum erat Pater: *Ibo ad Patrem meum.*

Audet & Prodigus, quia ad suũ Patrem. At Princeps porcorum nõ singulis porcis prouidebat speciatim
Luc. 15.
Anselm.

58. Fatur Dominus, *Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à Nuptiis*, &c. At Petrus post parabolæ prolationem rogitat, *Domine ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes? Dixit autem Dominus, Quis putas est*, &c. Luc. 12. Cur Dominus non respondit, se omnibus hanc parabolam expressisse? Iam respondit, dum Euangelista illud apposuit: *Dixit autem Dominus.* Si Dominus est omnibus, & singulis prouidet subditis, omnes ac singulos curat edocere. Quilibet vestrum potest dicere, *Expecto Dominum meum.* Vnde singuli estis similes homini expectanti *Dominum suum.*

Christus Rex verus omnibus & singulis subditis prouidet, quia Deus singulorum.
Luc. 12.

59. Princeps cœlestis noluit ianuæ cardines recludere pulsantibus virginibus: *Domine, Domine, aperi nobis.* At ille, *Amen dico vobis, nescio vos.* Matth. 25. Cur Domino subditæ non agnoscuntur? Certè quia non proclamauerunt: *Domine mi, Domine mi.* Sicut Thomas aliquando auersus protulit, *Dominus meus, & Deus meus.* Ioan. 21. Anselmus ad Matthæum, *Appellationem ingeminant communis Dominationis repulsionis donare compulsæ*: Debuissent non omnium Dominum communem appellare, sed Dominum specialiter suum. Ideoque secularis Domini subditæ reputantur: *Nescio vos.* Adiicit pulchrè Doctor, *Ideo vos desero, quia subditas non recognosco.* Si enim meas vos subditas profiteremini, diceretis: Domine mi, Domine mi, scientes Deum Principem esse singulorum.

Virgines fatuæ à Domino cœlesti non admittuntur, quia non clamantes, Dominus meus, secularem Principẽ apud se ferunt iudicium.
Matth. 25.
Ioan. 21.
Anselm.

60. A domo absens paterna, à Regis præsentia filia aliquandiu apud domum secularis Principis habitarat. Redire à Dauide suadetur clamitante: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & concupiscet Rex speciem tuam.* Quonammodò adulterio infecta audebit ad Sponsi Regis venire conspectum? Addit, *Quoniam ipse est Dominus Deus tuus.* Psalm. 44. Pulchrè D. Chrysostomus premens particulam, *Deus tuus, Obliuiscere, inquit, populum tuum, non venis enim ad alienum quempiam, sed ad eum, qui te fecit,*

Ad domum Dei sui post multa crimina confidens reuertitur sponsa.
Psalm. 44.
Chrysost.
Secularis Princeps alienus non meus.

& deto est solicitus, tuique curam geris; ipse est enim Deus tuus. Preme illud: *Non venit ad alienum quemdam, sed ad eum.* An non posset venire ad Principem aliquem, qui suus esset, licet ad Deum non veniret? Mioime planè. Solus enim cœlestis Dominus ita omnium Princeps, & Deus est, vt sit Dominus specialissimè singulorum.

OBSERVAT. VII.

Ad illa verba:

Sedens super asinam.

Sedens super asinam, siue pauper incedit, dum triumphat, non equum iubet afferri.

Sumptuum enim ostentationes cum peculio sunt mensuranda.

61. CVt Dominus Ierosolymam ingressurus triumphator, non ex nubibus currum præparat, aut equum illum album adducit, super quem Ioannes, cum postmodum vidit equitare? *Ecce equus albus, & qui sedebat super eum habebat arcum, & exiuit vincens, vt vinceret.* Apoc.5. Se se Dominus temporum accommodat exigentiæ. Cum pauperem se obiicit, vt à cunctis ametur, super asinam equitat. Cum iam non patitur, sed Imperium à Patre accepit, equo vectus incedit. Ostentationes enim sumptuum cum peculio sunt mensurandæ.

Apoc.5.

62. Fatur ipse, *Filius hominis non habet vbi caput reclinet.* Matth.8. Num deceret pauperem adeò strictæ fortunæ laxioribus date operam sumptibus? Præmittit Matthæus, *Et accedens vnus Scriba: ait illi: Magister, sequar te, quocumque ieris. Et dicit ei IESVS, Vulpes foueas habent, & volucres cœlo nidos, Filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet.* Anselmus asserit accessisse Scribam illum superbia tumescentem, diuitias iactantem, quibus posset spiritum miracula patrandi, velut Simon, emere. Dominus autem tam diuitem seruum asseclam non admittit in summa paupertate constitutus. Ac si diceret, Nonne submurmurarent omnes, qui te sequentem me viderent, prædiuitem quidem inopia pressum.

Christus in summa paupertate constitutus non admisit diuitem asseclam
Matth.8.
Anselm.

63. Parabola Christus id expressit, *Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie splendide.* Luc.16. Describit Dominus damnati diuitis proprietates. Primùm verò subiaxat vestimentorum luxum: *Induebatur purpura.* An diuitis piaculum purpureo vti vestimento? Ita planè, diues est, sed Rex non est; si diuiti serica vestis, soli Regi purpurea præparatur. Acutè Caietanus, *Peccatum luxus immoderato vestitu exteriori significatur. Purpura enim Regum, non cuiuslibet diuitis est.*

Diues epulo taxatur, quod Regum vestimenta vsurpat.
Luc.16.
Caiet.

64. Quàm alius Rex Dauid, qui nec diuitis vulgaris voluit luxo vti! *Cum operiretur vestibus, non calefiebat.* 3.Reg.1. Si vestes non sufficiunt laneæ, animantium pelles adiiciantur. Abiit Caietanus, *Hinc apparet, quod non erat vsus operimentorum ex pellibus animalium, sed ex lino, vel ex lana in regione illa: & propterea non est mirum, si Dauid non sufficienter calefiebat.* Si Rex ex modestiæ affectu nè videretur singulariter commodis studere propriis, non vult ex pelliculis animantium sibi consui vestimenta: quam longe abstraheretur à sumptibus, qui vim peculij superarent?

Dauid Rex abstinebat à animantium vestium vsu ea de re
3.Reg.1.
Caiet.

Magi pergunt Dominum apud Bethleemum adoraturi Regem Iudæorum. *Vbi est* (clamant) *qui natus est Rex Iudæorum; vidimus enim Stellam eius in Oriente.* Matth.2. Cur Magi Sydetum inspectores non dixistis: Vidimus Solem, Lunam, Planetasque reliquos, mundi fabricam aspectauimus? Vnam eius Stellam vidistis, & non simul omnes contemplati estis? Profectò visio Regum cum peculio IESV computatur. Pauper apparuit iuxta illud Apostoli: *Cum esset diues, pauper factus est.* 2.Cor.8. An deceret inopem Stellarum diuitias ostentastare? Profectò pauper vnicam exposuit Stellam, vt nascentis apparatus cum peculij penuria computaretur. Chrysologus serm.156. *Et quid tamen est, quod videtur? Verè, sicut dixit Apostolus, cum esset diues, pauper factus est: cum esset in sua Deitate diues, nostra fit pauper in carne, & habere cœpit Stellam vnam, totam qui fecit, habet, & continet creaturam.* Post victoriam, post reditum ad diuitias paternas, Episcopis septem omnium Planetarum ornatùs ostenditur apparatu. *Hæc dicit, qui habet septem Stellas in manu sua.* Apoc.1. 65.

Christus dū pauper nascitur, Dominus Sydetum, se vnicam Stellam ostendit possidere.
Matth.2.
2.Cor.8.
Chrysol.
Apoc.1.

Ait Dominus Gedeoni, *Et ædificabis altare Domino Deo tuo in summitate petræ huius.* Iudic.6. Vbi Caietanus ex Hebræo legit, *Super verticem fortitudinis huius in ordinatione.* Addit autē, *Mādatur enim, vt ædificetur altare iuxta ordinationem legis Moysis, videlicet ex terra, seu lapidibus rudibus, & impolitis.* Quare, precor, lapides rudes & impoliti altaris fabricæ optantur. An vt Hebræos ad idola propensos quam longissimè ab idolorum sculpturis, Gentiumque ritu auocaret? An vt subito, & vbique sacrificandi, altarisque erigendi occasio esset? An vt Deus ostenderet veteris Testamenti sacrificia præ sacrificio legis nouæ rudia esse, & impolita? Haud inficior. Attamen aptius argumento respondeo, voluisse Deum sumptus sacrificandi temporis exigentiæ accommodare. Cum peregrinabatur Ecclesia, Christi exprimens paupertatem, penuriam ipso sacrificiorum exprimebat in ornatu. Erit quando Dauidis, ac Salomonis pietate Ecclesia ditescat Christi cœlestes diuitias repræsentans: tunc eam decebit cultus augusta magnitudo. 66.

Dum Ecclesia peregrinatur inops, inopis vtitur ornamentis.
Iudic.6.
Caiet.

Apud Thaboris verticem transfigurato Domino, *resplenduit facies eius sicut sol.* Matth.17. Curat Euangelista Christi pulchritudinem mirabilem exprimere, dum eam claritati Solis comparauit. Profectò Isaias asseruit beatos cunctos septempliciter solem claritate superaturos. Cur ergo Christus non vicit Solis claritatem? Respondet Paschasius, *Non absque magno documento sic ostenditur. Ideo lux claritatis eius sic modificata in eo tunc est.* Preme particulam, *Tunc.* Id est, cum passibili in carne obiiciebatur. Noluit vberiorem spargere *tunc* fulgorem, quam mortalis ille exigebat status. 67.

In transfiguratione Dominus se vt Solē ostendit fulgorē computans cum præsenti inopia statu.
Matth.17.
Paschas.

Magi nati Regis adoratores *inuenerunt puerum cum Maria Matre eius & procidentes adorauerunt eum:* Matth.2. An in præsepio Infans reclinabatur? 68.

Virgo Magis eo in amictu, qui vxorem

carpentary dicebat. Matth. 2. Chrysost. reclinabatur? *Et intrantes domum*, ait Matthæus. Vbi Doctores affirmant Virginem ad domum Iosephi, seu ad propinqui alicuius tectum se recepisse, vt Magos exciperet adoraturos. Quæsierim, num Mater IESV sese decentiori ornarit vestimento, ne ex vilitate indumenti Regina mundi à Gentilibus Principibus despiceretur? Absit hoc ab vxore tunc carpentarij. Videretur enim sibi se piaculo illigasse, si tunc, cum fabri lignarij vxor erat, nobiliorum fœminarum indumento vteretur. Chrysostomus, *Inuenerunt Matrem eius vix vnam tunicam habentem, non ad ornamentum corporis, sed ad tegumentum nuditatis proficientem, quam habere poterat vxor carpentary.* Hinc subtaxatim Hispanæ varietatis circa ornamenta prophanitatem. An ex indumentis agnoscitur nobilitas, munus, dignitas? Profectò indè datur agnoscenda stipendiaria vulgaritas, quod pretiosioribus ornatur indumentis.

OBSERVAT. VIII.

Ad illa verba:

Ecce Rex tuus venit tibi.

Commendat Euangelista Regis cœlestis gloriam, & subditorum exaltationis causam: dum aperit, subditis venire.

Ille enim commendabilis Princeps, Præsul, qui non sui, non vnius, sed subditorum omnium vtilitati studet.

69. *Magno Præsules, omnium subditorum spirituali saluti præcipuè studere.* Chrysost. CHrysostomus exultationis indictæ à Propheta causam exprimit venire Regem subditis, non sibi. *Venit tibi, vt saluet te. Exulta ergo filia Sion.* Quam pauci Præsules subdito veniunt! Rarus est, ô misere subdite, qui non sibi, sed tibi venisse ostendatur.

70. *Christus nascitur omnibus subditis.* Matth. 2. Luc. 2. Luc. 1. De Principe nostro Magi proclamant, *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum.* Matth. 2. Audisse videntur Angelum proclamantem: Quia *natus est vobis Saluator.* Luc. 2. Quam verè Rex, qui subditis, non sibi exoritur. Angelus Mariæ, *Ecce concipies in vtero, & paries filium.* Luc. 1. Dixerat Cœlicola Zachariæ, *Vxor tua Elizabeth pariet tibi filium.* Ibid. Cur non indicit Angelus & Mariæ, *Pariet tibi filium*; sed indefinitè, *Pariet filium*? Crediderim, quia Ioannes haud Princeps futurus oriebatur, idcoque parentibus addicitur oblectandis. At Christus Rex, non sibi, non parenti optimæ solum nascitur, sed filius omnibus subditis enititur,
Isa. 9. præclamante Isaia, *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, cuius Imperium,* &c. Cap. 9.
Chrysost. Chrysostomus ad Luc. *Non dixit, Pariet tibi, sed posuit illud indefinitum, & suspensum: Pariet filium. Non enim illi, sed vniuerso prorsus orbi peperit Christum.*

71. *Gaudium fuit totum, quia Dominus ... omnibus nascitur.* Angeli ad pastores elucido sententiam, *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; quia natus est hodie vobis Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid.* Luc. 2. An non innuitur Prophetæ vaticinium, *Exulta satis filia Sion, quia Rex tuus venit tibi?* *batur.* Exultationis quidem nouæ causa, Regem Luc. 2. sortiri subditos, qui eorum vtilitati exoriatur. D. Thomas, *Non solum Maria sibi, vel Ioseph pariet filium, sed toti mundo, iuxta illud: Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo,* &c. Thom.

Dominus Ieremiæ ex ore proclamat, *Numquid non cœlum, & terram ego impleo, dicit Dominus?* Cap. 23. Cur omnia implere se Deus asserit? Preme particulam, *Dicit Dominus.* Si Dominus est, si Princeps omnium, non debebat vni subditorum plagæ prouidere, sed omnibus: *Cœlum & terram ego impleo* cunctis subditis salutaris. Saluianus lib. 2. de Gubern. *Cur cuncta impleat, ipse declarat, Quia vobiscum sum, vt saluos faciam vos omnes. Ecce non modo regimen suum Dominus, & impletionem: sed etiam vim, ac beneficium ipsius adimpletionis ostendit. Hunc enim fructum in se habet Diuinitatis impletio, vt saluet ea, quæ adimplentur.* Sunt Reges mundiales, qui omnia impleant non quidem salute, non muneribus, non benedictione, sed pauore, luctu; quia omnia implent exactione, vt euacuent. Diuinus Rex omnia implet, vt saluet omnes subditos. 72. *Deus, Dominus, seu Princeps, sola implet omnes subditos.* Isa. 23. Saluian.

Michæas, *Ex te mihi orietur, qui sit Dominator in Israel.* Cap. 5. Vbi imperfecti Auctor ad illud Matth. *Qui regat populum meum Israel.* Cap. 2. idem ait esse, *Qui regat*, ac *Qui saluet omnes.* Quia videlicet nihil è nobis nisi omnium salutem requirit omnium Dominus diuitiarum. Chrysostomus hom. 1. ad cap. 1. ad Ephes. *Ex nobis Dominus nihil aliud cupit quam nostram omnium salutem, non ministerium, non gloriam,* &c. 73. *Idem est regere, ac de salute omnium subditorum curare.* Mich. 5. Imperf. Chrysost.

Do pulchram eiusdem Doctoris sententiam hom. de Pauli laud. *D. Paulus vestigia Christi secutus cum vinctus per tam vastum pelagus duceretur, ita gaudebat: tanquam in maximum duceretur Imperium. Etenim non paruum illi præmium Vrbis Romæ conuersio proponebatur.* Magnum Imperium Paulo obiicitur, ac simul proponitur Vrbis Romæ conuersio, præmium muneris. An sic mundi Imperatores? Profectò cum imperium datur, mox illi propria vtilitas præmium exponitur. Preme verba: *Vrbis Romæ conuersio.* Optimus Princeps non vni sed cunctis subditis salutaris existit. 74. *Idem est Imperium obtinere, ac soli omnium subditorum saluti, loco præmij muneris, studere.* Chrysost.

Quam appositè Dauid. *Dominus regnauit, decorem indutus est.* Psalm. 92. Vt se Regem vidit à Patre electum, mox satagit decorem induere. Quid, quæso, significat induere decorem? Respondet. D. Ambrosius lib. 1. de offic. cap 45. *In specie hominis assumpsit decorem redemptionis omnium hominum. Et ideo dixit Propheta, Dominus regnauit.* 75. *Dominus est. Ergo omnium incumbit saluti.* Psalm. 92. Ambros.

Extitere Principes illustrissimi Moyses, & Ioseph Domini imitatores. Deliquente populo, Moyses proclamat, *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Exod. 32. An non sufficit tibi, te salute donari? Minimè, quia electus sum Rex non mihi, sed omni populo. Vnde pereunte populo omni, me periisse existimo. Hieronymus epist. ad Gaudent. Verè Præsul *vult perire cum omnibus pereuntibus, nec propria salute contentus.* 76. *Moyses optimus Præsul non propria salute expetere, damnatis subditis.* Exod. 32. Hieron.

Quid Ioseph? Videns fratres suos in Ægyptiaca fame præcepit dispensatori domus suæ, dicens: *Introduc viros domum, & occide victimas,* 77. *Ioseph Prorex non vitur ...*

&

subditis exceptibus. Gen. 43. Philo.

& instrue conuiuium ; quoniam mecum sunt comesturi meridie. Gen 43. Dum audio, victimas occidendas, existimarem lautum instroctum esse conuiuium, nisi Philo explicasset. *Interim tibi non valde lauti apponuntur, quod conuiuatori Proregi non liberet, uti deliciis in subditorum publica penuria.* O Principem optimum, qui non sibi Prorex exsorrexit, non vni, aut alteri Ægyptio, non propinquis, sed omnium saluti subditorum!

SECTIO SECVNDA.

Ramorum Ornatus.

TEXTVS.

VERS. 8. PLurima autem turba, strauerunt vestimenta sua in via: alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via. 9. Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, dicebant, Hosanna filio Dauid; benedictus qui venit in nomine Domini.

COMMENTARIVS LITERALIS

§. I.

De cæsione ramorum, ac vestimentorum stramine.

1. *Vndenã illa ad Christũ excipiendũ apparatio?*

PLVRIMA *autem turba*, &c.] Confluxerat Ierosolymam, vt festum Paschatis ageret, magna Iudæorum multitudo. Hi cum audissent Christum ex Bethania venisse Ierosolymam versus: obuiam illi processerunt, diuinoque Spiritu excitante, summum triumphatori honorem habuerunt, viam, qua incedebat, cùm vestimentis suis, tùm frondibus sternentes. Lucas indicat, Apostolos primos vestimentis viam exornasse. *Duxerunt illum*, (pullum) *ad* IESVM, *& iactantes vestimenta sua supra pullum, imposuerunt* IESVM. *Eunte autem illo, substernebant vestimenta sua in via.* Attamen

Auctoris expositio Lucæ.

cum Euthymio sic Lucam exposuerim, *Turba, eunte* IESV, *vestimenta sua sternebant in via.* Beda, *Non autem Discipuli, sed & turba, quæ Dominum sequebantur, sternebant vestimenta sua in via.*

2. *Quorsũ ramũ cæduntur, & vestimẽta strantur.* Montan.

Strauerunt vestimenta in via, alij autem cædebant ramos de arboribus.] Quorsum rami cæduntur, & vestimenta strantur? Montanus in Mar. *Vestimenta sternere ceremonia erat illorum, qui Regem aliquem susciperent; ramorum stramen publicam lætitiam, & festum diem significabat more antiquo. Nam per dies expiationum, & Tabernaculorum festo singuli ramos myrti, salicis, palmæque, cum citro gestabant, saluis auctorem Deum voce Hosanna appellantes.*

3. *Ramorum vsus & in festo Tabernaculorũ, & ad triũphũ.* Leuit. 23. 2 Mach. 10. Psalm. 117.

Profectò Iudæi in Tabernaculorum festo ramos cædere solebant. *Sumetis vobis fructus arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, & lætabimini coram Domino.* Leuit. 23. Simon arcem ingressus est *cum ramis palmarum, & hymnis*, alio etiam tempore lætitiam exponens. 2 Mach. 10. Ad Templique purificationem Iudæi thyrsos, ramosque virides, ac palmas præferebant. *Constituite diem solemnem in condensis vsque ad cornu altaris.* Psalm. 117. Diem (ac si diceret) festum agite arborum condensis ramis, ac frondibus Templum exornantes vsque ad cornu altaris holocaustorum.

4. *De sternẽdi vestimenta.*

At de ceremonia vestimenta sternendi Regibus, nihil in Scriptura legi, præter illud: *Vnusquisque tollens pallium suum posuerunt sub pedibus eius in similitudinem tribunalis, & cecinerunt tuba, atque dixerunt: Viuat Iehu* 4 Reg. 9. Gentium fuisse morem sternendi vestes Plutarchus indicat in vita Cato. *Finito tempore Prouinciæ abeuntem lacrymis, & insatiabili amplexu milites prosequebantur, sternentes vestes per ea loca, quibus ipse pedibus iturus erat; quod genus honoris non nisi Imperatoribus, idque perpaucis eo tempore tribuebatur.*

via sternẽdi vestimenta. 4. Reg. 9. Plutarch.

5. *Auctoris mens circa ramos, ac vestimentorũ strationẽ.*

Sed frustra requiro Iudæorum ac Gentium specialem ramorum, aut vestimentorum vsum; cum videam quotidie domos tapetibus sternere, & Templa arborum frondibus exornare. Pro tapetibus ergo, quibus carebant, Iudæi, illi vestes strauerunt, ramosque adhibuere.

§. II.

De turbarum clamore.

6. *De voce Hosanna.*

TVrbæ autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant dicentes: Hosanna filio *David.*] Lib. 7. de voce *Hosanna* plura expressi, nonnulla addenda duxi. Hilarius redemptionem domus Dauid ait significare. Augustinus ad Ioan. 12. sic, *Vox obsecrantis est, Hosanna, sicut nonnulli dicunt, qui Hebræam linguam nouerunt, magis affectum indicans, quam rem aliquam significans: sicut sunt in lingua Latina interiectiones.* Apud Theophylactum quidam hymnum, aut Psalmum significare dicunt. Euthymius, *Hosanna filio David, id est, Hymnus filio Dauid.* Apud Hieronymum autem alij *gloriam*, alij *gratiam* interpretantur.

August. Theoph. Euthym. Hieron.

7. *Auctoris sententia.* Hieron.

Veram interpretationem loco indicato adhibui, *Hosanna*, id est, *Salua obsecro.* Sic Hieronymus, *Hosiach saluifica interpretatur, anna interiectio deprecantis est. Si ex ambobus his velis compositum verbum facere, dices, Hosianna, siue vt nos loquimur, Hosanna, media vocali litera elisa: Salua, obsecro.*

8. *An peterent sibi salutem à Iesu: an ipsi Domino ingredienti?* Hieron. & alij.

Num salutem sibi peterent, an ingredienti IESV deprecarentur? Sibi petiisse Hieronymus asserit, Beda, D. Thomas, Toletus, Lyranus, Abulensis, Hugo Card. Carthusianus, Anselmus, & alij. *Salua nunc nos Messia Rex noster.*

9. *A-Beru plasitum.* Hæreo Maldonato, Iansenio, Claudio, Genebrardo, Barradio, & aliis arbitrantibus, Hebræo Christo Regi salutem, & prosperitatem à Deo his verbis precari: *Hosanna filio Dauid*, hoc est saluum fac filium Dauid Regem, Messiamque nostrum. An non sic populi soliti Regibus imprecari? Sauli populus, *Viuat Rex.* 1. Reg. 10. *Dixit omnis populus, viuat Rex Salomon.* 3. Reg. 1. *1 Reg 10. 3. Reg 1.*

10. *Vadenã benedictus qui venit?* *Anselm.* *Benedictus qui venit in nomine Domini*]Græcè, ἐρχόμενος, id est, *veniens.* Exponit aptè Anselmus, *Et in benedictus, id est, a peccato immunis, qui prius in forma seruus, tandem appariturus es in gloria, veniens in nomine Domini nunc salua obsecro.* In nomine venit Patris iuxta illud: *Veni in nomine Patris mei.* Vt Hieronymus adnotat: Ergo Patris opera circà hominum salutem est operaturus.

11. *Marcus expolitur.* *Marc. 11.* Addit Marcus, *Benedictus qui venit in nomine Domini, benedictum quod venit Regnum Patris nostri Dauid.* Cap. 11. Ac si diceret, Benedictum sit Regnum quod venit, seu venienti Messiæ, filij, ac successoris Dauid, iuxta Angelicum illud: *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris sui.* Luc. 1. & illud: *Super solium Dauid, & super Regnum eius sedebit.* Isa. 9. Dicitur autem Christi Regnum Dauidis, quia Dauidis Regnum Regni Christi typus, & ipse Dauid Christi extitit vmbraculum. Veniebat ergo Regnum Dauid, non typicum quidem, sed verum, & typico illo designatum. *Luc 1. Isa 9.*

Quæsieris, an turba verba illa, quæ proferebat, intellexit? Intellexit hoc sensu: Salua obsecro filium Dauid Messiam nostrum Regem Israel. Benedictus à Deo sit, & ab hominibus qui à Deo missus venit, Salua obsecro illum Deus, qui in excelsis cœlis habitas. At si excellentiori illo sensu alio, quo ipse IESVS Dei Filius saluans homines exponitur: respondeo cum Abulensi, & aliis, non intellexisse: sed ab Spiritu sancto inspiratus illum protulisse Seruatoris elogium. 12. *An turba intellexerit verba illa, quæ proferebat*

IN
IESVM COLLOQVENTEM
PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS
CIRCA LITERAM,
EX RAMORVM ORNATV.

OBSERVAT. I.

Ad illa verba:

Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua, alij autem cadebant ramos de arboribus.

Qui vltrò ad passionis, ac Crucis ignominiam properabat, cur tanti triumphi gloriam ambit?

Profectò quia Crux tam gloriosa est, vt per gloriam ad ipsam sit pergendum. Si vel conatus ad labores beati, quid ipsi labores? O gloria crucis ineffabilis!

13. VIDIMVS & stramen vestimentorum, & ramorum scissionem gloriosum ostentare triumphum. Proh Deus immortalis! Cur triumphi gloriam ambit Dominus, mox probrosissimæ passionis, ac Crucis cõtumeliæ vltrò tradendus? Crediderim, vt ostendat, passionis, Crucis, laborum gloriam, siquidem illa ipsa ad Crucẽ via gloriosa debeat exponi. Si vel conatus ad labores beati, quid ipsum laborum experimentum? Tam gloriosa res est Christi Crux, vt per gloriam subeunda sit?

14. Scriba quidam dixit Saluatori, *Sequar te, quocumque ieris.* Matth. 8. Eo Ierosolymam moriturus, Cruci suffigendus in Vrbem propero. Ego te consequar ramorum excisione, vestimentorum stramine excipiẽdum è turba? *Sequar* certè *quocumque ieris.* Nihil enim non gloriosum contẽplor. Ad Crucis ignominiam properas? Ergo & ipsa ignominia Crucis, & via, per quam ad ipsam pergis, gloriosa est. Nihil itaque subest menti, quod me possit à tua absterrere sequela. Pulchrè Chrysol. serm. 19. *Sequor te, quocumque ieris. Quasi posset cum Christo subire conflictum, ignominiam crucis subire per gloriam.* *Scriba ille per gloriam pergere curabat ad Crucẽ, quia gloriosus vel ipse ad illã assequendã conatus.* *Matth 8.* *Chrysol.*

Transfigurato Domino, *resplenduit facies eius sicut Sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.* Matth. 17. Tunc Moyses & Elias apparuere, queis cum Dominus de passione ac Cruce loquebatur. *Loquebantur excessum.* Cur autem Dominus cum glorioso fulgore ornatus obiicitur, cum indumentis fulgentibus vestitus apparet, de ignominia Crucis loquitur? Si autem oportebat loqui de excessu, quem completurus erat Ierusolymis, quare præmittit fulgoris apparatum? Certè quia tam gloriosa Crux, vt vel ipse ad illam tractatus præcedens debeat esse gloriosus. Chrysostomus hom. 57. in Matth. quæritat, cur Dominus gloriæ decus voluerit in transfiguratione anticipare? & respondet, *Vt Crucis gloriam ostendat, & tam Petrum, quam reliquos, qui passionem formidabant, ad sublimius erigeret. Non enim tacebant, inquit, sed loquebantur de gloria* (sic Lucas *loquebantur excessum*) *Quam completurus erat in Ierusalem; de Cruce videlicet, & passione.* Tanta gloria crucis, vt ad tractationem de opprobriis passionis Dominum deceret gloriosus apparatus. 15. *Fulgoris amictu praparat se Christus ad passionis, ac Crucis tractationem.* *Matth. 17.* *Chrysost.*

Dominus

16. *Vita æterna gloriâ Iesus cômemorat, vt posit agere de passione, ac cruce.* Matth. 25. Matth. 26.

Dominus in fioe Capitis 25. Matthæi vitæ æternæ glotiam cômemorat, fatus, *Ibunt iusti in vitam æternam.* Mox autem initio cap. 26. de passione ac Cruce disserit. *Scitis, quia post biduum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur, vt crucifigatur.* Quare postquam de beatitudinis gloria agit, mox de passione, & cruce texit sermonem? Liceat obsecro vulgariter expendere causam. *Dioso vn tinte de gloria, parattatar de su passion.* Tanta enim gloria Crucis, vt tractationis beatitudinis induatur amictu, ramorum, straminisque vestium gerenti locum, vt decentius gerat de passione gloriosa tractatum. Hilarius bellè, *Post sermonem, quo venturum se Dominus in reditu claritatis ostenderat, nunc passurum se esse admonet; vt Sacramentum Crucis admixtum esse gloria æternitatis agnoscerent.* (Hilar.)

17. *Homo à natalitio obiicitur cruciformis, vt incedat glorioso apparatu gloriâ Crucis assequatur.* Anast. Sanai. Matth. 16. Tertul.

Nascitur homo signum Crucis vel ipsa gerens corporis formatione. Anastasius Synai. lib. exam. *Etiam homo ad formam Crucis figuratam habet imaginem, vt qui sit ad imaginem Christi crucifixi.* Cur homo tam glorioso Crucis signaculo ornatus exponitur? Quia se se ad Crucis onus portandum præparat. An non cuiuis Christicolæ indictum, *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me?* Matth. 16. Vbi Tertullianus lib. de Idolol. cap. 12. *Si vis Christus Discipulus esse, Crucem tuam tollas, & Dominum sequaris necesse est, id est, angustias, & cruciatus tuos, & corpus, quod in modum Christi suffixi est.* En homini indicitur asportatio duplicis Crucis, & passionis IESV per laborum sustinentiam, & proprij corporis in formam Crucis exædificari. Porrò ex natalitio homo hanc Crucem gloriosè portat, vt ad Illius gloriam præparetur. Decet enim gloriosus apparatus, ei qui crucis gloria est potiturus. En rami, en vestimentorum ornatus.

18. *Vt posset Moyses de victoria crucis tractatum texere decet habitu, se gloria ornat amictu.* Exod. 17. Tertull.

Contra Amalech IESVS Naue dimicabat, Moyses autem in monte extensis exorabat manibus. *Cumque leuaret Moyses manus, vincebat Israel.* Exod. 17. Quare Moyses extensis manibus exorabat? Tertullianus lib. adu. Iudæ. cap. 9. *Quia illic, vbi nomen IESV dicebatur, dimicaturi quoque aduersus diabolum, Crucis habitus erat necessarius, per quem IESVS victoriam esset relaturus.* Ad victoriam Crucis gloriosissimè referendam Moyses se se ostendit gloriose cruciferum. Quia scilicet tanta Crucis victricis gloria, vt ad eius tractatum gerendum deceat Moysem Crucis gloriosus apparatus. Quis non expetat Crucis gloria potiri, si vel iter ad ipsam tantæ gloriæ ornetur apparatu?

OBSERVAT. II.

Ad illa verba:

Osanna filio David, benedictus qui venit.

Dum Christus se se vilem homuncionem ostentat sedens super asinam, à turbis mirificè laudatur.

Illa egregia laus, quæ ex alieno ore procedit: propria laudatio, vituperium.

19. *Laus in ore proprio, licet vera sit, mendacium deputatur.* Origen.

DVm Christus super asinam sedens, indignum se laude esse profitetur, *turba laudant humanam Christi* (cum Origene loquor) *dispensationem, dicentes Hosanna filio David.* Indignus plane laudibus efferendi ostenditur, qui ore proprio curat suas proferre laudes. At qui laudum abstinet propriarum tractatione ab aliis collaudatur.

20. *Vilium est, laudes proprio ore decantare.* Iudic. 5.

Vilium proculdubio est, eorumque quibus laus minimè debetur, laudes proprio ore proferre. Cecinit Delbora, *De Machir Principes descenderunt, & de Zabulon, qui exercitum ducerent, ad bellandum.* Iudic. 5. Vbi Caietanus putat non solum Tribus, quæ prælio affuerunt, sed etiam eas, quæ non affuerunt, hic à Delbora commendari. Quare precor? Existimarim, ne alios viles facere videretur cum se ipsam plus laudauerit. Sed aptius adhuc argumento, ne dum Principum qui non adfuerunt prælio, vilitatem ostentat, se se proprio ore ore commendare videretur. Quasi timeret Delbora fore, vt dum proprio ex ore laus audiretur sua, vilis omnibus ostendi esset necessarium. Vilis enim omnino ostenditur ille, qui propriis laudibus decantandis studet. Audi Hieronymum. *Vilium satis hominum est, suam laudem quærere.* Id est proprio se ore commendare.

21. *Omnino alienus sit, qui te laudet.* Prou. 26.

Quare Sapiens, *Laudet te alienus, & non os tuum, extraneus, & non labia tua.* Prou. 26. Cur non dixit, *Laudet te os alienum, & non os tuum:* Sed *laudet te alienus, extraneus?* Profectò, quia tam aliena debet esse laus, à proprio ore, vt ad id, quod possit gloriosa laus exponi, oportet vt non solum os sit alienum, & labia: verum vt ipse laudator totus sit alienus, & extraneus à viro laudato.

22. *Mendax reputatur, qui se laudat.* Petrar. Iob. 13.

Cur autem Sapiens curat à propriis laudibus adeò homines abstinere? Respondet Franciscus Petrarcha, *Qui se commendabilem ore proprio ostendere non verecundatur, grauiori afficitur verecundia; quia se mendacem omninò proclamat.* Te laudas; Mendax obiiceris; quia laus in ore proprio aliud, quam sonat æstimatur. Pulchrum do Iobi testimonium. *Audite sermonem meum, & ænygmata percipite auribus vestris.* Cap. 13. Quænam ænygmata? *Si fuero,* inquit, *indicatus, scio, quod iustus inueniar.* Quid iustitiæ Iobi cum ænigmate? Ad solutionem præmitto ænygmatis essentiam, Ænygma planè nil minus significat, quam quod significare videtur: aliud enim cortice, aliud medula ostendit. Dum se igitur laudat proprio ore Iobus, ænygmata proferre videtur; quia si fidei præscripta non attenderemus, videretur Iobus sanctissimus inter peccatores computandus. Nam cum quis se ipsum commendat, videtur dignus vituperatione. *Non enim iustus est, qui se ipsum commendat.* Profatur Apostolus. D. Thomas, *Ænygmata percipite auribus vestris. Aenygma dicitur sermo obscurus, qui aliud prætendit in superficie, & aliud interius significat. Vnde subdit, si fuero indicatus, scio, quod iustus inueniar.* Si ænygmata aliud in superficie, & aliud interius significant, curans Iob apparere iustus, cur non se (Thom.)

ostendit peccatorem? Profectò qoia potius Iobus expectebat ex humilitatis affectu apparere peccatur. Ideo se laudat ore proprio, vt omnibus dignus vituperio exponator: se iustum dicit, vt, ex lege ænigmatis, peccator appareat.

23. Vera,ais,de me ipso profero. Et si vera proferas, dum proprio proferuntur ex ore, meodacia teputtantur. Ao non Christus vera de se proferebat? Quis dubitet? Attamen hostes reclamabant, *Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum nihil est*, mendacium prorsus ostentatur. Vel ipse Dominus profitetur, *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum*. Ioan. 5. Quonammodò non verum, si à veritate profertur? D. Thomas, *Quomodo testimonium eius non est verum, si veritas est? Vel cui creditur, si veritati non creditur?* Existimo particulam: *Non est verum* hominum innuere opinionem. Ac si diceret: Dum audiant homines me proprio ore mea opera commẽdare. proculdubio me mentiri existimabunt; quia qui se laudat, mendax ab audientibus iudicatur. Chrysostomus hom. 39. in Ioan. *Nemo, qui de se ipso testimonium perhibet, habet apud homines authoritatem.*

Licet vera sit laus, mendax habetur, dum ore proprio exponit. Ioan. 5. Thom. Chrysost.

24. Paulus pulchrè, de eis, qui se se commendant, profatur, *Dicentes, se esse sapientes, stulti facti sunt*. Rom. 1. Ergo si facti sunt stulti, ante laudationem propriam sapientes eraot. Certè sapientia vera præditus cum sit homo, si proprio se ore commendat, eo ipso fieri videtur insipiens; quia laus in ore proprio mendacium ab omnibus reputatur. Chrysostomus hom. 5. in Matth. *Si te laudandum esse dixeris, reprobus effectus es, etiam si fueris antè laudabilis. Si autem inutilem te esse fatearis, factus es vtilis, etiam si fueris antea culpabilis.*

Vel sapiens reputatur insipiens dũ ore proprio se commendat. Rom. 1. Chrysost.

25. Oseas egregiè, *Arabit Iudas, confringet sibi sulcos Iacob. Seminate vobis in veritate, & metite in ore misericordiæ*. Cap. 10. Quidam grauis Interpres, Seminate, & metite vobis iustitiam in ore misericordiæ. Quid in ore misericordiæ seminare, & metere? Certè non proprio ex ore proferre sanctitatem, sed ore alieno, scilicet operum misericordiæ acclamatione. Laudent te ipsa opera tua, non labia, vt *in veritate* laudum tuarũm messem proferre videaris. Nam si laudes proprium os proferat, meodax omnino deputaberis, licet vera describas fortitudinis, aut sapientiæ monumenta.

Mendax habetur, qui messem laudum ore proprio exponit. Ose 10.

OBSERVAT. III.

Benedictus qui venit in nomine Domini.

Dum Rex noster pacificus ingreditur vrbem, à cunctis benedicitur.

Ille etenim Princeps dignus, plausu, qui subditos scit concordia, ac pacis vinculo colligare.

26. AVdiens D. Hieron. turbarum præcedentiũ ac coosequeorium hymnum: *Hosanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in excelsis*, pooderat, quã iustè plausu excipiatur à subditis, qui eos pacis vioculo colligare satagit *Ostenditur aduentus Regis Christi totius mundi salus esse: terrena enim iungit cælestibus.*

Hieron.

Profectò commendabilis omnino exponitur Princeps pacis assertor. Frondes cædantur, sternantor vestimenta, hymnus resonet, gestiant subditi, sacra iubilet Ierosolyma, Regis pacifici ad ingressum. De Priocipe Othooiele sacra fatur Historia, *Et iudicauit Israel, quieuitque terra quadraginta annis, & mortuus est Othoniel*. Iudic. 3. Mortuus quidem est, sed subditorum memoria æternùm viuit. Pacẽ ille viuus coluit, pacem moriens velut optimam subditis reliquit hæreditatem. Theodoricus Rex apud Cassiod. lib. 1. Var. cap. 23. *Ad laudem regnantis trahitur, si ab omnibus pax ametur. Quid enim est, quod nobis melius prædicet, quam quietus populus, concors senatus, totaque Respublica morum nostrorum honestate vestita.* 27.

Regnantis eximia laus pacificasse Regnum. Iudic. 3. Cassiod.

Prædicat Isaias Messiæ aduentum, ingressumque in orbem describit, hymnisque curat eius gloriam decantare. *Paruulus donatus est nobis, & filius datus est nobis, cuius Imperium super humerum eius. Et vocabitur nomen eius, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis*. Cap. 9. Gloriam Regis Messiæ laudibus effert, & velut per gradus quosdam ascendere panegyris exponitur. *Admirabilis* Princeps ille, ad subditorum commoda innumerabilia excitabit miracula. *Consiliarius* virginitatis consilium subditos edocebit. *Deus*, & *Fortis* suam omnipotentiam exercens hostes tartareos comminuet. *Pater futuri seculi* filios æternitati generabit. Quid plura? Tantus Rex, vt vere possit appellari. *Princeps pacis*, dum filiis pacis hæreditatem relinquit: *Pacem relinquo vobis*. Ioan. 14. Profectò pacem relinquens, se ipsum reliquisse videtur; quia Christus pax est. Hieronymus ad Psalm. 119. *Christus Dominus noster pax est, vadens ad cælum nobis vexillum demisit, dicens, Pacem meam do vobis.* Ergo nomen illud: *Princeps pacis* IESV pulchrius gloriam repræsentat quodammodò quam nomina, *Admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri seculi.* 28.

Messiæ angustius nomen ostenditur appellatione Principis pacis, quã Admirabilis, Consiliarij, Dei, Fortis, Patris. Isa 9. Hieron.

An putas posse inueniri nomen tam agnatum Deitati, quam *Princeps* pacis? Audi Nazianzenum Orat. de pace. *Diuinitas & secum ipsa, & cum secundis rebus adeò concors, & pacata est: vt cum aliis, imò & præ aliis nominibus, quibus appellari gaudet, huius quoque prærogatiua nomine vocetur: Princeps pacis. Pax & charitas Princeps noster appellatur, nos videlicet admonens, vt has virtutes sedulò amplectamur, perindè ac Deum simul habituri.* 29.

An potest nomen tam agnatũ Deitati inueniri, quã Princeps pacis? Nazianz.

Cecinit Vates, *Venite, & videte opera Domini quæ posuit prodigia super terram*. Psalm. 45. Videte illius Domini, qui missus est à Patre Rex hominum, prodigiosam Regni administrationem. Quidnam gessit? An Templum construxit? An subditos muneribus auxit? An leges scripsit? An muros ædificauit? An pauperes confouit? Addit, *Auferens bella vsque ad fines terræ.* En gubernationis prodigia. D. Hieronymus, *Omnia bella in aduentu Domini quieuisse, multorum narrant historia.* Vt Regi nati gloria exundans miraculis exponatur, qui sola præsentia potuit Regnum pace doosre. 30.

Prodigia Rex ille exponit, qui pacẽ cõseruat. Psalm. 45. Hieron.

Rex Salem commendabilis admodum, amabilis cunctis ooo tantum ex panis & vini exhibitione, 31.

Christi vmbra Rex Sa-

bitione,

hem, quia pacificus nomine, & re. Psal. 75.

bitione, quam ex Regis pacifici nomine. Salem enim idem, ac pax. Ideo meruit Regis Messiæ gerere simulacrum. Vnde Dauid, *Factus est in pace locus eius.* Psal. 75. Hebraicè; *Factum est in Salem vmbraculum eius. Non est vmbraculum Domini, nisi vbi pax est.* Noluit Dominus typum, aut vmbtaculum eius gerere, nisi qui pacem & nomine & gestis signaret.

Gloria Regum, obire Regno pacato. Isai 11. Cyrill.

32. Hæc gloria Principum, Regnum pacificum conseruare. Quam gloriosè Rex requiescit, si Regnum pacificum relinquit! *Et erit sepulchrum eius gloriosum.* Isai. 11. Alij, *Et erit requies eius gloria.* Cyrillus Ierosolym. Cath. 14. *Erit in pace sepultura eius; pacificans enim cælum, & terram, peccatores adauxit Deo.* Ediscant Reges, bonum pacis, vnde tanta gloria fulgurat, deberi viribus, curis, ac diuitiis acquiri.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Osanna Filio Dauid, benedictus, qui venit in nomine Domini.

Non imprecantur turbæ sibi fœlicitatem, sed ipsi Regi Messiæ iusto.

Quare non & sibi? Verum quia iustus ac sanctus vir murus est Vrbis, Respublica felicitas.

Saa.

33. ASserit Saa ciues, Ierosolymitas non sibi à Messia salutem expetiisse, profantes: Salua nos obsecramus fili Dauid: sed à Deo efflagitasse, vt ipsum sanctissimum Messiam salute donaret. Hosanna Filio Dauid, id est, salua obsecro Filium Dauid. Precantur ipsi Messiæ omnem à Deo fælicitatem, vt solent, *qui dicunt, viuat Rex.* Didicit à Symmacho. *Obsecro Domine, saluum fac illum.* Cur igitur non potius sibi, Vrbi, Regno fælicitatem imprecantur? Quia si iustus ac sanctus Messias viuit, & prosperatur. Ciuitatis commoda stabiliuntur; iustus enim Vrbium murus, turris, gloria, præsidium est.

Iustus ciuis quasi ipsa ciuitas est, fælix quidem. Gal. 1. Chrysost.

34. Quid mirum, Ierosolymam stabiliri ciue Christo, si stabiliebatur ciue Petro? Profectò Vrbis fælicitas sic pendet à iusto ciue illustri, vt possit ipse iustus Vrbs appellari. Viuit, ac prosperatur iustus: Vrbs ipsa viuit, & prosperatur. Paulus ait, *Post annos tres veni Ierosolymam, videre Petrum.* Gal. 1. Vbi pulchrè Chrysostomus, *Non dixit, vt cernerem Petrum, sed vt viderem, quomodo loqui solent, qui magnas, ac splendidas Vrbes inuisunt.* An cernens Petrum, videbis splendidam Vrbem? Videbo. Quamnam precor? Certè Ierosolymam, florentissimam. Adest iustus? Idem est planè, ac Vrbem florentissimam ostentari.

Sponsa sancta vocatur sancta Ierusalem. Cant. 6.

35. Sponsus fatur, *Pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Ierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Cant. 6. Amicam appellat animam sponsus, & mox eius pulchritudinem Ierosolymæ comparat. Quid sponsæ sanctæ cum Ierosolyma? Certè anima ciuis Ierosolymæ velut Ierosolyma est. Est ne sponsa Maria? Ipsa est Ierosolymæ & ciuis, & ipsa Ierosolyma. Vnde si Maria prosperatur, consequenter ciuitas ipsa prosperetur, necesse est.

36. Et vidi (ait Ioannes) *Ciuitatem sanctam Ierusalem descendentem de cælo à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* Apoc 20. Quænam illa ciuitas? Ipsa planè sponsa sancta ciuitas Ierosolyma appellatur. Quare, precor? Quia si Ciuitatis habitatrix sancta sponsa, sancta tota ciuitas ostentatur adeò, vt vrbana ipsa sponsa ciuitas appelletur, & ciuitas nominetur sponsa.

Descendit Ierosolyma, dum descendit sancta anima, ornata planè. Apoc. 20.

37. Illacrymatur Ieremias, *Quomodo sedet sola ciuitas plena populo?* Thr. 1. Si ciuitas populo plena, quomodo sola ciuitas, siue non ciuitas? Periit planè, corruit omninò, haud super lapidem lapis relictus est. Vndenam tantæ ruina ciuitatis Ierosolymæ? Certè quia iustus Iosias extinctus erat, vti noster Gaspar Sanchez adnotauit. Collіgo autem ex testimonio illo: *Sepultus est* Iosias *in mausoleo patrum suorum, & vniuersus Iuda, & Ierusalem luxerunt eum, Ieremias maximè.* 2. Par. 35.

Mortuo iusto, quasi in nihilum redigitur ciuitas. Thr 1. Sanch. 2 Par 35.

38. Dixit ad Debboram Barac, *Si venis mecum, vadam: si nolueris venire mecum, non pergam.* Iudic. 4 Cur Rex se munitum satis putabat, dum vnam sanctam Debboram comitem habebat? Porrò quia Vrbis, Regni robur, & stabilimentum vnius iusti societas. Id pulchrè ostendit Ambrosius lib. 1. de Iacob, cap. 7. *Nihil aliud quærit perfectus, nisi solum, & præclarum bonum. Vnde dixit Dauid, Vnam petij à Domino, hanc requiram.* *Psal. 26. Neque verò eum tanquam angustam, inopemque fastidias, quia vnius hominis velut salutari societate contentus sit. Huius enim amicitia circundatus, plurimus erit.* Circundat vnus iustus omnem vndique ciuitatem, ad depellendos hostium incursus. Ediscant ciues, quanto honore debeant prosequi conciues iustos, è quibus tota vrbis protectio, tota gloria Reipublicæ.

Vno iusto cingitur, & protegitur Vrbs, Regnum. Iudic. 4. Ambros. Psal 26.

Observat. V.

Ad illa verba:

Benedictus, qui venit in nomine Domini.

Principem suum Domini Vicarium Iudæi Christum agnoscunt, & acclamant, dum eum aspiciunt ascensorem asini, seu humilitatis assertorem.

Humilibus enim agnatum Imperium, plausumque excitat subditorum humilitas.

39. FAtur Anselmus, *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Venit Rex Messias in nomine Domini. Vnde & ipse ait. Veni in nomine Patris mei. Vndenam cognouistis Christum in Domini nomine Dominum aduentasse? Quia Propheta præmiserat humilitatem futurum cœlestis Principis documentum. *Ecce Rex tuus venit tibi sedens super asinam.* Tota Ciuitas obuiam procedit ingressuro, rami cæduntur, sternuntur

Anselm.

Ant. de Escob. & Mend. Tom. III.

indumenta, hymnus resonat, plausus excitatur. Nihil enim sic subditos afficit ac Præsulis humilitas, ex qua munere dignus ostenditur.

40. *Subditi liberantur, hoste perdito, dum Præsulem humilem sortiuntur.* Iudic. 6.

Cum Gedeon Hebræorum assignatur in Principem, fatur Angelo nunciatori: *In quo liberabo Israel? Ecce familia mea infima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei.* Iudic. 6. Dicitur ab Angelo omnium fortissimus, & minimum se omnium profitetur. In quo ergo Israëlem liberabit? in quo peccatores subditos ad meliorem frugem adducet? in quo hostibus incutiet terrorem? Humilem se exhibet, liberabitur procul dubio Israël; quia subditi illi submittuntur facilius Principi, qui affectu humilitatis se omnium minimum, subditisque submittendum recognoscit. Laurentius Iustin. lib. de ligno vitæ, cap. 2. *Quid de Gedeone dicendum, qui Dux populi sui constitutus est ob humilitatem.* Duxit ille subditos, ad rectam viam adduxit; quia videntes Præsulis humilitatem, facilius iugo, ac fræno paruere.

Laurent. Iustin.

41. *Christus præcepta sua maxima humilitatis ornat amictu, vt alacrius à subditis recipiantur.* Matth. 5.

Aspicis innumerabiles IESV asseclas leui flamine, veluti fræno, hûc illuc actos, obedientiæ virtute præstantissimos. Vndenam tam facile suo Præsuli submittuntur? Certè quia eius contemplantur humilitatem ipsis in præceptis fulgurantem. *Qui soluerit*, inquit, *vnum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in Regno cælorum.* Matth. 5. Quænam minima præcepta: *Non occides, non falsum testimonium dices*, &c. Hæc prorsus magna sunt præcepta. Cur ergo minima appellauit: Crediderim, vt ea efficiat plausu à subditis excipi: Videt Dominus se maxima subditorum acclamatione exceptum fuisse, cum insidens asinæ ascendit Ierosolymam? Humilis ergo ipse suis præceptis regnantibus humilitatem addicit, vt à subditis facilius alacriusque accipiantur. Ex Chrysostomo didici hom. 16. in Matth. *Sicut seipsum humiliat, & mediocria de se loquitur, ita nunc etiam de præceptis suis; per hæc docens vbique seruare.* Vt enim à subditis recipiantur cum plausu, acclamationeque præcepta maxima, ac difficilia, apposité minimorum exponunt speciem.

Chrysost.

42. *Præsul ex humilitate minimus, mille subditos sustinebit.* Isai 60. Procop.

Isaias ad hæc, *Minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortissimam.* Cap. 60. Vbi Procopius assignari inquit Paulum, qui de se aliquando profitetur esse *Sanctorum minimum.* Quomodo ergo Paulus minimus fuit in mille: Qualis Paulus, qui sibi omnium Sanctorum minimo (vt scribit ad Ephes. 3.) *concessam hanc esse gratiam scribit, vt genti maximæ à Domino præesset.* Cur gens maxima subditi Pauli minimi appellantur: Certè quia dum subditi Præsulem humilitatem contemplantur, sic afficiuntur ad profectum, vt maximi breui temporis interstitio exponantur.

43. *Tam ingens ordo D. Francisci fuerit humili Præsule.*

Christianæ Religionis miraculum ineffabile exponam, ordinem D. Francisci. Quid tam magnum? quid tam augustum? Vides innumerabiles virorum exercitus in morem nauis magnæ paruo gubernaculo agi. Vndenam subditi tanta splendescunt sanctitudine? Crediderim, ex Præsulis mira humilitate, quæ quidem ipsos veluti cogit ad obsequium. Adamus pulchrè ad illud: *Minimus erit in mille. Minor* Franciscus erit in mille? Imò *minimus Franciscus fuit in mille, id est, multos propagauit sui similes in Religione Christiana.*

Adam.

44. *Dauid tot subditos obtinuit, quia fit Rex, quasi humilis ouium pastor.* 1. Reg. 18. Chrysost.

An Rex aliquis assurrexit Dauide illustrior, subditisque acceptior, ac gratior? Minimè. Vndenam, precor, Regis Dauidis in subditos auctoritas? Porrò ex humilitate mira. Num non profitebatur, *Quæ est vita mea, aut cognatio patris mei in Israel, vt fiam gener Regis?* 1. Reg. 18. Ad quæ Chrysostomus de Verb. Dauid. *Nouerat se pastorem ouium, non genere nobilitatum. Sed quando factus est nobilis, agnouit se ex nihilo fuisse subleuatum: & quia non est oblitus quis natus erat, perseuerauit in culmine Regali.* Superbum Saülem rebelles subditi à Regno exturbarunt, Dauidem humilem retinuerunt. Quia Præsulis humilitas plausum excitat subditorum.

45. *Ioseph alienigena ab Ægyptiis plausu exceptus, ob humilitatẽ.*

Quid memorem Iosephum Hebræum Proregem Ægyptiorum constitutum? Mirum planè alienigenam curru vectum plaudente populo, Patriæque patrem appellatum. Quanam, quæso, potentia Iosephus tantum populum potuit continere, imò ad se allicere, & veluti filios confouere? Existimo, ex humilitatis vi. Rupertus enim lib. 8. in Gen. cap. 40. Iosephi sic commendat humilitatem: *Sicut in carcere, sic & in curru Pharaonis, tam humiliter seruiuit, quam fideliter. Illud semper attendens, quia seruus impertitus est; non illud, quia per prudentiam pater Pharaonis effectus est.*

Rupert.

46. *Petrũ surat Dominus retinere humilitatem, vt tanto gregi submisso præponatur.* Ioan. 21. Tolet.

Dominus quidem toti Ecclesiæ Petrum præfecturus, fatur: *Simon Ioannis, diligis me?* Ioan. 21. Cur non ait, *Simon Petre?* Respondet Toletus, *Non Petrum appellat, quod nomen dignitatis, & officij erat. Volens eum in hoc monere, vt licet in tantam sit dignitatem promotus totius Ecclesiæ caput, & Princeps, constitutus, præ oculis habeat, se piscatorem fuisse, & hominem communem.* Cur Princeps debet se hominem communem, ac piscatorem inopem recognoscere? Quia piscator hominum factus humilitate eos capturus est. Et quando subditi non sese in hamum alacriter emittunt, dum piscatoris humilitatem contemplantur?

LIBER NONVS.

COLLOQVIVM IESV CVM DISCIPVLIS POST RESVRRECTIONEM.

PARAPHRASIS, ET COMMENTARIVS literalis ad caput vigesimum Ioannis.

Panegyrici Morales circa literam in Iesum colloquentem.

PROLVSIO.

DVM Discipuli de Dominica Resurrectione tractant Marci domi commorantes, in medio eorum absente Thoma, per ianuas clausas Dominus assistens videndum se, ac palpandum omnibus præbet: fidemque edendo cum ipsis, confirmat: incredulitatem exprobrat; ac deinde post Scripturarum explanationem potestatem remittendi retinendíque peccata eis tradit. Thomas verò ad condiscipulos reuersus eorum de hac re testificationi non acquiescit. Vndenam Thomæ dubitatio? Absens erat à domo, vbi Maria cum Discipulis commoratur. Audi Richardum Laur. lib.10. *Totum Catholicum Ecclesiæ ædificium per preces Mariæ, patrocinia, & exempla sustentatur in gratia & virtute. Quod maximè apparet in tempore Dominicæ sepulturæ, & Resurrectionis, quando fidei ipsius tota innixa est Ecclesia. Solus Thomas dicit Ioan.20. Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, non credam; & alij desperantes dixerunt Luc.24. Et nos sperabamus.* Quare his Deiparentis fides fulcrum non addixit? Thomas absens aderat, Duo Discipuli in Emaüs proficiscebantur. Persisterent illi cum Maria, quam citò à prima titubatione immunes redditi Dominicæ Resurrectionis fidei subiicerentur!

Dominici vitalis ligni FRVCTVS NONVS.

Richard. Laurent.

Luc.24.

IOANNIS CAP. XX.	PARAPHRASIS.
VERS. 19. CVM ergo serò esset die illa vna Sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant Discipuli congregati propter metum Iudæorum: venit IESVS, & stetit in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis.	19. EODEM *die qui primus erat Sabbati, quod Paschale Sabbatum sequebatur: cum iam esset vespera, adessentque Discipuli clanculum congregati, qui ob metum Iudæorum non audebant exponi: ingressus est Iesus, foribus clausis, & assistens in omnium conspectu medius, quo pauorem illis omnem adimeret, eos blandè notaque voce salutauit, dicens: Pax vobis:*
20. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & latus. Gauisi sunt ergo Discipuli, viso Domino.	20. *Et ne spectrum esse suspicarentur, aut aliud corpus, ostendit eis in manibus clauorum vestigia, & militaris lanceæ cicatricem in latere. Hac salutatione, atque hoc spectaculo confirmata fides est, & ademptus mœror, & animi Discipulorum exhilarati.*
21. Dixit ergo eis iterum IESVS: Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.	21. *At vt eos magis confirmaret, denuo pacis eos omine salutat, fatus, Pax vobis. Simulque mandat cum auctoritate summa eorum, quæ viderant, prædicationem. Sicut, inquit, misit me Pater, & ego mitto vos.*
22. Hoc cum dixisset, insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum.	22. *Interim & ipse vobis pro captu vestro Spiritum sanctum impartio. Simulque cum dicto insufflauit in faciem illorum, impartitus Spiritum.*
23. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta sunt.	23. *Addidit remittendi peccata cunctis hominibus auctoritatem, qui per Euangelicam professionem, ac Baptismum sibi ingererentur, perque vitæ prioris pœnitudinem verè resipiscerent. Quorum, inquit, remiseritis,* &c.
A Versu 24. vsque ad 29. Tom. 4. de sanctis exposui.	
30. Multa quidem & alia signa fecit IESVS in conspectu Discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc.	30. *Multis quidem aliis indiciis Dominus Iesus diuinam virtutem suam apud suos Discipulos declarauit, quæ non sunt hoc libro descripta. Sed quædam ab aliis referuntur Euangelistis, quædam viua voce narrata sunt ab his, qui viderunt, & audierunt.*
31. Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quia IESVS est Christus, Filius Dei; & vt credentes, vitam habeatis in nomine eius.	31. *Non enim cura fuit, omnia describere, quod erat immensum: sed tamen aliqua literis prodere visum est operæpretium, vt ex his credatis Iesum fuisse Filium Dei. Quod si feceritis, illa vobis beatitudo continget, quam Dominus Iesus promisit iis, qui cum non vidissent, credidissent.*

SECTIO

SECTIO PRIMA.

Christi relicta Pax.

TEXTVS.

VERS. 19. CVm ergò serò esset die illa vna Sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant Discipuli congregati propter metum Iudæorum: venit IESVS, & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. 20. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & latus. Gauisi sunt ergo Discipuli viso Domino. 21. Dixit ergo eis IESVS iterum, Pax vobis, sicut misit me Pater, & ego mitto vos.

COMMENTARIVS LITERALIS

§. I.

De reclusione Discipulorum, Resurrectionis die.

1\. *Dispositio Euangelicæ narrationis.* Tolet.

CVM *ergo sero esset die illa, & fores essent clausæ.*] Ad narrandam apparitionem Discipulis factam Ioannes se conuertit, *multas describens circumstantias, scilicet temporis, loci, personarum, modi, & vtilitatis, seu fructus ex ea prouenientis.* Sic Toletus. A tempore incipit præmittens tacitè apparitionis causam, quam particula *Ergo* insinuat.

2\. *Tempus apparitionis.*

Cum ergo. Quasi diceret, cum Magdalena retulisset Domini verbum, & resurrectionem annunciasset, illi vero adhuc non credidissent, vti Lucas narrat; propterea Dominus suamet præsentia propriam decreuit resurrectionem manifestare. *Die*, inquit, *illo*, nempe prima Sabbatorum, quo die Dominus resurrexerat: sero, id est, iam ad solis occasum, & in diei fine, hæc apparitio facta est.

3\. *Quinquies apparuit Dominus resurrectionis die.*

In cuius vberiorem expositionem aduoto; Dominum ipsa die resurrectionis quinquies apparuisse. Primò Magdalenæ Mar. vlt. Secundò mulieribus. Matth. 28. Tertiò Petro. Luc. 24. Quartò duobus Discipulis in Emaus proficiscentibus. Luca citato. Quintò Apostolis absente Thoma, quam apparitionem hîc Ioannes describit.

4\. *Euangelistarum concordia.* Hieron. August. *Ambrosij sententia.* Ambr. & alij.

Circa concordiam autem Euangelistarum quæsierim, quonammodo Matthæus, & Marcus scribant, per mulieres Apostolis præceptum, vt in Galilæam pergerent, cum Ioannes, & Lucas Ierosolymis ab Apostolis visum esse perhibeant? An quia promissa fuit in Galilæa familiaris quædam, & perseuerans visio: hæc autem fuit obiter, & breuiter facta? Sic Hieronymus. An quia promissa visio in Galilæa fuit, non tamen negata in Ierusalem? Sic Augustinus lib. 3. de Cons. cap. 25. Assero cum Ambrosio ad cap. vlt. Lucæ, Toleto, & aliis, iussisse Dominum, Discipulos in Iudæam ire, vbi eum erant aspecturi. At quia præ timore intra conclaue residebant, se eis videndum obtulit, vt animis confirmatis in Galilæam proficiscerentur.

5\. *Locus, & personæ describuntur.*

Et fores essent clausæ, vbi erant Discipuli congregati propter metum Iudæorum.] Iam locum, ac personas describit. Dum erant Discipuli congregati, & fores clausæ erant, non ob noctis instantiam, nondum enim tenebræ cœcæ peruolabant; sed *propter metum Iudæorum*; ne facilis aditus ad eos alicui nocere volenti pateret. An nomine Discipulorum solum Apostoli designentur? Alij etiam addicti Christo significantur. Lucas asseruit. Nam illi duo Discipuli reuertentes ex Castello dicuntur vndecim inuenisse, *& qui cum illis erant*, & adeò ipsi duo aderant, eadem autem hora venit Dominus quamuis vt Ioannes monet, Thomas aberat. *Alij Discipuli præter Apostolos aderant.*

6\. *An reprehendendi Discipuli ex metu?* Cyrill. Matth. 10. *Auctoris mens.*

An Discipuli formidinis culpabilis incusandi, quod Iudæorum furorem declinassent? Cyrillus lib. 12. cap. 53. docet, Discipulos prudenter egisse, memores Dominici proloquij, *Cum vos persecuti fuerint in vna Ciuitate, fugite in aliam.* Matth. 10. Fateor, ex timiditate quadam imperfecta magis tunc, quam ex prudentia fugisse; sed vt prædicationi conseruarentur, & nominis Dominici manifestationi per orbem propagandæ, actum planè prudentem exposuere.

§. II.

De Christi apparitione.

7\. *Cur foribus clausis ingreditur?*

VEnit IESVS.] Fores erant clausæ, & tamen Dominus est ingressus; quo quidem resurrectionis qualitas signabatur, ne iam vt ante mortalem, & passibilem futurum existimarent. Scio aliquem asseruisse, Christum ingressurum fores aperuisse, vt ingrederetur. Sed huiusmodi doctrinam vanam, & Catholico indignam existimaim.

8\. *Cur in medio eorum steterit?* Tolet.

Et stetit in medio eorum.] In medio eorum cur? vt ab omnibus facilius videri, & tangi posset. Non sedet, sed stat. Quare precor? Respondet Toletus, *Vt se non in hoc seculo permansurum, sed alio properare significet.* Num Dominus prius domum intrarit, passibusque pedum, se eorum in medio collocarit? Minimè, sed vno ictu oculi in medio eorum corporalis & visibilis, vt agnosci posset, apparuit.

9\. *Roboratur ex Patribus.* Anselm. Strab.

Roboro ex Patribus Commentarium. Anselmus, *Apparuit Dominus die Dominica eiusdem Resurrectionis.* Strabus, *Quinquies in eo die apparuit. Primo Magdalenæ. Secundo eidem cum aliis in via. Tertio, Petro. Quarto, Cleophæ cum socio. Quinto Discipulis ianuis clausis, duobus iam reuersis.* Chrysostomus, *Mirum est, non putasse eos Phantasma, sed praueniens mulier, multam in eis fidem operata est, & ipse per visum se iis manifestum ostendit, & voce eorum mentem fluctuantem firmauit.*

§. III.

§. III.

De Pacis salutatione, & ostensione manuum, & lateris.

10. *Salutatione resurrectio cõfirmatur.* Chrysost. ET *dicit eis, Pax vobis.*] Salutatione ipsa suam confirmat resurrectionem, seque eundem esse demonstrat. Quare precor? Quia sic solitus erat salutare. Chrysostomus, *Commemorat verbum, quod ante Crucem dixerat, Pacem meam do vobis, & in me pacem habebitis.* Talem Discipulis suis salutationem indixerat, *Intrantes domum, salutate eam, dicentes: Pax huic domui.* Matth. 10. Ex hac ergo salutationis forma se esse Christum probauit eundem. (Matth. 10.)

11. *Cur vsus fuerit hac salutatione?* Crediderim, vsum esse huiusmodi salutatione, vt timorem Discipulorum pelleret. Vsus antiquus fuit iis qui aduentabant aliquodè, maximè si aliqua erat nocendi suspicio salutare: *Pax vobis.* Gedeoni timenti mortem ex Angeli aspectu dictum est: *Pax tecum ne timeas, non morieris.* Iudic. 6. (Iudic. 6.) Samueli Bethleemitæ inopinatè venienti, *Pacificus ne ingressus tuus?* 1. Reg. 16. (1. Reg. 16.) Venis (ac si diceret) ad nos corripiendos, quia salutationem pacis non audiuimus? Ioram dixit, *Pax est Iehu?* 4. Reg. 9. (4. Reg. 9.) Poterant sic Discipuli tardi corde ad credendum, Christum ab eis pœnas exacturum existimare. Dominus ergo præueniens, iucunda pacis salutatione trepidantia corda serenat. *Pax vobis*, Toletus, (Tolet.) *Id est, non vos punire, non pœnas exigere, sed consolari, confortare, instruere venio.*

12. *Cur cicatrices reseruarit?* *Et cum hæc dixisset, ostendit eis manus, & latus.*] Prætermitto quæstionem, Quare Christus cicatrices retinuerit? Certè in signum, & trophæum victoriæ, quo mortem, ac diabolum superauit. Sic Ambrosius ad Luc. cap. vlt. (Ambr.) Anselmus autem, *Ad dubitantium corda sananda, vulnerum sunt seruata vestigia.* Gregorius, (Gregor.) *Quia ad illud corpus, quod videri poterat, fides intuentium dubitabat: ostendit eis manus, & latus. Claui enim manus fixerant, lancea latus aperuerat.*

13. *Cur manus, & latus ostenderit?* Manus igitur eis, ac latus ostendit, vt per vulnerum cicatrices eundem qui crucifixus est, agnoscant. Hæc enim signa Dominus resurgens voluit glorioso in corpore retinere, vt resurrectionis suæ perspicua existerent documenta. Addo, miram virtutem hunc Domini exponi, qui perfectam vitam corpori sic dabat vulneraro. Cur palpandum exhibuit? Vt corporis soliditatem, & consistentiam Discipuli experiri possent, ne phantasma esse existimarent.

14. *An attulerit cicatrices in cælum?* An cicatrices hasce in cœlum attulit? Respondet Cyrillus lib. 12. cap. 58. (Cyril.) affirmatiuè cum communi Doctorum. Qua de causa? Cyrillus, *Vt Angelis omnibus ea, quæ gesta sunt innotescerent.* Probat illo Zachariæ, (Zach. 13.) vbi Angeli rogitant: *Quæ sunt plagæ in medio manuum tuarum?* cap. 13. Addit, cum illis ad iudicandum aduenturum, vt improbos confundat. Sic Theologi affirmantes glorioso in corpore semper permansuras, vt redemptionis pretium perpetuò ante beatorum oculos obuersetur, in gratitudinis documentum.

Gauisi sunt ergo Discipuli, viso Domino.] En fructum apparitionis. 15. *De apparitionis fructu.* Causam exultationis particula *ergo* significat. Ergo gauisi sunt, quia Dominum viderunt. An Discipuli iam fideles? Gaudium hoc fidem supponit. Non enim gauisi essent, nisi credidissent. Crediderunt ipsum resurrexisse, ipsumque esse Christum tot ac tantis signis, & argumentis inducti: credentesque ipsum resurrexisse, affecti sunt gaudio. Profectò Lucas antequam crederent, & gauderent, alia facta interponit. Dubitauerunt enim, existimantes, se spiritum videre, ac tandem agnouerunt, crediderunt, gauisi sunt impleturque est, quod nocte Cœnæ prædixerat Dominus: *Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum.* Sic Cyrillus lib. 12. cap 54. & Chrysostomus hom. 85. Cyril. Chrysost.

Dixit ergo eis iterum Pax vobis.] Preme particulam, *ergo.* 16. *Cur iterum dixerit, Pax vobis?* Postquam enim crediderunt Discipuli perfectè, voluit eos Dominus huius mysterij prædicatores instituere; vt non sibi solis, sed toti orbi terrarum sapiant, & credant. Propterea iterum dixit, *Pax vobis.* Ac si diceret, Iterum pacem do vobis, vt eam toti mundo annuncietis. Repetit itaque salutationis verbum, non eisdem de causis, quibus prius pronunciauerat, sed vt significet, eos mittendos per vniuersum orbem, ad annunciandum pacem hanc per Christum effectam iuxta illud: Isa. 52.
Quam speciosi pedes euangelizantium pacem. Isa 52.

Libet Patrum placita exponere circa repetitionem huiusce verbi: *Pax vobis.* 17. *Patrum circa hanc repetitionem, sententia.* Anselmus, Anselm. *Iteratio confirmatio est, dat eis pacem: sicut promisit per Prophetam* Beda, Beda. *Repetit, quia gemina est virtus charitatis. Vel quia ipse est, qui fecit vtraque vnum.* Strabus, Strab. *Pacem offert, qui propter pacem venerat:* iterat, vt monstret, per suum sanguinem pacificata, quæ in cœlis, & *quæ in terra.* Chrysostomus, Chrysost. *Quia prælium implacabile habebant cum Iudæis, rursus eis pacem annunciat, vt consoletur; simul demonstrans, Crucis efficaciam, per quam soluit omnia tristia, & contulit omnia bona: & hæc est pax.*

Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Quod 18. *Munus docendi Christus Discipulis committit.* munus dedit mihi Pater (veni enim vt mundo veritatis testimonium perhibeam ad credentium salutem tanquam Apostolus à Patre institutus) hoc ego vobis munus trado, & vicarios meos instituo; & rursus qua auctoritate Pater misit me, eadem vos ego immitto vt prædicationis, ac gubernationis, muneri incumbatis, dirigentes mundum in viam salutarem. Toletus addit, *Magnum hoc munus est profectò; quod enim à Patre Filius naturalis, & æternus Dei homo factus suscepit, hoc idem suis communicat Discipulis.* Plura mitto.

IN
IESVM COLLOQVENTEM
PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS
CIRCA LITERAM.
EX CHRISTI RELICTA PACE.

OBSERVAT. I.

Ad illa verba:

Cum sero esset die illa, & fores essent clausæ vbi erant Discipuli congregati propter metum Iudæorum, venit IESVS *& stetit in medio.*

Discipuli; qui absente Domino conturbantur, præsente ipso liberantur à conturbatione.

Vbi Præsulum salutarem præsentiam commendo, absentiam exitialem taxo.

18. ABSENTE Domino; dispergitur grex, Discipuli territi properant in absconditum: restituta autem eis Saluatoris præsentia à terrore, à conturbatione liberantur. Vnde
Chrysost. Chrysostomus ait tunc impletum esse illud, *Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum*, quod quidem, dum vos non video conturbatur. Semper præsentia Præsulis subditis salutaris, absentia autem exitialis extitit.

CAPVT I.

Subditis salutaris Præsulum præsentia.

19. DEus Conditor vniuersi, Dominus verè humanum ostentatur, cuncta commoda impendens subditis. Angelus ex Propheta, *Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus*. Matth. 1. Cum de subditorum salute disseritur, aptè Præsulis præsentia futura signatur; quia tota subditorum salus in Præsulis præsentia consistit? Paschasius, *Emanuel proprium nomen est sicut &* IESVS. *Duobus istis nominibus præditatur gubernatorem, atque rerum prouisorem fore, qui nostra in carne Deus & homo apparebit.* O quam pulchrè duo nomina IESVS, & Emanuel colligantur, salus, scilicet, & præsentia! Tunc enim salus subditorum adstruitur, cum Prælati præsentia exponitur. Nobiscum Deus? Ergo & IESVS Saluator vtique subditorum. Dum ergo Deus & homo apparet, salutem hominum operatur.

IESVS, & Nobiscum Deus colligantur, salus scilicet, & præsentia Præsulis.
Matth. 1.
Pasch.

Addit Abbas, *Quod verò Propheta Emanuel appellat, insinuat, quia ipse quemadmodum est pollicitus, cum his, quos semel seruauerit, quotidie sanando ac saluando perseuerat.* Saluauit IESVS pro hominum salute occumbens, sed quotidie saluat, & sanat, innouata vtique redemptione. Quonammodo, precor, nisi cum præsens subditis adstat. *Sanando, ac saluando perseuerat.* 20.

Quotidie saluat, quia semper adest subditis.
Pasch.

Abulensis adhæc, *Vocatur* IESVS *Emanuel, quia ita est, quod in eo est verè Emanuel; nam Emanuel interpretatur, Nobiscum Deus. Considerandum, quod in hoc vult probare Matthæus illud, quod dixerat Angelus, & vocabis nomen eius* IESVM. Quonammodo impletur quod Angelus præfatus est, Vocabis IESVM? An non aptius dixisset, *In hoc vult probare Matthæus id, quod dixerat Propheta, Et vocabitur Nomen eius Emanuel?* Certè dum probat IESVM probat Emanuelem; quia præsentiâ saluat. Dum nobiscum Deus adest subditis, nostra salus stabilitur. Idem itaque & IESVS & Emanuel, id est, salus & *Nobiscum Deus*. 21.

Si IESVS est, ergo Emanuel; quia præsentia saluat.
Abul.

Ezechieli Deus, *Et tu Fili hominis, sume tibi laterem, & pones eum coram te, & describes in eo Ciuitatem Ierusalem.* cap. 4. Quàm difficile, in vili ac rudi materia Ierosolymæ, Templique pulchritudinem exprimere! Quonammodo ergò poterit Propheta latere in vno totam Ierosolymæ gloriam ostentare? Preme illud: *Pones eum coram te.* Laterem illum tu in conspectu appones, & ad ineffabilem aptitudinem eleuabis. O Præsulis præsentia nunquam non subditis salutaris! D. Nilus in. Ascet. *Magistri facultatem Deus ostendit Ezechieli, docens quos ex quibus discipulis deberet constituere. Fili hominis, sume tibi laterem, &c. Quibus verbis declarat, opus esse, vt Magister ex luto discipulos faciat Templum Dei.* Quonammodo lutum vile augustissimum efformabit in Templum? *Addit præclarum illud: Et pones illum ante faciem tuam. Sic enim discipulus celeriter melior fit, si in Magistri conspectu semper versetur.* 22.

Vile lutum siue rude subditus conuertitur in Templum ex Præsulis præsentia.
Ezech. 4.
Nilus.

De duodecim gemmis in Rationali intexendis lex præscribit, *Habebuntque nomina filiorum Israel, duodecim nominibus calabuntur, singuli lapides nominibus singulorum per duodecim Tribus*. Adiicit autem in conspectu Præsulis Sacerdotis gemmas, seu filios Israel commoraturos. *Et gestabit indicium filiorum Israël in pectore suo*, Exod. 28. Vbi Lipomanus, *Aaron portabit iudicium, hoc est, ius filiorum Israel super pectus suum*, Ius subditorum in pectore Præsulis? Ita planè; tunc enim iura seruant, eisque ius seruatur, cum præsentiæ sui Præsulis addicuntur. Addit Doctor, *Secundum alios indicium pro memoriali ponitur, quo reuocabat filios Israel Deo in memoriam.* 23.

Ius seruatur subditis in præsentia Præsulis residentibus.

riam. Nam dum subditi in pectore Præsulis non residebant, sed absentes abstrahebantur ab ipso, sic se gerebant circa opera, vt Deus eorum obliuisci videretur. At dum in pectore, seu in præsentia Præsulis commorantur, ad Dei munificentissimi reuocantur memoriam, Dei vultissimo conspectu fruuntur.

24. *Vel subditus contumax, instar pelagi, præsentia Principis fuerit, ne subditi Hebræi liberentur.*

Dum Dauid recenset mira, quæ Deus exercuit ad Hebræorum liberationem cecinit, *Mare vidit, & fugit.* Psalm. 113. Admirabile plane pelagus recessisse, & Hebræos extinctis hostibus, ad vlteriorem ripam remeasse. Vndenam subdita contumax et cæruta frænatur, subditi Israelitæ horribili liberantur à pelago, crudelissimo eripiuntur à Pharaone? Certè ex Principis præsentia. Vnde quæritans vates, *Quid est tibi mare, quod fugisti?* respondit, *A facie Domini mota est terra, a facie Dei Iacob.* O præsentia Principis cunctis subditis salutaris! Cæsarius Arelat. hom. 4. de Pasch. *Sine dubio illud terribile profundum assistentis inhorruit maiestatem, & ad præsentiam sui cessit Auctoris. Et ideo subditi & tam filij Israel secure velociter vndas transeunt, vel sub vndis. Cum creatura insensibilis elementi factorem suum sensit transeuntibus præbuit viam, & in persequentes parans refusa vindictam.*

Psal. 113.

Cæsari. Arelat.

CAPVT II.

Absentia Præsulis subditis exitialis.

25. *Tota subditi infirmantis calamitas à Præsulis absentia.*

MVlier (ait Lucas) *quædam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogauerat omnem substantiam suam.* cap. 8. Vndenam fœminæ miserandæ ægritudinis persistentia? Certè à cœlesti Medico, à Principis æterni oculis recedebat. Vnde accedens ad præsentiam Christi illicò sanatur. *Accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius, & confestim stetit fluxus sanguinis eius.* An à facie Domini diffugerit miseriarum pelagus? Ita planè. Quomodo à facie Domini, si *retro accessit*? Vates affirmat etiam Iordanem conuersum retrorsum à facie Domini stetisse. An oculos subit mulier, cum retro tangit? Respondet Chrysologus serm. 34. *Accessit retro, sed vbi retro nil erat; vbi faciem, quam declinabat, inuenit. Erat in Christo corpus multiplex, sed erat Deitas simplex: erat totus oculus, qui post se supplicem sibi videbat.* Tota ergo ægrotantis fœminæ infirmitas ab absentia Principis Medici profluebat: si post tot annos semel accurrens, ad oculos Domini sanguis stetit.

Luc. 8.

Chrysol.

26. *Iudas recedens à Præsule perinst.*

Iudæ immane facinus ponderasti? Dominum pretio vili tradidit. Vndenam tam horribilis iniquitas duxit exortum? Ait Ioannes. *Cum ergo accepisset ille bucellam, exiuit continuo.* c. 13. Crediderim planè Iudam Dominum ex auaritia vendidisse, quia à Præsule abstrahebatur. D. Nilus in Ale t. pulchrè. *Isto Giezi, & Iudas furto ille, hic proditione ceciderunt; quoniam ex Ma istrorum oculis sese abduxerunt.*

Ioan. 13.

Nilus.

27. *Cauteriata est subditi conscientia ex recessu à suo Præsule.*

Conqueritur subdita Pastoris cœlestis amatrix, *Inuenerunt me Custodes, qui circumeunt Ciuitatem, percusserunt me, & vulnerauerunt me.* Cant. 5. Vbi pulchrè Gillebertus serm. 6. asserit Custodes illos Præsules figurare, qui fugientem subditam animam quæritant, vt adducant. *Inuenerunt me Custodes, diligentia ipsorum in hoc commendatur. Pigri custodes & male fideles nullam in hoc adhibent diligentiam: non eunt, non quærunt, vt inueniant, qui cauteriatam habeat conscientiam.* Vndenam, precor, subditi illius conscientia cauteriata? Certè quia plerumque subditum à suo Præsule, aut Custode abstrahi, idem est, ac conscientia solui, cauteriatoque spiritu laborare.

Cant. 5.
Gilber.

28. *Præsul q... curas... sum subditorum, ... ex... x... tium.*

Rex ille Persarum eam legem indixit. *Omnes serui Regis, & cuncta quæ sub ditione eius erant, norunt Prouinciæ, quod siue vir, siue mulier non vocatus interius atrium Regis intrauerit, absque vlla cunctatione statim interficiatur.* Est. 4. Singularis prorsus ratio decreti. Quare curat Rex subditos à Rege separari? Audi Rupertum lib. 8. de Vict. Ver. c. 10. *Cur tanta difficultas adeundi Regem? Vt Rex magni Imperij plus homine pateretur habere aliquid, nec vilior fieret ex vsu publicæ visionis.* Quam imprudens barbaries! An non adstrueret efficacius confictam Deitatem, si ostenderetur subditis omnibus præsens obijci? Profectò aliter respondeo quæstioni ex illo eiusdem libri: *Hoc cogitant, vt illis interfectis, insidiaretur nostræ solitudini.* cap. 12. Curabat Rex omnes Hebræos subditos perdere, omnem populum comminuere, & ideo iubet subditos à Principe separari; nam absentia Præsulis subditorum est desolatio.

Est. 4
Rupert.

Est. 12.

29. *Mille incommodis afficiuntur subditi, absente Præsule.*

Rursum clamat sponsa, *Pessulum ostij mei aperui Dilecto meo, at ille declinauerat, atque transierat. Quæsiui, & non inueni illum: vocaui, & non respondit. Inuenerunt me Custodes, percusserunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum.* Cant. 5. O quot incommodis affecta subdita, ex Pastoris absentia! Appositè Gillebertus ser. 45. *Cum tibi fuerit Dominus tuus elapsus, euanescente visitatione, vexat animam amicam. Fuga illius est defectio tua.* Quia mirum in modum deficit subditus Præsul dum absentatur.

Cant. 5.
Gilleber.

OBSERVAT. II.

Ad illa verba:

Et dixit eis, Pax vobis.

Vt Discipulos metu affectos ex impugnatione Iudæorum reddat milites validissimos, eos pace donat.

Nihil enim sic præcordia roborat aduersus incommoda, quàm donum pacis.

30. *Ductum, ac Militum post... concordiam commendo ad belli victorias.*

CHrysostomus, *Quia prælium habebant Discipuli implacabile cum Iudæis, eis pacem annunciat, vt consoletur, vt roboret.* Præcordia pace roborentur, nihil poterit hostium horribilior pugna, corruent illico hostes, pace fulgorante.

Chrysost.

31. *Pedes Euangelici viri obarmantur pace, ne draconis morsu vulnerentur.*

Pedes Euangelici ministri calceamento pacis curat Apostolus obarmare. Latet anguis in herba, draco horribilis delitescit in via: non mordebit, si te pacis viderit calceamento exornari. Cyrill. Ierosol. Præf. ad Catech. *Draco circa viam transeuntes obseruat, caue, ne te veneno infidelitatis inficiat. Videt tot saluatos, & quærit quem deuoret. Ad Patrem spirituum ingrederis, sed per* draconem

Cyrill. Ierosol.

Deacon in transit; quomodo igitur illum præteribis? Indue pedes tuos apparatu Euangelij pacis, vt & si te mordeat, non nocere possit.

32. Ecclesia ab hostibus tartareis impugnatur; an comminuetur? Porrò *mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Cant. 4. Quænam omnis hæc armatura? Crediderim esse donum pacis, quo Pallas obarmatur Ecclesia aduersus tartareæ legionis horrorem. Ait Chrysostomus hom. 16. de recip. Seueria. *O quam desiderabile nomen pacis, quam Religionis Christianæ stabile fundamentum, & Altaris Dominici cœlestis armatura!* Cur Altare Dominicum pace obarmatur? Profectò qui manducat, & bibit indignè corpus ac sanguinem Saluatoris, *reus est corporis, ac sanguinis Domini.* Vnde Christus ex ore Chrysostomi proclamat, *Nullus Iudas assistat*; quia indignè manducans, & bibens, Dominum animo Cruci suffigit. Aduersus igitur tam horribilem hostem Altare Dominicum pace obarmatur. Pax est Altaris Dominici cœlestis armatura.

Ecclesia protegenda mille clypei unica pax. Cant. 4. Chrysost.

Altare Dominicâ pace obarmatur, ut ab indignâ communicatione [illegible] pollnatur. Chrysost.

33. Victrix ostentatur Ecclesia dum filij eius pace colligantur. En Dominici Natalitij fructum. Canit Dauid, *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna.* Psalm. 71. Alter, *Donec extollatur Luna,* Porrò Ecclesia luminare minus, quod à iustitiæ sole mirificè illustratur ex totum discordia deiicitur, pace stab lua extollitur. Augustinus, Aderit *abundantia pacis, donec extollatur Luna. Tanquam diceretur, Orietur in diebus eius iustitia, sine contradictionem, & rebellionem tollet: & fiet pax in tantum crescens, & abundans: donec Luna extollatur, id est, eleuetur Ecclesia cum Christo regnatura.*

Dum abundâ in pace oritur, exaltatur Ecclesia [illegible] Psalm. 71. August.

34. Quandonam leo ille *rugiens,* qui *circuit quærens, quem deuoret,* oues dispergit, ac comminuit? Certè cum eas à pace recedere efficit. Pacis vinculo ablato, tãquam scopæ dissolutæ dispergintur. Monet Dominus Discipulos, *Et lupus rapit, & dispergit oues.* Ioann. 10. An non Pastoris cœlestis funda, ac baculo proteguntur? An non canum sedula cura defensantur? Ita planè. Attamen vnica lupo vincendi spes, si oues disperdere valeat, hoc est, ab vnione pacifica segregare. Appositè duplex verbum exposuit, *Rapit, & dispergit.* Liceat scribere, *Dispergit, & rapit.* Quia si potest læsione pacis oues dispergere, poterit facillimè diripere. Quid, quæso, dispergere? D. Anselmus, *Dispergit oues, quia dissipat eius actiones, vt omnia, quæ fecerint, sint incompesita, & incongrua, & dissidentia,* Dissidium ouium diabolus ingessit gregi? Iam facilè diripere.

Lupus abripit oues à pacis collegas [illegible] recedere. Ioan. 10.

Anselm.

35. Simeon & Iudas octo saltem victorias ab hostibus reportauere. Quænam tot palmarum origo? Pax quidem, seu concurdia Ducum. *Abiit Simeon, ascenditque Iudas, & tradidit Dominus Chananaum ac Pherezæum in manus eorum.* Iudic. 1. Non dixit, Pugnauerunt, sed, *Abiit Simeon, ascenditque Iudas.* Quasi sola Simeonis ac Iudæ concordia hostes horribiles debellarit. An non quia *frater qui adiuuatur a fratre Ciuitas firma?* Prou. 18.

Simeon & Iudas ob pacem vicerunt Iudic. 1.

Prou. 18.

36. De filiis Salma patris Bethlehem sacra fatur Historia, *Filij Salma Bethlehem & Netophati Corona domus Ioab.* 1. Par. 2. Cur Bethlehem, & Netophati Corona domus Ioab appellantur? Respondet D. Hieronymus, *Propter societatem, qua mutuo in prælijs vtebantur. Frater enim, qui adiuuatur a fratre, quasi Ciuitas firma.* An non firma Ciuitas qui murorum corona protegitur? Domus ergo Ioab pacis corona cingebatur.

Pax corona domuum, ut urbium ad protectionem. Par. 2.

Hieron.

37. Discipulis Dominus, *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Ioann. 15. Cur vtitur plurali, *Hæc mando*? Quia vt Discipuli possent ab inuisibilibus, visibilibusque hostibus defendi multis indigebant clypeis. Si multis indigebant, quare post multa promissa mandata vnum solummodo expressit, *Vt diligatis inuicem*? Certè quia vt diximus, vna pax mille animi clypei: *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Theodoretus apud Maldonatum, *si vultis à Discipulis mundo resistere, qui odio vos habiturus est, hæc mando vobis, vt mutuam habeatis charitatem.* Vna enim charitatis pax est *hæc mandata.* Nam *mille clypei pendent ex ea omnis armatura.* Monuerim Duces ad victoriam necessariò pacem in bello conseruandam. Si enim dissideant milites, si Duces non colligentor vinculo pacis haud aptè bellum ministrabitur ad victoriam. Discipulis ergo pugnaturis, dum formidine laborant, vnicum datur pacis præsidium ad victoriæ coronam.

Mille clypei dantur Discipulis unica pace data. Ioan. 15.

Observat. III.

Ad illa verba:

Ostendit eis manus, & latus.

Vt Dominus, qui gloriosus resurrexerat, à Discipulis posset agnosci, ostendit eis non fulgores immortalitatis, sed mortalitatis stigmata.

Hominum enim proprium est, quod gloriosum est in proximo, seu Præsule non attendere; quod fragile, & abiectum est, aspectare.

38. QVare Dominus Discipulis manuum, ac lateris vulnera ostentarit? Gregorius, *Quia ad illud corpus, quod videri poterat, fides intuentium dubitabat, ostendit eis manus & latus. Claui enim manus fixerant, lancea latus aperuerunt.* Oportebat, Discipulos Christum à mortuis resurgentem agnoscere; & ideo eis manuum, ac lateris vulnera exposuit. Cur non ostendit eis resurgentis corporis agnatam claritatem? Certè quia ex claritatis gloria non posset agnosci. Quare, precor? Quia hominum proprium est proximi, præcipuè Præsulis gloriosa non attendere, sed infirma aspectare. Ideo claritatem operit, vulnera manifestat.

Gregor.

39. Exprimit idem Pater apud D. Thom. in Cat. *Claritas, qua iusti fulgebunt sicut Sol* (legi apud Augustinum lib. 22. de Ciu. in cap. 19.) *in Regno Patris sui, in Christi corpore, cum resurrexit, ab oculis Discipulorum potius abscondita fuisse, quam defuisse credenda est,* Non defuit, quia glorioso corpori necessariò adfuit. Si ergo aderat, & se Dominus curabat ostentare in

Si Dominus circumdatum claritate appareret, non aspiceretur à suis, qui infirma assolent aspectare in Præsule? August.

glorioso corpore surrexisse: cur fulgorem gloriæ quidem dotem non ostendit? Certè quia id debebat Dominus ostentare, quo à Discipulis aspectato, agnosceretur: fulgore obiecto non agnoscerent, quia non respicerent. Haud enim homines in proximo, speciatim in Præsule, assolent aspectare gloriosa, sed infirma. *Non enim* (addit Doctor) *claritatem perciperet humanus aspectus, quomodo illi a iure ita deberet attendi, vt posset agnosci.* Ac si diceret, quia debebat ita attendi Dominus, seu aspectari à Discipulis, vt posset agnosci: non expoluit claritatem, sed vulnera; proprium enim est subditorum non attendere in Præsule quod gloriosum est, sed quod videtur vulnus redolere.

40. [*Filij Israel videntes Præsulis sui gloriā, non videbant esse gloriā.* 2 Cor. 3.] Descendit Moyses de monte fulgore circumdatus. *Videntes autem Aaron, & filij Israel cornutam Moysi faciem, timuerunt propè accedere.* Exod. 34. Refert sic Paulus, *Ita vt non possent intendere filij Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus eius.* 2. Cor. 3. Asserit Moyses, Hebræos vidisse eius faciem: Paulus autem docet non potuisse videre. Quomodo ergo & vident, & non vident? Certè vident gloriam Præsulis subditi, sed quasi non vident; quia eum ex gloria minimè agnoscunt. Vident gloriam, sed non vident esse gloriam Præsulis, quam iudicant alienam.

41. [*Præsulis fulgor ventilat subditos, vt terga vertentes non viderit.* Exod 34. Drogo.] Premo illa verba: *Videntes filij Israel cornutam esse faciem Moysi.* Ex fulgore cornuta? Ita planè, quia subditus reputat sibi vulnus præparari ex Præsulis gloria; vnde timet attendere. Pulchrè Drogo de Sacram. Pas. *Talis erat facies Moysi, hoc est luminosa, & terribilis, vt cornu esset ad ventilandum, quam carnales oculi ferre non poterant.* Quomodo aspicerent, si gloria faciei eos fecit terga vertere?

42. [*Vt subditi attendant in Præsule gloriosa, & non potius antiqua infirma, necessaria est Dei iussio.*] Isaias appositè, *Hæc dicit Dominus, Ne meminerritis priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio noua, & nunc orientur.* cap. 43. Vbi Cyrillus lib. 4. in Isa. Orat. 1. asserit à Patre exponi Christum nitaculorum, gloriæ, virtutum fulgore ineffabili indutum. Iubet autem Deus, ne intueamur in ipso priora, & antiqua humanitatis documenta, quæ imperfectionem indicare videntur; sed ad noua gloriosa quidem attendamus. Cur autem id iubet? An non sufficeret leuiter commonere? Iubet appositè, quia adeò agnatum subditis, Præsulum aspectare infirma, & ad gloriosa cæcutire: vt necessaria sit diuina præceptio, vt, haud aspectatis antiquis humanitatis defectibus, seu egestatibus, gloriosam, augustamque nouitatem intueantur. *Propterea iubet obliuisci priorum, & in illis potius, quæ incomparabiliter eminent, & illustrem habent gloriam, mentem defigere.* Proh subditorum tarditas ad Præsulis gloriam visendam, agnoscendam! Necessaria præcepti vis, vt eos faciat obliuisci priora infirma, vetera imperfecta, & nouitatem vitæ, spiritus innouationem aspectare. Quam oculati ad defectus agnoscendos, quam cæci ad virtutes adnotandas!

43. [*Mirabile est in subditis, omnis Præsulis adnotare gloriosa, & cura[?] an[illegible] quæ infirma nesciere.*] *Assumpsit IESVS Petrum & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos.* Matt. 17. Miratur Euthymius Matthæi generositatem, qui dum Petri assumpti narrat historiam, non eius nomen suppresserit. *Vide, quomodo Matthæus non occultauerit illum, qui sibi Præpositus est. Hoc autem & Ioannes plerisque in locis facit, præcipua Petri encomia libenter describens.* Matth. 17. Euthym.

Vndenam Matthæus, & Ioannes commendabiles exponuntur describentes Præpositi Petri encomia? Profectò quia agnatum est subditis Præsulum haud aspectare gloriam, sed infirma notare. Vnde inuitat Doctor nos, vt illud quasi miraculum spectemus: Euangelistæ proferunt Præpositi sui gloriam, quam aspectauerunt: Vide quomodo Matthæus, &c. Ac si diceret cum Regio Vate, *Videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram.*

OBSERVAT. IV.

Ad illa verba:

Ostendit eis manus, & latus.

Reseruauit Princeps noster vulnerum cicatrices, vt erraturis subditis medicamenta præpararet.

Principis enim, Præsulis prudentis est, supponere vel probatissimos subditos posse ægrotare seu delinquere.

QVærit D. Gregorius, cur vulnera Dominus resurgens suo in corpore glorioso reseruarit? & respondet apud Angelicum Doctorem in Cat. *Claui enim manus fixerant, lancea latus aperuerat. Ibi ad dubitantium corda sananda, vulnerum sunt seruata vestigia.* Ne putet Præsul ad perfectionis gradū supremum eleuatus, quia se videt quasi glorioso corpore ornari, subditos glorioso in corpore degere. Ægritudinibus possunt agi, medicamine possunt indigere. Vndè prudens futuræ ægritudini medicamina præparat, nec scandalo afficitur ob futuræ infirmitatis suppositionem. 44. Gregor.

Miser quidam viator incidit in latrones, *qui etiam dispoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt.* Cum autem Sacerdos, & Leuita diuerterent, *Samaritanus iter faciens, venit secus eum, & videns eum, misericordia motus est; & appropians, alligauit vulnera eius infundens oleum, & vinum.* Luc. 10. Vbi Augustinus, *Christus Samaritanus voluit intelligi, Samaritanus enim Custos interpretatur.* Iam requiro, vndenam Custos ille oleum, & vinum attulerit, ad vulnera sananda? Crediderim secum attulisse, quia immissus à Patre custos, seu Præsul hominum, dignouit vulnera futura criminum, quibus medicina sanguinis eius, ac Sacramentorum esset adhibenda. Pulchrè Theophylactus, Samaritanus Custos noster ex proposito iter fecit, vt nos curaret. Quia idem est assumere subditos gubernandos, ac suscipere curandos ægrotos. 45. [*Custos noster ad Præsulatum missus, consequenter præparat vinum, & oleum ad vulnera curanda.* Luc 10. August.]

Quam aptè Isaias! *Apprehendet vir fratrem suum domesticum patris sui. Vestimentum tibi est, Princeps esto noster. Respondebit in die illa: Non sum Medicus nolite constituere me Principem populi.* cap. 3. An putas sufficere Principi, abundare vestimentis, aut pane? Licet hisce præsidiis abundarem, haud aptus Principatui, quia nō sum *Medicus*. Quid cum Medico Principi? Porrò prudēs ille cognouit apertè eum qui 46. [*Qui non se existimat posse existere Medicum, non admittat Præsulatum.* Isa 3.]

ad gubernationem assumitur, consequenter assumit ad medicamina vulnerandis subditis proferenda. Ne eum foxentia vulnera viderit, afficiatur scandalo. Christus cum Custos efficitur, Medicus oleum, & vinum præparauit ægrotis. Chrysostomus, Vinum sanguis passionis oleum Chrismatis vnctio. Vt cum vulnera criminum exponantur, proferatur & salutaris medicina passionis: *Ostendit eis manus, & latus.*

47. *Custodes Angeli consequenter præparant vulneribus subditorum medicinam.* Auson. Episc. Isa. 6.

Ausonius acutè, *Datus est hominibus Angelorum exercitus Princeps medicus nostra infirmitatis.* Quid exercitui cum medico? Certè si Principes sunt Angeli licet exercitus, consequenter Medici sunt, ad subditorum infirmitates, quas prudenter futuras existimant. An Angeli Custodes præparata gestát, vti Samaritanus, medicamina. Isaias clamat, *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum. Et volauit ad me vnus de Seraphim, & tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua* c. 6. Miraris, tam promptam esse medicinam laboranti. D. Ambrosius te ab admiratione liberabit, ad Psalm. 118. fatus, *Plenus est mundus sanctarum virtutum, quia plenus est nequitiarum, plenus est orbis terrarum remediis, quia plenus est laqueis.* Si Virtutes supernæ hominum constituuntur in Principes, consequenter assignantur in Medicos. Vide orbe pleno Virtutibus Custodibus, repletur & medicamine præparato ad vulnera, quæ supponuntur, subditorum cicuranda. (Ambr.)

48. *Qui vere Princeps est, curat, ne lædatur vinum, & oleum, ad abditorum curanda vulnera, quæ supponit futura.* Apoc. 6. Andr. Cæsar.

Videns Ioannes profatur, *Ecce equus niger, & qui sedebat super illum, habebat stateram in manu sua. Et audiui tanquam vocem in medio quatuor animalium dicentium: Bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario; & vinum, & oleum ne læseris.* Apoc. 6. Priusquam exponam quinam in horribili equite designetur, quæsierim quid in vino, & oleo innuatur? Respondeo medicamina illa, quibus vulneratum Samaritanus ille sanauit, id est, sanguinis Christi virtus. Andreas Cæsarien. ad Apoc. c. 15. ait, *Quando ne vinum, aut oleum lædatur, cauetur; ne per turbam medicina Christi euertatur, qui per fraudem, & imposturam infirmetur, serio iniungitur; vt quo illos sanare sit idonea, qui in latrones inciderunt.* Iam requisierim quisnam eques nigro insidens equo? diabolus ex Patrum expositione, è quorum doctrina noster Saa inquit, sedebat super equum diabolus habens staterem, id est, fingens habere potestatem, & iustitiam docere. Cum ergo diabolus fingit se mundi Principem vt homines possit vulnerare, qui verè Princeps est, iubet vinum & oleum reseruari, nè qui à mendaci Principe fuerit vulneratus, sine medicamine pereat. En Principem verum præparantem medicamina subditorum vulneribus, quæ ex diaboli crudelitate supponit futura. Diabolus autem qui mendax Præsul est, nihil prius curat, quam olei ac vini læsionem.

OBSERVAT. V.

Ad illa verba:

Dixit ergo eis, iterum Pax vobis.

Ant. de Escob. & Mend. Tom. III.

Iterat Dominus pacis præconium, vt ostendat se Cruci suffixum fuisse, vti mundum pace vera donaret.

Ille etenim Princeps egregius est, qui abundantiori pace regnum donauit: non qui fortius cum hostibus certamen instituit.

STrabus ait, *Pacem offert, qui propter pacem venerat; iterat, vt monstret, per suum sanguinem pacificata, quæ in cælis, & quæ in terris.* An tantú pacis bonum, vt propter pacem Dominus venerit, & non reuerteretur ad superos, nisi pacatum reliquisset Imperium? Profectò consummatum Imperium IESV ex abundantia pacis, magis quam ex victoriis. Princeps augustior non qui magis pugnat, sed qui abundantiori pace donauit Imperium. 49. Strab.

De Iosia sacra narrat Historia. *In diebus eius ascendit Pharao Nechao Rex Aegypti contra Regem Assyriorum ad flumen Euphratem; & abiit Iosias Rex in occursum eius, & occisus est in Mageddo.* 4. Reg. 23. Porro capite præcedenti promiserat ei Deus, in pace moriturum: *Pro eo, quod audisti verba voluminis, & perterritum est cor tuum, & humiliatus es coram Domino. idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad sepulchrum tuum in pace* 4 Reg. 22. Quare ergo qui pugnans aduersus hostes occubuit, dicitur in pace moriturus? An quia sanctorum pax laborum sustinentia? An quia pax bello est comparanda? Certè, quia Iosias Regnum pacatum reliquerat post pugnas, quasi obliuioni certamina traduntur, & quod nullatenus potest obliuio abolere est acquisitio pacis. *Colligeris in pace.* Augustior enim currus ad triumphum pax, quam, post dira certamina, victoria.

50. *Rex mortuus in pace, plus commendabilis, quam viuens in bello.* 4 Reg 23. *Augustior currus pax, quam triumphalis quadriga.*

Quæritant acclamantes Cœlicolæ victore, ac triumphatore Domino. Attollite portas Principes vestras & eleuamini portæ æternales; & introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. Ps. 23. Attamen cum resurgit quasi corrigere curans Angelorum acclamationem, Discipulis profatur. *Pax vobis, Pax vobis.* Me collaudate curant Angeli proclamantes tenebrarum Principibus, me fortem in prælio. Profectò augustior apparebo si Regni mei me ostendero pacatorem, Rupertus lib. 14. in Ioan. *Quia peccata nostra pertulerat in corpore suo super lignum, & quia chirographum peccati de medio tulerat affigens cruci, & expolians Principatus, & Potestates induxerat confidenter palam triumphans in semetipso ab Angelis acclamatus Dominus fortis, & potens, Dominus fortis in prælio. At ipso Dominus vbi stetit in medio Discipulorum, Pax vobis, inquit.* En mei Principatus augustiorem planè panegyridem, Regnum pace donauisse. Fortis quidem in prælio, sed illustrissimus in pace.

51. *An non Christi illustrior panegyris, regnú pacauisse, quam hostes superasse?* Psalm. 23. Rupert.

Opportunè Isaias, *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est Principatus super humerum eius: & vocabitur nomen eius, Admirabilis, Deus Fortis, Princeps pacis.* cap. 9 An non pacis titulus superat fortitudinis encomium?

52. *Commendabilior nè Christus, quia Princeps pacis? Certè stabilita pace, debellantur tribus, & subditi à necessitatis oppressione liberantur.* Isa. 9.

Audias precor. Quid in bello expectatius, nonne spoliorum diuisio? Certè qui pace Regnum donat, quasi interminabili spoliorum fruitor diuisione. Vnde præmiserat Propheta, *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia. Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius & sceptrum exactoris eius superasti.* En pacis spolia tributorum exactione, necessario belli adminiculo, non grauari subditos. Sic planè *multiplicabitur eius Imperiū & pacis non erit finis.* Profectò Imperia non multiplicantur ea tributorum necessaria ad belli exactione, sed ex pace nemini tributaria. Ille Regum fortissimus, qui armorum strepitum ad tributa conuertit debellanda: *Sceptrum exactoris eius superasti.*

53. *Speciosior pax, quam nomen grande in bellicis victoriis.* An speciosa est armorum fortitudo Principi, victoriarum comparatarum fama, si interim, ablegata pace, cuncti subditi & bellorum strepitu, & ciuium capitali absentia, & tributorum necessario subsidio pergrauantur? Tempore Iudicum quot pariæ extitere victoriæ, quot populus electus triumphos reportauit? sed proh Deum immortalem! quanto incommodo? Ideo

2 Reg 7. Dominos promisit.. *Ego tuli te de pascuis, fecique tibi nomen grande, iuxta nomen magnorum, qui sunt in terra. Et ponam locum populo meo Israel, & plantabo eum, & habitabo cum eo, & non turbabitur amplius.* 2. Reg 7. Ex interpretum expositione tunc Israel grandi insignitus fuit nomine, cum Iudicum temporibus illustrissimas reportauit victorias. At tempore Salomonis stabilita pace, amplius non est turbatione affectus. Si tanta res est ex bellico triumpho nomen seu fama, cui Deus populum electum maximo beneficio pace donauit: nisi quia vnica pacis dies cunctas potest superare victorias? Hieronymus in Trad. Hebr. *Hoc in loco tempus Salomonis sermo diuinus describit, quo filij Israel pacem essent habituri per circuitum: & non essent affligendi, & opprimendi, sicut tempore Iudicum fuerunt oppressi, & afflicti.* Esto nomen grande Rex habeat ex bellicis expeditionibus, nullus sit bellorum euentus infecundus: certè totum Regnum opprimitur, & affligitur.

Populus opprimebatur Iudicū pugnatorum tempore, pacifici Salomonis autē tempore ab oppressione fuit liberatus.

Hieron.

Observat. VI.

Ad illa verba:

Dixit eis Iesvs, *Pax vobis: & cum hoc dixisset ostendit eis manus & latus.*

Cum Christus Discipulos pace donat, ostendit eis vulnera belli, quibus fuit acquisita pax.

Etenim pax non stabilitur, nisi post bellorum incommoda, post vulnerum pericula.

54. *Spiritus pace non fruitur, nisi vo-* GRegorius, *Dixit eis Dominus, Pax vobis, & cum hoc dixisset ostendit eis manus, & latus. Claui enim manus fixerant, lancea latus aperuerat.* Ac si diceret Dominus, Pacem offero vobis, sed quæ effuso sanguine, dito vulnere comparata fuit. Monemur spiritus nostri pacem bellorum incommodis esse acquirendam. Nec enim coronabitur abundantia pacis nisi qui legitimè certamina sustinuerit.

-lis bello superentur. Gregor.

55. *Christus prius fortis in prælio victoria comparauit, quam pace donaret timentes.* Psalm 23. Ad inferos Domino descendente Angeli clamabant. *Attollite portas, Principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Rogitant Principes inferni, *Quis iste est Rex gloriæ?* Cœlicolæ autem replicant, *Dominus fortis, & potens, Dominus fortis in prælio.* Psal. 23. Audientes Principes tenebrarum Regis pugnantis gloriam fractis repagulis abyssi et spirituum sanctorum spolia tradidere. Mox Dominus resurgens, post cunctos superatos hostes Discipulos donat pace ex bello equidem acquisita: Pax vobis. Apprimè Rupertus supra sub dissimili thesi datus lib. 14. in Ioann. *Igitur, quia peccata nostra pertulerat in corpore suo super lignum, & quia chirographum peccati de medio tulerat affigens cruci, & expolians Principatus, & Potestates induxerat confidenter; rectè hic Dominus fortis, & potens, Dominus fortis in prælio vitam cum victoria referens, vbi stetit in medio Discipulorum, Pax vobis inquit.* Profectò *inquit* ideo *Pax vobis, quia* Cruci iustitiaus spoliauerat Principatus *fortis in prælio.* Nec enim pax stabilitur, nisi post bellorum vulnera. Ponderanda duplex particula *Quia. Quia.* Nam *quia* pugnauit, pacem regno reliquit.

Rupert.

56. *Vespasianus vt pacaret Gallias, prius plures perfecit pugnando victorias.* Celebratur merito Vespasianus, quod fugatis Germanis Galliam fortissimam, non tam illustri bello, quam pertinacia opprimentibus, Regna Gallica florentissima pace diuturna decorauit. Fatur Egesippus lib. 3. Excid. cap. 1. *Vespasianum solum esse, cui summa militia Orientis in partibus iure* (à Nerone) *committeretur: virum ab adolescentia militia triumphalis inueteratum stipendiis, qui impacatas Gallias, Germanorum tumultu, in bellum relapsas pace diuturna composuerat.* Porrò Dux illustrissimus id præstitit *militia triumphali*; prius enim pugna dolentur hostes, quam pace Regna componantur.

Egesi.

57. *Non prius accipit Rex Saul osculū pacis, quam inungatur ad certamina.* Eligitur Saul in Israelis Principem. *Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit super caput eius, & osculatus est eum, & ait: Vnxit te Dominus super hæreditatem suam in Principem, & liberabis populum suum de manibus inimicorum eius.* 1. Reg. 10. Qui in Principem eligendus erat, duplici ceremonia initiatur & inunctione, & osculo pacis. Pacis osculum tunc à Saule recipitur, cum inunctus ostenditur. Quare, precor? Quia vnctio ad luctam prius est indicenda, quam Princeps pacis gloria fruatur; quæ quidem pugna est acquirenda. Gregorius hinc, *Vncto, & osculato Principi dicitur, Vnxit te Deus in Principem super hæreditatem suam.* Quasi rebus eum admoneat: O Princeps, expetis pace æterna potiri? Inungere prius ad hostes debellandos.

1. Reg 10.

Gregor.

58. *Christus dat pacem hominibus, bello acrē acquisitā.* Nato Domino, hominum Principe, concinunt Cœlicolæ, *Gloria in Altissimis Deo, & in terra pax hominibus.* Tunc quidem cum pax indicitur, bellum horribile prædicatur. Præmisit enim Euangelista. *Facta est cum Angelo multitudo Militiæ cœlestis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in Altissimis Deo, & in terra pax.* Luc. 2. Si pax proclamatur, cur exercitus ad bellum instituitur? Equidem quia pax diuturna horribili præmisso bello est acquirenda.

Luc 2.

Vnde

59\. Vnde existimo pacem publicari futuram, non præsentem proferri. *Et in terra* (ac si dicerent) *pax erit hominibus* , si exercitui , seu Militiæ cœlesti dent nomen ad hostes comminuendos. Quare proclamat Dominus , *Non veni pacem mittere in terram , sed gladium.* Matth.10. Quomodo non venisti pacem in terram mittere , si cecinere Angeli : *Et in terra pax hominibus.* D. Chrysostomus hom.39. in Matth. *Si bella venis mittere, cur te nascente , cantatur pax,* Respondet Doctor , *Certè quia tunc vera pax, cum proijcitur, quod erat tabidum.* Aptè, sed argumento conuenientius. Cantatur pax futura quidem ex bellorum victoriis.

Venit mittere gladium, ad pacem Angelorum voce nunciatā comparandam. Matth.10. Chrysost.

60\. Nathan Dauidi Dei beneficia recenset. *Ego te tuli de pascuis, fecique tibi nomen grande. Et ponam locum populo meo Israel , & plantabo eum, & habitabo cum eo, & non turbabitur amplius.* 2.Reg.7. Vbi Hieronymus sub alio argumento datus. *Hoc in loco tempus Salomonis sermo diuinus describit, quo filij Israel pacem essent habituri per circuitum.* Tunc plantatur populus quia quiescit. Porrò vt Regnum tanta pace, ac tam stabili frueretur , nomen grande factum est Dauidi, ex prœliis, ex victoriis. Cur tempus Dauidis ac Salomonis non colligantur ? Certè quia necessarium est Dauidem præcedere pugnatorem, vt Regnum plantetur, id est, vt æterna pace Salomonica perfruatur. *Militia est vita hominis super terram,* ait Iobus. Si vis pace interna potiri, strenuus miles debes prius animi hostes debellare.

Prius pugnat Dauid, quam populus Salomonis pace fruatur. 2.Reg. 7. Hieron.

Observatio VII.

Ad illa verba :

Gauisi sunt ergo Discipuli viso Domino.

Viso Iesv consequentiæ vi Discipuli afficiuntur exultatione.

Nam Iesv *præsentia & animæ gaudium necessariò vna commorantur in sede.*

61\. Chrysostomus , *Impletur illud , vt lebo vos, & gaudebit cor vestrum.* Quomodo possent videre Iesvm sine cordis exultatione ? Preme Euangelistæ sententiam : *Ostendit eis manus , & latus ; gauisi sunt ergo Discipuli.* Ex vulneribus agnoscunt Iesv præsentiam ? *Ergo gauisi sunt.* Quia necessitate quodammodo consequentiæ lætitia afficitur ineffabili, qui dulcissima Dilecti præsentia potitur.

Præsentia Dei commoda commendo. Chrysost.

62\. Ferculo triumphali , aut nube diei Iesvs vehitur ad montana , & in conspectu Ioannis commorantis in vtero sistit. Illico parens proclamat infantis. *Ecce vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis , exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Luc.1. An ex salutationis voce exultauit ? Profectò ex præsentiæ Dominicæ exultat cognitione. Anselmus , *Ideo exultauit Ioannes, quia senserat aduentum* Iesv. Et quomodo non exultaret , si necessitate consequentiæ præsentia Iesv & exultatio pariter exponuntur ?

Exultauit Ioannes in vtero ex præsentia Iesu. Luc. 1. Anselm.

Canit Dauid de mundialis pelagi mœstitudine. *Hoc mare magnum & spatiosum manibus, ibi reptilia, quorum non est numerus. Animalia pusilla cum magnis , illic naues pertransibunt.* Psal.103. Preme aduerbium *Illic.* Naues in medio pelagi à tot pleni animalibus horrorem excitantibus commorabuntur. Herodotus , *Quam tristis pelagi à ventis agitati conspectus!* O nauis tot inter horrores constituta, vis lætitia perfundi apud patriam mœroris ? Iesv gubernaculum tradere satage , mox eius præsentia , mœrore ablegato , ineffabilem pectori profundet lætitiam. Augustinus , *Non timeant naues , non valde attendant, vbi natent ; (Illic naues) sed à quo gubernentur. Illic naues commeabunt. Quem commeatum inuenient tristem , quando gubernatorem sentiunt Christum ?* 63.

Non timeant naues pelagi mœstitudinem , si gubernaculū gerat Iesus. Psal 103. Herodot. August.

Tyrannus Herodes , qui Iesv aduentum timebat, futurum sui Imperij exitum, proclamantibus Magis natum Regem Iudæorum, *sciscitabatur à Iudæis , vbi Christus nasceretur ? At illi dixerunt , in Bethlehem Iudæ.* Matth.2. Cur id à Iudæis hostibus sciscitatur ? Curabat Herodes agnoscere , num Iudæis nota esset noua Regis natiuitas: & an eius aduentum anxiè expectarēt. Vnde eis ansam exhibet , vt locū ipsi natiuitatis Iesv exprimant , ac simul memores præsentiæ eius consequenter exultent. Paschasius lib.2. in Matth. *Sciscitatur ab eis, vbi* Iesvs *nasceretur, vt cautius eos exploraret, si Rex eorū ex lege promissus tristes , gaudentes vè faceret.* Etenim non poterat Iesv veri præsentia memorari, quin consequenter Iudæi lætitia replerentur. Si tristantur Iudæi, natus non est, nec expectatur nasciturus ab hisce subditis meis; si lætantur, signum euidens , aut natum esse, aut expectari anxiè nasciturum. 64.

Sum i Herodis iudicamentū, an venerit Iesus, si læto animo subditi sint ostenduntur. Matth.2. Pasch.

Promiserat Dominus, *Erit Sabbatum ex Sabbato.* Isai.66. Id iterata , & continua festiuitas. Quando nam obsecro ? Cum Iesvs aderit, nec recesserit. Bellè Nazianzenus orat. in sanctulum. *Rursus* Iesvs *meus, & rursus mysterium.* Nicetas exposuit, *Et rursum solemnitas.* Toties solemnitas indicitur, quoties Iesvs apparet. Semel Iesvs, semel solemnitas; rursus se iterum Iesvs , rursus solemnitas animo præsentatur. 65.

Sabbatum ex Sabbato in conspectu Iesu. Isai 66. Nazianz. Nicet.

Cur ex præsentia Iesv tanta exultatio? Certè quia sole exoriente cunctæ malorum tenebræ effugantur, nulla adest mœroris particula. Isaac exoritur , *vocauitque Abraham nomen filij sui Isaac. Dixitque Sara , Risum fecit mihi Deus,* Gen.21. Isaac quidem domus lætitia, & exultatio (Ambrosio auctore) quia naturalis Iesv vmbraculum extitit, cuius ortus toti orbi extitit salutaris. Ideo indicitur gaudium magnum hominibus Domino nato. *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo ; quia natus est vobis Saluator, qui est Christus Dominus.* Luc.2. An non risum fecit Dominus toti orbi terrarum ? Cuncta prorsus incommoda periere. D. Ambrosius lib. de Isaac & anima. Cap.5. *Isaac risus, risus autem insigne lætitia est. Quis autem ignorat , quod se mortis formidolosa vel pauore compresso , vel mœrore sublato , factus omnibus est* verus Isaac Iesvs *remissio peccatorum.* Cum ergo Discipuli viderent Christum è mortis potestate ereptum, mortem peccati superatam , Principes tenebrarum debellatos , quonammodo poterant non lætari , ineffabilique non affici exultatione. 66.

Tanta in præsentia Iesu exultatio , quia Isaac est ablegat peccati tristitiam. Gen.21. Ambros.

SECTIO SECVNDA.

Thomæ Reductio.

TEXTVS.

VERS. 22. HOc cum dixiſſet, inſufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum. 23. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. 24. Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, &c. *vſque ad verſ. 29. incluſiuè.* 30. Multa quidem, & alia ſigna fecit IESVS in conſpectu Diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc. 31. Hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis, quia IESVS eſt Chriſtus Filius Dei: & vt credentes, vitam habeatis in nomine eius.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Spiritu ſancto dato Diſcipulis, & remitendi, ac retinendi crimina, poteſtate.

Dat Spiritum ſanctū Euangelij miniſtris.

1\. HOc *cum dixiſſet, inſufflauit.*] Miniſtris ſalutis, veræ Euangelicæ pacis annunciatoribus donat poteſtatem, qua totus orbis terrarum indigebat. Erat mundus peccatis illigatus, traditur abſoluendus Euangelij miniſtris. Porrò hanc poteſtatem donat, Spiritum ſanctum impertiendo; quia Spiritus ſancti eſt, peccatorum remiſſio.

Cur dans Spiritū, inſufflarit? August.

2\. Quare autem Spiritum ſanctum dans Chriſtus Diſcipulis inſufflarit? Auguſtinus lib. 10. de Gen. ad lit. cap. 5. & alibi, docet, flatum illum non fuiſſe Spiritum ſanctum, *ſed ſignum illius:* Significaſſe autem Spiritus ſancti ab ipſo Filio proceſſionem. Quemadmodum enim flatus ille ſenſibilis ab eius corpore, ità Spiritus ſanctus, quem dabat; à ſua Diuinitate procedebat. Porrò Cyrillus lib. 12. cap. 56. docet inſufflaſſe, vt oſtenderet, ſe eſſe eundem, qui à principio homini animam inſufflando dedit. *Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Gen. 2. Ambroſius autem ſerm. 20. in Pſal. 118. Sic Chriſti ſententiam expoſuit memor primæ illius inſufflationis: Accipite Spiritum ſanctum, quem perdidiſtis à principio datum; quis poteſtas eſt hæc dandi, & communicandi hominibus Spiritum ſanctum, ad remittenda peccata. Accepit à Baſilio lib. de Spiritu ſanct. cap. 16.

Cyrill. Gen. 2. Ambroſ. Baſil.

Auctoris expoſitio.

3\. Profectò vt Dominus ſigno exteriori ſignificaret, ſe interius illis Spiritum ſanctum communicare inſufflauit in eos; vt per exteriorem flatum interiùs Spiritum ſanctum infundi cognoſcant, cuius virtute peccata remittant. An non potuiſſet Spiritum ſanctum ſine inſufflatione largiri? Potuit planè, ſed noluit. Vt eos inſtrueret, & perficeret. Perficit quidem Spiritum ſanctum exhibendo; inſtruit inſufflando, vt ex Auguſtino, Cyrillo, & Ambroſio didiciſti. Hinc Toletus aduerſus hæreticos inuectiuus aſſurgit, *Vbi ſunt*, inquit, *qui ceremonias irrident Eccleſiaſticas, cum Dominum inſufflantem in Diſcipulos legant?*

Tolet.

Quodnam, Spiritū ſanctum dari?

4\. *Accipite Spiritum ſanctum.*] Spiritus ſanctus dari hominibus dicitur quando ipſius dona, & virtutes infunduntur. Recenſer multiplicia Paracleti dona. *Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus. Alij datur per Spiritum ſanctum ſermo ſapientiæ, alteri ſecundum Spiritum ſermo ſcientiæ,* &c. 1. Cor. 12. Porrò inter gratias, ac virtutes haſce vna eſt remittendi peccata poteſtas, nunquam antè Chriſtum hominibus conceſſa. Hanc Dominus impendens Diſcipulis hodie, loquitur: *Accipite Spiritum ſanctum.* Cur non dixit, Accipite poteſtatem remittendi peccata; ſed *Accipite Spiritum ſanctum:* & poſtea adiunxit, *Quorum remiſeritis peccata?* Crediderim, vt ſignificaret, poteſtatem remittendi peccata ſolius Dei eſſe, & ab ipſo ſolo hominibus communicari.

1. Cor. 12. Quæſtioni ſit ſatis.

Quomodo datur his Spiritus ſanctus poſt aſcenſionem promiſſum. Ioan. 18. Chryſoſt.

5\. Quæris primò ad loci vberiorem expoſitionem, quomodo nunc detur Spiritus ſanctus, qui dandus poſt aſcenſionem eſt promiſſus? *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos; ſi autem abiero, mittam eum*, Ioan. 18. An præſens poſitum pro futuro? Sic Chryſoſtomus hom. 1. in Act. 2. Dura Interpretatio; inſufflatio enim illa indicat præſentem habere ſignificationem. An non datus hîc Spiritus ſanctus, ſed diſpoſitio, qua apti fierent, ad Spiritum poſtea recipiendū? Refert idem Doctor ex aliorum ſententia. At non poteſt verbis accommodari; violenta enim & impropria locutio eſt, Accipe hoc, id eſt, aptum te facio, vt accipias poſtea. Reſpondeo, operationes Spiritus ſancti multas, ac varias eſſe; nunc autem datum eſſe quoad vnam peccata dimittendi: in die Pentecoſtes quoad alia, nempe poteſtatem patrandi miracula, donum linguarum, ſermonem ſapientiæ, donorumque plenitudinem. Fauet Hieronymus Epiſt. ad Hedib. q. 9. Auguſtinus lib. 4. de Trin. cap. 20. Cyrillus lib. 12. cap. 56. & alij.

Auctoris ſolutio.

Num hæc Spiritus ſancti donatio noua fuerit? Pſal. 50. Gen. 8. Ambroſ. Gregor.

6\. Secundò requiris, num hæc Spiritus ſancti donatio noua fuerit; *Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.* Pſal. 50. *Non permanebit. Spiritus meus in homine.* Gen. 8. De Spiritu ſancto dato Origenes hom. 2. ad Pſal. 38. Ambroſius lib. de Noë, cap. 3. Gregorius lib. 14. Mor. cap. 19 interpretantur. Ergo Spiritum ſanctum dari hominibus, nouum non eſt. Reſpondeo Apoſtolis etiam ipſis iam fuiſſe datum Spiritum ſanctum quantum ad gratiam, & dona multa. Zachariam Spiritu ſancto repletum dici. Luc. 1 Simeonem reſponſum accepiſſe ab Spiritu ſancto. Luc. 2. Ioannem Baptiſtam Spiritu ſancto plenum à matris vtero: Attamen nunc nouo modo nemini vnquam, dato. communicari. Poteſtas enim peccata remittendi prorſus noua; ſibi Deus reſeruauerat,

seruauerat, postquam autem Dei Filius homo factus est, eam hominibus communicauit.

7. *Cur peccatorū remissio Spiritui sancto adscribatur?* Victor.

Dubitas tertiò, cur peccatorum remissio Spiritui sancto adscribatur? An non totius est Trinitatis? Respondet aptè Victorinus lib. 3. cont. Arrium. Sicut sapientia cum sit totius Trinitatis, tribuitur Filio, non quod solius sit ipsius, sed vt significemus, ipsum esse Verbum Patris, & Paterno intellectu procedere; ita etiam opera omnia sanctificationis tribuimus Spiritui sancto; quia ex Patris, ac Filij voluntate procedit. Est autem voluntatis obiectum, bonum; idcirco quæ bonitatis sunt Spiritui sancto tribuuntur.

8. *Exprimit potestatem remittendi peccata.*

Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.] Explicat Dominus hanc Spiritus sancti donationem. Nam cum ad multa Spiritus sanctus opera dari posset, vt dixi, non intellexissent Apostoli quænam esset, ac qualis hæc donatio. Ideo addidit, *Quorū remiseritis peccata*, &c. Quorum crimina absolueritis, *remissa sunt*. Cur addit hanc particulam? Vt scirent, suam potestatem esse participatam, & Dei esse supremam ac primam. Quibus peccata vos dimittitis, Deus etiam, cuius est suprema potestas, dimittit. Haud potestate crimina dimittendi se priuat: sed simul cum hominibus remittit, ipse quidem potestate suprema, homines verò participata, ac delegata.

9. *Cur non dixit, Quæ peccata remiseritis, sed, Quorū peccata?*

Preme illud: *Quorum peccata remiseritis.* Non dixit, Quæ peccata, sed, *Quorum peccata.* Quare? Quia non tantum peccata respicere oportet, sed personas. Necessum est enim, qui remissionem consecuturi sunt, dispositos accedere commissorum dolore cum firmo in futurum cauendi proposito, cum fide, & spe Christiana. Vnde fit, vt eadem peccata aliquibus debeant remitti, aliis verò minimè. Iudicium quoddam discretionis est necessarium, quo idoneus à minus idoneo decernatur. Quare Tridentinum sess. 14. can. 9. absolutionem hanc actum iudicialem remittendi, & absoluendi, & non tantum declarandi, absolutum rectè decreuit. *Trident.*

10. *Quid sit, retinere peccata?*

Et quorum retinueritis, retenta sunt.] Quidnam, peccata retinere? Iudicare, peccatorem non dignum absolutione, propter ipsius indispositionem: quia non qualis debet, accedit. Nulla peccata propter se retinentur, quia omnia remissibilia: propter ipsos autem indispositos peccatores irremissibilia redduntur. Quare dicitur. *Quorum remiseritis*, vt ad personas fiat relatio.

§. II.

De aliis Resurrectionis signis.

11. *De quibus signis Ioannes loquatur?* Cyrill. August.

Multa quidem, & alia signa fecit Iesvs *in conspectu Discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc.*] Cyrillus lib. 14. cap. 61. & Augustinus Tract. 122. ad omnia miracula Christi antè & post resurrectionem narrata à Ioanne in hoc Euangelio referunt, vt sit velut quædam miraculorum generalis epilogatio. Accommodatam vocitat hanc Toletus expositionem. Sed tanti viri pace, non video, quonammodo illi possit accommodari particulæ: *Quæ non sunt scripta in libro hoc?* Si omnium ab ipso scriptorum est epilogus, quomodo scripta non sit? *Tolet.*

12. *Auctoris expositio.*

Vnde ad signa refero post resurrectionem facta, hoc sensu: Multa alia signa Christus gessit in Discipulorum conspectu ad suæ resurrectionis veritatem confirmanda, ex qua verus Dei Filius apparuit. Accepi ex Chrysostomo hom. 86.

13. *Reddit rationem, cur non plura scribat signa.*

Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quia Iesvs *est Christus Filius Dei.*] Cur plura non scripserit signa resurrectionis, adiicit. Hæc scribuntur ad Christi fidem conciliandam, vt per fidem salutem credentes assequantur. Cum autem quæ sunt narrata sufficiant ad fidem faciendam, quod Christus surrexerit, & ex resurrectione se esse Dei Filium confirmauerit, non fuit opus plura signa scripsisse.

14. *De vno & altero narrationis huius fine.*

Et vt credentes, vitam habeatis in nomine ipsius.] Duo sunt huiusce narrationis fines, vnus proximus, nempè fides vera Christi Diuinitatis, & humanitatis: in hac enim signa narrata indueunt. Alter est vltimus nempè vita æterna, quæ credentibus exhibetur. In nomine autem eius vitam habere credentes, idem significat, ac virtute meriti, & satisfactionis eius per fidem communicatæ salutem accipere. Virtus enim Christi est, quæ per fidem credentes in eum viuificat. Lege Barradium, Toletum, Maldonatum, Cornelium. *Barrad. & alij.*

IN IESVM COLLOQVENTEM

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS

CIRCA LITERAM,

EX THOMÆ REDVCTIONE.

Observatio I.

Ad illa verba:

Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.

Postquam pacis exhibuit abundantiam, remittendi peccata potestatem dedit; quia ex libera à labe conscientia vera hominis pax.

Peccatum enim verum animi bellum, omnium incommodorum est colligatio.

14. VIx pacem Dominus obtulit, eum potestatem remittendi peccata exhibuit. Quare, precor? Inouit planè ad pacem extruendam necessaria esse à criminibus absolutionem. Nec enim potest animus vera pace potiri, si peccati agnatis incommodis agitatur. Rupertus lib. 14. in Ioan. *Et si quaras euidentius, quanam illa sit pax? audi, quod sequitur: Et cum hoc dixisset, insufflauit, & dixit: Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Manifeste hic illa de pace agitur, qua est remissio peccatorum; quod primum, & maximum est Spiritus sancti donum. Ergo pax ista peccatorum remissio est; & ista remissio Spiritus sancti acceptio est.*

Rupert.

15. Quid tam abstractum à pacis commodis, quam peccatum? Vt pace, qua nos donauit Dominus hodie, potiri possemus, curat nos à peccati molestiis alleuare. Quia dum peccatis illigamur non possumus oblata pace frui. *Issachar* (inquit Iacob) *asinus fortis accubans inter terminos: vidit requiem, quod esset bona, & terram, quod optima; & supposuit humerum suum ad portandum.* Gen. 49. Issachar IESVS curat homines requie aut pace donare, & ideo eorum tollit crimina humero proprio apponens. Ambrosius lib. de Bened. Patr. cap. 6. Itaque vt ad resurrectionis suæ gratiam vocaret Gentes subiecit humerum suum ad laborandum, subiiciens se cruci, vt nostra peccata portaret. Profectò *resurrectionis gratia* est pax Discipulis data, hominibus impensa. Vt homines hac gratia fruerentur, necessariò debuere à criminibus absolui, Domino super humeros suos pondus sustinente. Nec enim peccatum & pax vna in sede morantur.

Dum peccatis illigamur, non possumus oblata pace frui. Ideo Dominus nostra humero suo crimina portat, vt pacem habeamus.

Gen. 49.

16. Dixit Herodotus perpulchrè, *Ablegatio pacis in Vrbe leo est dissolutus, qui omnes ciues mittit in fugam.* Quid si peccatum ablegatio pacis ex eo sit, quod peccator diffugere compellatur? Dominus, delinquente Adamo, proclamat, *Adam vbi es?* Ac si diceret, Quo fugisti? Deliquit Adamus, pacem amisit, & leo rugiens miserum hominem misit in fugam. Drogo de Sacram. Passio. describens Adami peccatum, adiicit: *Ex quo tunc non cessasti, ô Domine, clamans: Vbi est Adam? loquens post tergum fugientis. Qui & dimissus est de paradiso voluptatis, & peruenit vsque ad condignum sua iniquitatis cruciatum.* Quia ablegatio pacis ex patrato crimine indictio fugæ fuit, leone rugiente.

Peccatum leo est, mittens homines in fugam, ne pace fruantur.

Herod.
Gen. 3.
Drogo.

17. Vt exprimat Propheta abundantiam pacis ex Messiæ natalitio describit homines sub viti quiescentes; quia pax requies est à laboribus. Profectò peccatum cum pace minimè potest cohærere, quia vbi adest crimen, inibi requies non potest adesse. Dauid, *Contritio, & infœlicitas in viis eorum.* Psalm. 10. Chrysostomus hom 8. in Acta, *Fatigatio & labor in viis peccatorum. Scriptura semper malitiam laborem vocat.*

Fatigatio & labor in peccato: quomodo pax?

Psal. 10.
Chrysost.

18. Ieremias peccatoribus, *Seruietis diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.* Cap. 16. *Die ac nocte?* O peccati tyrannidem! Dies obsequio dicetur, non quieti tribuatur. Porrò qui peccato inficitur interminabili seruitute pergrauatur. Hieronymus ad cap. 2. Ierem. *Via peccatorum aspera est, quæ à Domino conuertitur in viam planam.* Solus enim qui potest homines à vinculo peccatorum absoluere, potest requie, ac pace donare.

Si die, ac nocte seruus peccato, quodnam pacis quies?

Ierem. 16.
Hieron.

19. De Noëmo scriptum, *Iste consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum.* Gen. 5. Chrysostomus, *Hic nos quiescere, seu pacificari faciet.* Et addit hom. de Noëm. *Quare non dixit, Hic occidet nos, hic faciet diluuium fieri? Sed, Hic faciet nos quiescere? Homines in magna malitia viuebant; diluuium autem, quia malitiam resecuit, illi liberati à malitia, quiescere, ac pacificari dicuntur.*

Dum tollitur peccatũ pacificamur, & quiescimus.

Gen. 5.
Chrysost.

Vt pacem Ægyptij exprimerent, centri punctum depinxere. Quidquid non quiescit in puncto immobili, pax non est. Ergo impossibile est peccatores pace potiri, quia nunquam in puncto quiescunt, sed in circuitu agitantur. *In circuitu impij ambulant.* Psal. 11. Caietanus. *In circuitu ambulant peccatores, id est in circumferentia procul à centro veritatis, & virtutis.* Id est, procul à pace. Igitur vt Dominus possit homines vera pace donare, consequenter peccatorum absolutionem indixit.

Peccator semper in circumferentia rotatur, nunquã in pacis puncto quiescit.

Psal. 11.
Caietan.

Observatio II.

Ad illa verba:

Thomas autem vnus ex duodecim, non erat cum eis, quando venit IESVS.

Thomas ideo pacem non accepit, seu à peccato absolutionem, cum Discipuli receperunt; quia non erat cum eis.

Qui à communitate abstrahitur singularitati studens, communi salutari bono priuatur.

20. QVia Thomas non erat cum Apostolis, quando venit IESVS resurrectionis dona profundens, tanto communitati dato bono priuatur. Chrysostomus, *Desiembat ex dispersione, qua iam facta erat.* Et ideo non accepta insufflatione Spiritus sancti, *cæteris crassior existit, & per sensum crassissimum, qui est tactus quærebat fidem non contentus videre.* Vndenam Thomæ tam infælix euentus, nisi quia *non erat cum eis quando venit* IESVS? Ediscant communitatis osores, quantis bonis communibus priuetur, qui singularis à communitate incedit abstractus.

Singularitatis Religiosorũ vitium saxo.

Chrysost.

Spiritum

21\. Spiritum sanctum accepere Discipuli congregati, quo à piaculo timiditatis purgarentur, & potestatem acciperent, aliorum dimittendi piacula. Interim ab eis abstractus Thomas nouum piaculum tarditatis, ac duritiei contraxit. Chrysostomus, *Licet qualitercumque credere, facilitatis est: ita præter modum inuestigare crassissima est mentis. Ideoque accusatur Thomas, qui dicentibus Apostolis, vidisse se Dominum, non credidit, quin etiam rem putauit impossibilem.* Vndenam tanta Apostolo calamitas? Quia non erat cum eis, quandò venit IESVS scio Apostolum & gratiam, & Spiritus sancti insufflationem postmodum accepisse, sed implorationis ipsius vi, vti Chrysologus asserit serm. 84. *Denique sponte Christus præstitit cæteris, quod iste tardius implorat.* Et vbinam implorauit? *Iterum* (post dies octo) *erant Discipuli eius intus, & Thomas cum eis.* Cum eis accipit, quod minimè acceperat, quia *non erat cum eis.*

Abstractus Thomas à cõmunitate, reus incredulitatis exponitur, & difficile recipitur. Chrysost.

Accipit cum eis, quod sine eis amiserat. Ioan. 20.

22\. Cupiebat Sponsa cœlestibus dilecti repleri muneribus, Spiritus sancti donis ornari, & inclamitabat, *Trahe me post te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Cant. 1. Si sola postulat vnguentis iungi, cur socias cursuras simul profatur. Certè vt posset donis Spiritus sancti expleri curat in communitate commorari. Prius communitati hærescere curat, *Curremus.* Mox in odorem vnguentorum assecutura properat. Bernardus serm. 21. in Cant. *Non curram ego sola, & si sola me trahi petierim, current adolescentulæ mecum.* Trahi sola petit ad socias, ad communitatem, vt ablata singularitatis nota, communitati hærescens donis dilecti potiatur. Ne si inueniatur *non esse cum eis, quando venit* IESVS communitatis muneribus priuetur.

Dũ Sponsa expetit, iesu donis repleri, ad cõmunitatem pergit. Cant. 1. Bernard.

23\. Miratus sum sæpe, Iudam Apostolum salutem non accepisse, quandò sanguis Dominicus feruescens vbertim profusus omnis generis nostri maculas eluebat. An non Dominus proclamauit, *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt?* Luc. 23. Cum igitur omnibus salus effunditur, quonammodò ne guttula Iudas donatur, sed miserè deperit? Certè quia se se proripuit à communitate fidelium, communitatis bonis minimè potitur. *Cum accepisset ille buccellam, continuo exiuit.* Ioan. 13. Exiuit à communitate Apostolorum, & à fidelium communitate abstractus est; ideo sanguis ille qui pro communitate speciatim offerebatur Iudæ à communitate subtracto non profuit. Pulcbrè ait D. Leo serm. 11. de Pas. *Clamabat Dominus, Pater dimitte illis. De cuius orationis potentia fuit, vt prædicatio Petri Apostoli, ex iis, qui dixerunt, sanguis eius super nos, & super filios nostros, multorum ad pœnitentiam corda conuerteret, & vno die baptizarentur tria ferè millia Iudæorum. Ad hanc indulgentiam Iudas peruenire non potuit; quoniam perditionis filius* prius se substraxit à fideli cœtu, *quam Christus sacramentum redemptionis generalis impleret. Nam si in* communitate permaneret, *mortuo pro omnibus Domino, potuisset forte & hic consequi remedium.*

Iudas cõmunis redẽptionis efficacia ideo fortè priuatus est, quia à communitate abstractus. Luc. 23. Ioan. 13. Leo.

24\. Monet Deus Abraham Sodomorum conflagrationem, & instantibus precibus procurat, omnium ciuium ereptionem. Lotb fratris Abrahæ filius apud conflagraturas Vrbes commorabatur; vnde Chrysostomus, *Manifestè propter fratris filium dicere non audebat, communes pro omnibus facit preces.* Existimo tamen non abstinuisse Patriarcham à singulari filij fratris ereptionis tractatu, quia puderet eum pro propinquo solo precari; sciebat enim cognitam Numini intentionem; sed pro omnibus petiisse, vt efficacius amicus eriperetur in communitate existens. Nam si pro solo precatus fuisset, eumque à communitate abstraheret, timuit, nè singularis deperiret. Vnde bellè adiecit Chrysostomus, *Voluit cum aliis & hunc liberare.*

Vt liberet Abraham Lothũ à flãma, curat communitatem erepi, vt in communitate liberetur efficacius. Gen. 18. Chrysost.

Educitur itaque Loth ex Vrbe, Angelis profantibus, *Salua animam tuam, in monte saluum te fac.* At Loth, *Quæso Domine mi, quoniam inuenit seruus tuus gratiam coram te, nec possum in monte saluari: est Ciuitas hæc iuxta, ad quam possum fugere parua, & saluabor in ea.* Angeli denique, *Festina, & saluare ibi.* Gen. 19. Si Angeli Lothum dirigunt ad montana, vt inibi à flamma eripiatur, quomodo ipse dixit, *Nec possum in monte saluari?* Si autem in monte saluari verè poterat, cur Angeli non instant, ad montem emittere; sed permittunt ad Vrbem Segor diuertere? Profectò Loth à communitate abstractus, putauit periturum in monte dum solitarius commoraretur, & ideo curat ad Vrbem fugere, vt in communitate tutior esset à flamma. Angeli autem communitatis amatores permittunt eum fugere in Vrbem eius causa eripiendam ab igne: quasi ipsi quodammodò vererentur à communitate abstractum Lothum solitarium in monte periturum? Ediscat religiosus, quam periculosè singularis incedat. 25.

Loth nõ vult à communitate abstrahi, nè singularis in monte pereat. Gen. 19.

OBSERVAT. III.

Ad illa verba:

Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum: venit Iesus ianuis clausis, &c.

Vt solum Thomam ab incredulitatis lupo eripiat Dominus, iterum venit, & quasi iterum vlneratur affectu.

Pro vno etenim homine, si oportet, rursum Dominus totum profunderet cruorem, omne redemptionis pretium impenderet.

CHrysostomus ait, *Vide Domini clementiam, etiam pro vna anima se ostendit, & accedit, vt saluet vnum.* Venit itaque IESVS, vt vnum Thomam ab incredulitatis eriperet lupo. Mirum tibi? Certè, si oporteret iterum veniret in orbem, rursum pro vno homine moriturus. Ideo explicat vulnera. 26. Chrysost.

Preme verba illa: *Infer digitum tuum huc, &* 27.

Propter vnũ Thomam reducendũ in quodammodo iterũ offert redemptionis pretium.

Pejiand. Ioan 20.

& vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum; & noli esse incredulus, sed fidelis. Ioan. 20. Vt exponam præmitto Comici Græci amatorium carmen,

Vulneratus tua specie valde pulchra,
Tuam manum contrectare petij.
O miserum! manus tua contactus
E vulnere nouum sanguinem eduxit.

An non contrectatio infidelis Thomæ manuum nouum, quadammodò sanguinem è vulneribus Domini educebat? Quærit Chrysostomus, Quomodò corpus incorruptibile typos habebat clauorum? Et respondet, Erat hoc condescensionis Domini, vt Discipulum reduceret. Quasi descendit Dominus iterum, quasi manuum contrectatione vulnera refricantur, nouus quodammodò sanguis educitur ob vnicam ouiculam reducendam.

Iesus pro omnibus in Iericho pugnat, pro vno Zachæo in Iericho venit.

Luc. 19.

28. *Venit* IESVS, Vt omnes Discipulos reduceret, *venit* IESVS, vt vnum Thomam ab incredulitate liberaret. Iesus pro vno sic salutarem sanguinem impendit, ac si pro cunctis profunderet. Olim Iesus Naue perambulauit Iericho, vt animæ plurium Hebræorum de belli incommodis eriperentur. Postmodum autem Iesus Christus *ingressus perambulabat Iericho*, vt vnum Zachæum à crimine liberaret. Luc. 19. Cum olim, auctore Origene, Iesus noster militabat in seruo Iesu Naue omnibus pugnans salutem impendebat, nunc vni eandem salutem totam exponit. O ineffabilem Christi charitatem? Ambrosius, *Quis de se desperet, quando ille peruenit ad gratiam.* Aptius nè, *Quando gratia tota peruenit ad istum?*

Ambros.

Totam passionem exponit Pastor cælestis pro vna ouicula.

Luc. 15. Tertull.

29. Parabola de Pastore dimittente nonaginta nouem oues, vt vnicam erroneam requireret huic argumento sæpe accommodata reperitur. Audi an vulgarem locum vulgariter expendam. Ad hæc Tertullianus lib. de Patient. *Erroneam ouem patientia Pastoris requirit, & inuenit, Nam impatientia vnam facilè contemneret.* Non contemnitur ouis erronea, quia vnica; sed tota patientia Pastoris eam requirit liberandam. Vni ouiculæ impenditur tantus patientiæ Pastoris thesaurus? O charitatem! Post redemptas omnes oues, rursum redimere conatur erroneam ouiculam, & patientiam, seu passionem rursus exponit. Postquam ad oues cunctas Dominus venit, & liberauit; ad reductionem vnius Thomæ iterum properat; & qui redimendis omnibus *manus ostendit, & latus*: liberando vni rursum latus & manus exponit: *Vide manus meas.*

Pro omnibus Discipulis qui venerat passurus, pro vno Petro, si opus esset, pateretur.

Marc 16.

30. Illustro cogitationem hanc Domini ad fœminas proloquio. *Ite, dicite Discipulis meis, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis.* Marc. 16. Petrum nominat speciatim. An non Petrus ad Collegium Discipulorum attinebat? Quis ambigat? Cur ergò specialiter nominauit? Certè quia ouis fuerat erronea, ad quam adducendam cœlestis Pastor quam patientiam, seu passionem pro omnibus exposuit, pro vnica oue litabit. Eusebius, *Tu Petre, quem admissi peccati pœnituit, cum reliquis omnibus in conspectum meum prodire non verearis. Ob eam causam nonaginta nouem oues reliqui, atque ad vnam cucurri.* Verbum *cucurri* signat patientis Domini anxietatem. Augustinus enim ad illud Dauidis, *cucurri in siti*, asserit, nunquam futurum Dominum sine siti, quia semper currit insequens peccatores, & eorum saluti illud sitis cruciamentum impendens. Ad Petrum vnum currit, pro vno totam sitim, si oporteret, exponens.

Euseb apud Cassiod.

August.

Christus Cruci scalæ suffixus vni Iacobo liberando offertur.

Gen. 28. Zeno.

31. Iacobea Scala Crucis IESV obtulit simulachrum. Dormiens vnus Iacob *vidit Scalam stantem super terram, & Dominum innixum scalæ dicentem sibi, Ego sum Dominus Deus Abraham.* Genes. 28. Vbi D. Zeno serm. 8. de Somnio Iacob, ait: *Scala proprio nomine Crux vocatur, quia per ipsam Dominus* IESVS *Christus ministeria conficiens Patri & Adam reportauit, & iter ad cœlum omnibus sequentibus se patefecit.* Christus crucifixus vni Iacobo apparuit, & pro vno fructus suæ passionis liberando, ac custodiendo impendit. Quia tanta est Saluatoris pietas, vt qui omnibus cœleste iter aperuerit, speciatim vnum Adam erroneam ouiculam *reportauit*: & pro vno totam, si opus esset, passionem exhiberet.

OBSERVAT. IV.

Ad illa verba:

Deindè dicit Thomæ, Infer digitum tuum huc, &c.

Non percutit incredulum Thomam, sed ei dicit.

Quia verbis dulcibus, non vulneribus peccatoris durities est emollienda.

Prælatorum mansuetudinem commendo.

Theoph.

32. THeophylactus, *Dicit ei* IESVS, *Infer,* &c. *Et qui prius durus & infidelis post fidelis Theologus ostenditur, duplicem naturam & vnam hypostasim Christi edisserens.* Vndenam tam mirabilis mutatio? Ex infideli duro Theologus fidelissimus veritatis assertor? Certè quia *ei dicit Iesus*, non vulnerat. Haud aptè peccatoris durities vulnere emollitur inflicto, quæ quidem dulci verbo facilius conteretur.

Reprehenditur Moses, quod fontes Saluatoris verbis suauibus non aperuerit.

Isa 12. Ioan. 4.

Num. 20.

Nyssen.

33. Isaias pulchrè, *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Cap 12. Quinam Saluatoris fontes? Crediderim illos, de quibus Dominus, *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Ioan 4. Nullus est peccator, in quo fons non possit aperiri. Si ergo homines Saluatoris fontes, hi profectò aperiendi sunt in mansuetudinis gaudio, non in mœrore asperitatis. Aquæ *in gaudio* aut in mansuetudine facilius educuntur. Illustro ea Moysi piaculo. *Tolle virgam* (ait Dominus) *& congrega populum tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas.* Petra virga percutitur non semel, aquæ profluunt, Dominus autem ita affectus, *Non introducetis,* ait, *hos populos in terram, quam dabo eis.* Num. 20. Cur Dominus irascitur? D. Nyssenus, *Dominus irascitur Moysi, quod cum increpatione populum in concionem vocare, coramque petram*

petram alloqui, alio diuina potentia instrumento vsus est. Vt aquas educas ex Saluatoris fonte, ex lapideo pectore peccatoris in fontem Domini conuertendo, verba blanda sufficiunt, non opus virgæ percussione. Aspectui obiiciatur virga potentiæ, supplicij, sed minimè vulneret peccatorem si verbis suauibus emollescit.

34. Daniel expressit arboris simulachrum, *Ecce arbor, & folia eius pulcherrima: & fructus eius nimius, & esca vniuersorum in ea; subter eam habitabant animalia, & bestiæ.* Cap. 4. Ad quæ D. Thomas, *Sub folio pulchro animalia sibi inimica, vt lupus, & agnus: columba, & vrsus pacifica erant. Quia verba sapientium inimicos reconciliant.* Quænam sapientum verba? Ea quidem, quæ arboris illius in morem, & folia, & fructus, & escam efferatis hominibus exponunt. Verba ergo sapientis, quæ suauiter peccatorem (emolliunt, & quasi inuitant ad conuiuium) huiusmodi metamorphosim operantur.

Verbis dulcibus indomita animantia mansuescunt. Dan 4. Thom.

35. Esther precatur, *Tribue*, ô Domine, *sermonem compositum in ore meo in conspectu Leonis.* Cap. 4. Vt posset fœmina Leonem conuertere in agnum, postulat compositum sermonem. An non aptius ignem in manibus Leoni horribilem postularet? Certè compositus sermo emollit Leonis feritatem. Quid autem sermo compositus? Dionysius Carthus. *Sermo ornatus, seu audienti beneplacens,* id est, verba suauia. Suauis etenim reprehensio Leonem assolet conuertere in agnum.

Sermone blando Esther ru Leo Assuerus mansuetudine donatur. Est. 4. Carthus.

36. Dauid conuertendus, siue eruendus ab ore Leonis, proclamabat, *Conuertere Domine, & eripe animam meam.* Psalm 6. Faucibus Leonis misera anima recluditur, eripe obsecro. Quanam vi? An Deitatis potentia flagellante? An horribili dominatione? An Iudicis minis? Certè hominis, serui, patris mansuetudine. *Conuertere Domine.* Chrysologus serm. 45. *Conuertere de Deo in hominem, de Domino in seruum, de Iudice in patrem. Vt pium precatorem conuersio te demonstret, quem potestas terribilem comminatur.* Tunc anima mea te conuerso protinus conuertetur. Nam pia precatio, sermo dulcis superat horrorum eloquentiam.

Dum Deus conuertitur de irato in mansuetum, peccator Dauid cõuertitur in iustũ. Psalm 6. Chrysol.

37. Immittitur Verbum Iudicis munus administrare, & ideò dulciter curat intonare. *Propterea* (ait Isaias) *expectat Dominus, vt misereatur vestri, & ideo exaltabitur parcens vobis; quia Deus iudicij Dominus.* Cap. 30. Si Deus iudicij, quomodo expectat, vt misereatur. Quia si Iudicem cum agit homines adducit ad rectitudinem: numquam tam potenter homo adducitur ad rectum, quam cum Verbum dulciter loquitur, misericordiam profundens. Athanasius serm. 3. cont. Arria. *Cum iam opera extarent, & necessarium erat ea alicuius administratione castigari: tum demum Verbum se se dedidit, vt condescenderet.* Verbum se se dat, dum sermone dulci peccatores castigat, & ad meliorem mentem adducit. Numquam enim tam strictus Iudex ad castigationem peccatoris, quam dum suauis deprecator.

Dum Verbũ dulciter loquitur peccatores ad frugem meliorem reducuntur. Isa. 30. Athan.

OBSERVAT. V.

Ad illa verba:

Respondit Thomas, Dominus meus, & Deus meus.

Quam citò incredulus Thomas, fidei Magister Christicolis exponitur.

Profectò peccator obduratus licet, qui Christo accedit, citò desinit esse peccator. O præsentia Dei emolumenta!

QVi profabatur, *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam:* vnde accusabilis, & infidelis ostenditur, vti aut Chrysost. iam se infidelium Magister Theologus eximios ostentatur, Theophylacto profante, *Qui prius fuerat infidelis, iam optimum se Theologum ostendit, duplicem naturam, & vnam hypostasim Christi edisserens. Dicens enim Dominum, naturam humanam: dicens Deum, diuinam confessus est in vno & eodem.* Quæsierim vndenam tam repentina conuersio peccatoris? Respondet idem Doctor, *Venit Dominus, en clementiam.* Ac si diceret, ex aduentu Domini illuminatum fuisse Apostolum. Accessit ad Christum? Quid mirum ad conuersionem properasse, ex increduloque Magisterium fidei exposuisse. Peccator enim, qui accedit ad Christum, iam desinit esse peccator. 38.

Chrysost. Theoph.

Proclamat Sponsa, *Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decolorauit me Sol.* Cant. 1. Legit Ambrosius, *Quia non est intuitus me Sol.* Tota animæ fœditas ex Solis absentia. Quid si Sol intueatur? Si ad eius præsentiam peccatrix accedat? Cœlesti pulchritudine illicò decorabitur. Addit opportunè Doctor, *Ergò fuscamur, quando non videmur à Christo: sed quando videmur albescimus.* 39.

Qui à Iesu, absito scilicet, non aspicitur, denigratur, aspectatus albescit. Cant. 1. Ambros.

A Solis conspectu recesserat Petrus, & ter Dominum abnegauit. Adamus, *Ecce quomodo obscuratum est aurum illud, de quo in Canticis, Caput eius aurum optimum.* Alij, *Aurum Cephas.* Cephas, seu Petrus, aurum optimum denigratum est crimine; quia non est intuitus eum Sol. Accedit ad Christum, Sol adest, Petrus albescit, *Conuersus Dominus respexit Petrum, ille autem continuo exiuit, & fleuit amarè,* Matth. 27. 40.

Petrus recedens à Iesu obscuratur, accedens albedinem recuperat. Adam. Cap. 6. Matth. 27.

Lucas scripsit, *Erant appropinquantes Domino publicani, & peccatores, vt audirent illum, & murmurabant Scribæ, & Pharisæi dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Cap. 15. Quæritur à Doctoribus, an calumnia irrogetur in Dominum? An mendacio expresso scribæ ac Pharisæi de Domino conquerantur? Asserunt, veritatem obiicere hostes; quia Dominus cum peccatoribus, quos recipiebat manducabat. Ego autem crediderim, mendacio laborare illam sententiam: *Hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Recepit quidem peccatores, sed cum peccatoribus non manducat; quia accedentes ad Christum, illicò desinunt esse peccatores. Fauet Chrysologus serm. 168 41.

Christus recipiebat peccatores, sed non manducabat cum illis; quia recepti, desinebant esse peccatores. Luc. 15. Chrysol.

serm. 168. *Recipit peccatores Deus, sed Deus peccatores esse non sinit, quos recipit. Peccator Deum non violat appropinquans: Deus peccatores sanctificat.* Vnde si recipit peccatores, iam cum iustis incipit manducare.

43. Fatur Dominus, *Ego sum via, qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Sicut cecinerat Dauid, *Accedite ad Deum, & illuminamini.* Audi Isaiam. *Et erit ibi semita, & via, & hæc via sancta vocabitur, non transibit pollutus per eam* Cap. 31. An non Dominus peccatores inuitat ad Regnũ? An non via hæc iustos admittit, & peccatores? Quomodo ergo pollutus per eam non trãsibit? Certè quia Christus via est, & illud ipsum inire hanc viã, est è peccatore in iustum conuerti. Guarric. Abbas serm. 5. de Adu. *Veniat quamlibet pollutus ad eam, non transibit pollutus per eam; quia cũ transire cœperit, iam pollutus non erit. Admittit sane via sancta pollutũ, sed statim abluit admissum.* Pulchrè.

Christus via recipit peccatores, sed peccatores non manent per hãc viam quia desinunt esse peccatores. Isa 31. Guarric.

43. Christus peccatores admittit? Iam desinunt esse peccatores. Erat Zachæo *census ex fraude,* vt ait Ambrosius. Attamen Dominus *ingressus perambulabat Iericho, & ecce vir nomine Zachæus quærebat videre* IESVM, *quis esset.* Luc. 19. Via ad Zachæum accedit, vt qui diu aberrauerat, viam iam salutarem instituat. Titus Bostren. *Numquam* IESVM *Zachæus viderat. Si enim vidisset, iam dudum recessisset à nequitia publicana.* Quia illud ipsum videre IESVM seu viam inire, iam est à via recedere iniquitatis. Vnde videns IESVM, mox proclamat, *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus,* &c. Dominus autem, *Hodie salus domui huic facta est.*

Zachæus dũ intrat hãc viã, desinit esse peccator. Luc 19. Ambros. Titus.

Generationis IESV in libro Matthæus parentes recenset peccatores, Dauid autem genuit Salomonem ex ea quæ fuit Vriæ; memoratque Rahab, Thamar. Cap. 1. At Lucas à peccatorum abstinet mentione. *Qui fuit Dauid,* &c. Cap. 3. Cur Matthæus peccata obiicit, Lucas peccatorum memorat abolitionem? Crediderim, quia Matthæus exponit parentes peccatores ad IESVM vocatos, Lucas sanctos ex salutari inita via effectos. D. Anselmus. *In generationibus Matthæi significatur nostrorum susceptio peccatorum à Christo Domino; in generationibus autem Lucæ nostrorum abolitio peccatorum.* Suscipit peccatores Dominus, simulque piacula abolet. Vt præsentiæ Dei vtilitas ineffabilis prædicetur. 44.

Christus ad generationis iter admittens peccatores, eos efficit iustos. Matth. 1. Luc. 3. Anselm.

LIBER

LIBER DECIMVS.

COLLOQVIVM IESV CVM PHARISÆIS, CAPERE EVM IN SERMONE PROCVRANTIBVS.

PARAPHRASIS, ET COMMENTARII literales ad caput vigesimum secundum Matthæi.

Panegyrici Morales circa literam in Iesum colloquentem.

PROLVSIO.

INITO Pharisæi consilio ad persecutionem IESV nouam artem excogitant: & coniuncti cum Herodianis, vt IESVM caperent in sermone, quæstionem ei de censu Cæsari persoluendo, proponunt: quam quidem, detecta illorum fraude, prudenter absoluit. Pulchrè Periander cecinit tributa Regibus præparata aut ex ipsorum auaritia, aut egestate ortum habere. Cæsari mundiali tributa soluantur, Deo autem Regum Imperatori hominum animus pro tributo exponitur. Liberalissimus enim & diuitiis affluens, terrena despicit vectigalia. Profectò Deiparens Regis cœlestis, hominum Angelorumque *Regina astitit à dextris tuis.* Psalm.44. Eius famuli tributis minimè pergrauantur, quia liberalitate ornatur, diuitiis diffluit. Bellè Richardus lib.6. de Laud. Mar. *Regina Maria non grauat tributis, sed largitur seruis suis diuitias, dona gratiarum, vestes virtutum, thesauros meritorum, & magnitudinem præmiorum. Vnde ipsa dicit Prou.8. Mecum diuitiæ & gloria.* An ex auaritia tributa exiget? *Liberalis est, quia liberalitas est, virtus omnibus exposita, communis alloquio, dulcis obsequio, omnium bonorum familiaritatem retinens.* Cæsari ergo temporia tributa soluantur egenti: à Maria autem Regina prædiuite, ac munificentissima diffluentes thesauri gratiarum recipiantur.

Dominici vitalis ligni FRVCTVS DECIMVS.

Periand.

Ps.44.

Richard. Laurent.

MATTHÆVS CAP. XXII.

VERS. 15. TVNC abeuntes Pharisæi, consilium inierunt, Vt caperent IESVM in sermone.

16. Et mittunt ei Discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister, scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum.

17. Dic ergò nobis, quid tibi videtur? Licet censum dari Cæsari, an non?

18. Cognita autem IESVS nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ?

19. Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium.

20. Ait illis IESVS: Cuius est imago hæc, & superscriptio?

21. Dicunt ei, Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergò quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.

PARAPHRASIS.

15. POST *Parabolarum expressionem Pharisæi ira ex liuore concepta dissimulata abeunt, & communicato inter ipsos consilio, placuit, vt proposita quæstione ex responso Dominus caperetur: fieretque obnoxius Principibus, vt per illos veluti Maiestatis reus, ac seditionis autor occideretur.*

16. *Subornant itaque aliquot ex suis Discipulis, qui præsentibus Herodianis, ac frequenti hominum multitudine, ne res careret testibus: blanda oratione illum illicerent in sagenam. Magister, inquiunt, nouimus te veracem, nec assentari cuiquam: sed magna cum libertate doces, quod Deo placitum est, non quod hominibus videtur. Non enim vereris quemquam mortalium, nec est apud te personarum respectus.*

17. *Dic ergo nobis, quid tibi videtur? Fas nè est, vt Iudæorum populus diuinæ religioni deditus pendat censum Cæsaris, an non? Et dabimus pro hac, an non dabimus?*

18. IESVS *autem, vt ostenderet se non fallere illorum insidiosam blandiloquentiam, Quid me, inquit, tentatis hypocritæ;*

19. *Ostendite mihi numisma census. Obtulerunt igitur denarium, qui Cæsaris imaginem habebat, ac titulum.*

20. *Nummo autem conspecto, quasi parum huiusmodi literas agnosceret, qui cœlestia tractabat: rogauit, cuius esset inscriptio, & cuius imago.*

21. *Responsum est, Cæsaris. Tunc* IESVS, *Reddite igitur, inquit, Cæsari, si qua sunt Cæsaris: sed in primis reddite Deo; quæ sunt Dei. Significans, nihil officere pietati, si quis Deo dicatus det profano Principi tributum, etiam si non debeat, malens obsequi, quam prouocare.*

SECTIO

SECTIO PRIMA.

Pharisæorum Quæstio.

TEXTVS.

VERS. 15. TVnc abeuntes Pharisæi, consilium inierunt, vt caperent Iesum in sermone. 16. Et mittunt ei Discipulos suos cum Herodianis dicentes: Magister, scimus; quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum. 17. Dic ergo nobis, quid tibi videtur? Licet censum dari Cæsari, an non?

COMMENTARIVS LITERALIS

§. I.

De consilio Pharisæorum contra IESVM.

1. *Contextus.* TVNC *abeuntes Pharisæi, consilium inierunt.*] Postquam Dominus de Vinea, de Nuptiis parabolas Principibus Sacerdotum, & Pharisæis expressit in inuidia obstinati abierunt, ineuntque consilium inter se, ac decreuerunt Christum eo adducere captiosa interrogatione, vt aliquid aduersus Cæsarem proferret. Conatur planè Christum in crimen læsæ Maiestatis impellere, de quo illum possent accusare. *Hilar.* Hilarius, *De malitiæ affectu in omnem se inquisitionem reperiundæ accusationis extendunt, an violaret seculi potestatem, de proposita interrogationis conditione pertentant.*

2. *Pharisæorū intentio.* *Vt caperent eum in sermone.*] Græcè, *παγιδεύσωσιν αὐτὸν ἐν λόγῳ*, hoc est, *vt illaquearent eum ipso sermone tanquam laqueo.* Si quidpiam diceret, quod Cæsarem offendere videretur. Certè inito consilio, decreuerant, si aliquod verbum proferret, quod Cæsarem læderet, illum Cæsaris Præsidi Pilato tradere. *Luc. 20.* Lucas, *Vt traderent illum Principatui, & potestati Præsidis.* Cap. 20. Scilicet Pilati.

3. *De Discipulis Pharisæorum.* *Mittunt ei discipulos suos cum Herodianis.*] Lucas, *Mittunt ad Christum insidiatores*, qui se iustos proferrent. Simulabant autem, se iustos, quia quæstionem de tributi soluendi iustitia proponebant. Marcus asserit, missos quosdam ex Pharisæis, quia Pharisæorum discipuli Pharisæi erant.

4. *Quinā Herodiani? Quatuor opiniones.* Quinam Herodiani extiterint? An dicti Herodiani, quod Herodem primum Regem Messiam esse putarint? Ridiculam Hieronymus vocitat opinionem. *Hieron.* *Quidam Latinorum ridicule Herodianos putant, qui Herodem Christum, id est, Messiam esse credebant, quod nusquam omnino legimus.* At non tam ridiculam esse putauit, cum Dial. adu Luciferia. assertiue scripsit, *Herodiani Herodem Regem suscepere pro Christo.* *Epiph.* D. Epiphanius hær. 20. affirmat apertè, hæresim quandam fuisse Herodianorum, qui Herodem Messiam sibi stultè extitisse persuaserunt ex illo loco: *Non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat, qui mittendus est.* Gen. 49. Subscripsere *Tertull. & alij.* Tertullianus lib. de præscrip cap. 45. Victor Antioch. Mar. 12. Damascen. lib. de hæres. Theoph. Euthym. & alij. An dicti Herodiani, quia milites Herodis? Sic *Hieron. & alij.* Hieron. Chrysost. Theoph. Euthym. & alij. Nam licet Herodes Tetrarcha erat Galilææ, milites que in Galilæa habebat, non Ierosolymis, vbi laquei Domino parabātur: Herodes illis diebus, Paschati proximis Ierosolymis aderat. An vocati Herodiani per illusionem à Pharisæis ij, qui tributa Cæsari soluebant? Sic *Hieron.* Hieron. An Herodiani Herodis ministri, qui tributa colligebant? Sic Eusebius Emiss. *Euseb. Emiss.*

5. *De quatuor opinionibus censura.* Profectò secunda non placet opinio, quia si milites fuissent, milites Matthæus appellasset, non Herodianos. Nec tertia, quia Cæsariani, vel Romani potius, quam Herodiani appellari debuere, quod tributum Cæsari Romanorum Imperatori soluerent. Nec quarta, quia non est verisimile, Phariseos tributi exactores ipsos secum ad rogandum Christum adduxisse. Magis primam probarem, quia ex Epiphanio constat sectam Herodianorum fuisse.

6. *Authoris sententia. Herodiani Aulici Herodis.* Attamen verosimilius assero Herodianos appellari Aulicos ex domo Herodis. Aderat hisce diebus Herodes Ierosolymis, hærescebant Regi de more Aulici. Ex Euangelio Syriaco confirmo, quod pro *Herodianis* עם בני ביתה דהרודס *Shim debeth hirandis*, idest, *cum iis, qui erant de domo Herodis*, vel *cum domesticis Herodis.*

Cur Aulicos Pharisæi suis Discipulis addixere? Quorsum Aulicos Herodis socios discipulis suis Pharisæi addixere? Crediderim, vt suspicionem simulationis effugerent, testesque dictorum haberent, & apud Herodem accusatores Christi, si non soluendum esse Cæsari vectigal profateretur. Theophylact. & Hieron. putauere, adductos Herodianos, vt Christum comprehenderent. Porrò Pharisæi non curabant Christum deterrere militibus, sed blanditiis illum illicere conabantur, vt responderet, non deberi Cæsari vectigalia.

§. II.

Discipulorum Pharisæorum proloquium.

7. *Quò tenderet Pharisæorum adulatio?* MAgister *scimus, quia verus es.*] Theophyl. *Adulantur, vt lactatus dicat, Cæsari non deberi tributum.* Magistrum appellant, veracem esse affirmant, viam Dei docere in veritate aiunt, fideliter ac verè, nulla admixta falsitate. *Et non est tibi* (addunt) *cura de aliquo; non enim respicis personam hominum.*] *Theoph.* Neminem curas, neminem metuis, liberè quod sentis effaris; personarum acceptor non es. Hominum personam, seu faciē (quod Marcus) non respicis. Aiunt hi adulatores, Christum hominum personam non respicere, propterea que rectè de tributi solutione iudicaturum. Oportebat enim in hac causa Cæsaris personam non respicere, sed Deum aspectare. Hieron. *Blanda, & fraudulenta interrogatio* *Hieron.*

illuc prouocat respondentem, vt magis Deum, quam Cæsarem timeat, & dicat, non debere tributa solui.

8. *Vndenam Hebræorum tributa hæc?* *Licet censum dare Cæsari, an non?*] Post adulationem laqueos tendunt. Rogitant, num licitum sit, Tiberio Cæsari soluere tributa? Hyrcani & Aristobuli fratrum causa ad Pompeium delata est. Oppugnauit Pompeius Templum, & vi cœpit, Iudæos verò Romanis fecit stipendiarios. *Ioseph.* Iosephus lib 14. Antiq. cap. 8. *Tunc primùm libertatem amisimus, subiecti Romanorum Imperio.* Postmodum Archelao in exilium misso, Iudæa, cui imperabat, in Prouinciam redacta, & Romanorum Imperio, tributoque magis subiecta est. *De Iuda Galilæo.* Iudas quidam Galilæus hanc subiectionem animo tulit iniquo, proclamans vtique, censum Romanorum nihil aliud esse, quam manifestam seruitutis professionem: & Iudæos ad tuendam libertatem adhortabatur. De hoc Iuda fit memoria Apostolicis Actibus. *Act. 5.* *Exstitit* (ait Gamaliel) *Iudas Galilæus, in diebus professionis, & auertit populum post se. Et ipse periit, & omnes, quotquot consenserunt ei, dispersi sunt.* Cap. 5. Lege Iosephum citat, cap. 1. *Ioseph.*

Fatur Deus Hebræis, *Non erit meretrix de filiabus Israel.* Deut. 23. L X X. *Non erit vectigal de filiabus Israel.* Tertullianus autem lib. de pudicit. cap. 9. *Non erit vectigal pendens ex filiis Israel.* Vnde colligunt aliqui, non licuisse Israelitis Cæsari rependere tributum. At sensum ex septuaginta lectione sic expédo. Non erit vectigal pendeńs ex filiabus Israël, videlicet ex impudicitia, & lupanaribus. Profectò verba hæc ex versione septuaginta non probant, haud Iudæis licuisse, tributa soluere. Equidem Pharisæi fingunt se scrupulo pungi circa tributorum solutionem. Erat enim Iudæorum populus Dei populus; quam ob rem fas non esse videbatur Romanorum Imperatori Ethnico tributum pendere, seruitutemque profiteri. Huiusmodi ergo simulatione pietatis vulpes pergunt ad Christum, vt alliciant ad tributorum damnationem. 9. *An licuit Hebræis tributo soluere?* Deut. 23. Tertull.

IN
IESVM COLLOQVENTEM
PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS
CIRCA LITERAM,
EX PHARISÆORVM QVÆSTIONE.

OBSERVAT. I.
Ad illa verba:
Mittunt ei Discipulos suos cum Herodianis.

Vt Pharisæi Christum deciperent, visi sunt proficere posse, si Herodianos aulicos allocuturos eum immitterent.

Ad seductionem enim (si possibilis esset) IESV, nil aula accommodatius.

10. *Aulicos Prædicatores sacro.* *Maldon.* DE Herodianis sic Doctorissimus meus Maldonatus, *Opinio probabilis est eorum, qui suspicantur, aliquam Herodianam, id est, aulicam fuisse sectam eorum, qui Regi Herodi adulabantur, cui, modo Regnum suum conseruaret, omnis religio bona erat; quales hodie sunt, quos vulgo Politicos appellamus.* Hos igitur Pharisæi cupientes IESVM in sermonem capere, expetentes vtique decipere, locuturos immittunt. Ad architectandam enim seductionem, aptissimum instrumentum est aula.

11. *Aulici vel Reges ipsos decipiunt.* *3 Reg. 13.* *Ioseph.* De aulico quodam Prophete dicitur, *Propheta autem senex quidam habitabat in Bethel.* 3. Reg. 13. Bethel ad Regis Ieroboami ditionem pertinebat, vbi Rex diu morabatur. Audi Iosephum lib. 8. Antiq. cap. 9. *Erat in Ciuitate senior quidam malignus homo, falsusque Propheta. Quem Ieroboam magnis studiis honorabat; cum eo dicente quæ illi grata forent, crebro deciperetur.* Aulicus est? Mirum esset si ad decipiendum vel Regem ipsum adnatum ingenium non haberet. Aulicæ enim sectæ munus decipere.

Cum Rex Achab contra Regem Syriæ dimicaturus esset, à suis Prophetis quæsitauit belli euentus. *Rex Israel, & Iosaphat Rex Iuda sedebant vnusquisque in solio suo, vestiti cultu Regio, & vniuersi Propheta prophetabant in conspectu eorum.* 3. Reg. 22. An vera annunciauerint? Michæas, *Ecce dedit Dominus* (Regibus hisce inquit) *spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum tuorum.* Ibid. Quidam ingeniosus Interpres, *Dedit Dominus spiritum aulæ in ore Prophetarum tuorum.* Quinam aulæ spiritus nisi mendacium, & seductio? Dum Reges aula in Regia Prophetas exaudiunt, non possunt non seduci. Vult Rex veritatem exaudire, vt ad frugem se meliorem recipiat? Ab aula recedat, aulica ornamenta abiiciat. 12. *Spiritus aulæ est, omnes inclinare, & allicere ad mendacium, & seductionem.* 3. Reg. 22.

Achab Rex aliquandò expetiit veritatis dogmate erudiri, & cilicio se operuit, aulicis indumentis se excipiendo. Petrus Damiao. lib. 6. epist. 14. *Ecce Achab in periculis purpura decoratur, & reprobo spiritu aulicorum decipitur. Cilicium induit, & gladium diuini furoris euertit. Regalibus infulis redimitus, laqueo deceptionis impingitur.* Si Rex cupit veritatis dogmata exaudire, se simulet, mutato vestimento, cum vulgaribus adnumerandum. Nam apud aulicum splendorem, omnes decipient. 13. *Vt Achab audiat sine seductione veritatem, sed aulico exuit indumento.* Damian.

Si

14\. Si Rex Herodes sæpe audiuit præscripta veritatis, *Non licet tibi, ô Rex, habere vxorem fratris tui.* Ioannes Baptista Prædicator eximius è deserto egreditur. Imò (aliquo interprete optimæ notæ, asserente) non discedit à deserto, sed inibi vociferatur aduersus Regis impudicitiam. *Et venit in omnem Regionem Iordanis prædicans.* Luc. 3. Profectò si Regis (vt certum arbitror) præsentiam subiit, eum ex aula egredientem expectasse reor. Nam sicut Moses, vt oraret, è regia Pharaonis egrediebantur, Ioannes vt prædicaret, aulam Herodis non ingreditur. Oratio enim, & veritas haud possunt in aula resonare.

Vt Ioannes non seduceret, nec mentiatur cum prædicat, non ingreditur aulam. Luc. 3.

15\. Audiendus Ioannes alter, *Ego Ioannes frater vester, & particeps in tribulatione, & Regno, & patientia in Christo* IESV, *fui in insula, quæ appellatur Pathmos, propter verbum Dei, & testimonium* IESV. Apoc. 1. Cur Ioannes memorat, se apud insulam Pathmos habitasse *propter testimonium* IESV? Certè, vt testimonium verax haberetur. Ac si diceret, Haud in aula, Regno mundiali, habito, haud in Regia Vrbe Ierosolyma prædico: sed in deserto, dum spirituali Regno tribulationis fungor. Ideo verum meum testimonium debet haberi. Andreas Cæsar. *Merito apud vos fidem, & authoritatem obtinere debeo. Igitur propter testimonium Iesu Christi ad insulam Pathmos relegatus, & vbi ætatem agerem condemnatus: mysteria, & arcana, quæ in illa vidi, vobis annuncio.*

Ioannes Euangelista commendat a veritate reuelationem suam, quia in deserto eam audiuit, non in Palatio, aut in Regia Ierosolyma. Apoc. 1. Andr. Cæs.

16\. Petrus in Palatio seductus à fœmina didicit mentiri, & seducere, abnegans se Domini Discipulum. At *Dominus conuersus respexit Petrum, ille autem egressus foras, fleuit amare.* Matth. 26. Et cur non flet in Palatio? Respondet Hugo Victorinus apud Hugonem Card. *Egressus foras est, vt haberet locum liberum flendi.* Qui mendacio grauissimo se in aula polluerat, debebat veritatis assertor lacrymis abluere seductionem. At in Palatio pœnitentiam non agit, sed foras egreditur; quia non poterat quodammodo in aula veritatem manifestare, vbi mendacij ac seductionis natalitium. Hinc Hieronymus, asserit Petrum egressum fuisse, *quia in domo Caiphæ non poterat agere pœnitentiam.* Cur non poterat? Quia vt pœnitentiam ageret de præterita seductione ac mendacio, debebat assertor veritatis exsurgere. Quomodo autem veritatem tueretur in aula? Egressus itaque foras est, *vt haberet locum liberum flendi.*

Vt Petrus qui in Palatio seduxit, de seductione pœniteret, à Palatio egreditur. Matth. 26. Hugo Victor. *An in Palatio potest quis veritatem exprimere?*

17\. Cum Ægyptus tota ranis scateret, & Pharao flagitaret à Mose, & Aaron, vt plaga aboleretur; promisere Diui ranarum interitum, quia Pharao etiam Hebraici populi liberationem spopondit. *Egressique sunt Moyses, & Aaron à Pharaone. Et clamauit Moyses ad Dominum pro sponsione ranarum, quam condixerat Pharaoni.* Exod. 8. Quare ex aula Moyses oraturus egreditur? Hugo Card. *Oraturi exeunt Moyses, & Aaron à Pharaone; quia commendabilem reddit orationem sequestratio à malis.* Attamen premo illam accuratius particulam: *Et clamauit Moyses ad Dominum pro sponsione.* Promiserat, se Ægyptum à ranis liberaturum. At vt rata esset sponsio ab aula egreditur. Ac si timeret quodammodo Moyses, sponsionem suam futuram mendacem ex aulicorum consortio. Egressus ergo est à Palatio, ne haberetur seductor, dum promittit; *quia commendabilem reddit promissionem sequestratio ab aula,* vbi rarus est, qui non seducat. Ergo appositè Pharisæi Herodianorum, seu aulicorum ministerio curant, consilio inito, Christum seducere, *vt capiant eum in sermone.* Vereor, equidem, ne Prædicatores aulici, potius debeant seductores appellari, quam præcones veritatis.

Moyses ex aula egressus est, quodammodo timens, ne falso cum seductione promisisset ranarum extinctionem? Exod. 8. Hugo Card.

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Magister scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces.

Exerunt Pharisæi dæmonis personam, qui quidem vt tentet, genio se accommodat eorum, quos aggreditur.

Vbi de adulatoribus omnium sese, instar Dæmonis, gustui aptantibus.

Solertiam dæmonis non ignoras, genio sese accommodantis eorum, quos tentare nititur. Profectò Pharisæi dæmonis astum imitantur, vt tentatores Christum, cum valeant in sermone capere. Sciebant, Christum de sua veritate, seu veracitate gloriari, & ideo præmittunt, *Scimus, quia verax es.* At conantur vt asserat, non licere Imperatori censum exigere. Hosce equidem etiam imitantur quicumque curant adulatione homines demulcere, eorum enim se genio accommodare student. Ait D. Gregorius lib. 14. Mor. cap. 7. *Intuetur inimicus generis humani vniuscuiusque mores, cui vicio sunt propinqui; & illa apponit ante faciem, ad quæ cognoscit facilius inclinari mentem.* 18.

Gregori.

19\. Curat diabolus Iudam ad proditionem incitare & à Collegio deturbare Dominico. An studet ad libidinis piacula allicere? Minimè planè. Dauidem libidinis laqueo cepit, at Iudam auaritiæ vinculis colligauit; quia explorator agnouerat, vnde nam oriaret exædificatio. *Cum diabolus misisset in cor vt traderet eum pretio Iudas* auaritiæ vitio addictus. Ioan. 13. Isidorus Pelu. lib. 3. epist. 385. *Non simpliciter adoritur callidus ille prædo eos, qui hoc tempestatis plenum mare nauigant. Verum explorat prius, atque cognitis animæ propensionibus, & appetitionibus, ita demum aggreditur, ac machinas suas instruit. Quid enim est, quamobrem Iudam non ad libidinem, sed ad proditionem impulerit? Nimirum partem illam præsidiis firmatam viderat; eam autem, quæ ad auaritiam pertinebat, infirmam, & imbecillam. Ex crumena enim furto venit in spem fore, vt ipse ad proditionem quoque facile se conferret.*

Diabolus Iudam non allicit ad libidinem, sed ad proditionem: quia agnouerat eum auarũ. Ioan. 13. Isidor. Pelus.

20\. Christus ad deserta properat, ieiunio quadragesimali se munit aduersus diabolum. *Et cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta*

Christum curat famo

tentare, quia videat esurientem. Matth 4. Imperf.

noctibus postea esuriit: & accedens tentator dicit ei: Dic, vt lapides isti panes fiant. Matth 4. Cur ad gulam eum nititur allicere? Certè quia explorator viderat eum esurie affectum. Auctor Imperf. hom 49. *Diabolus desiderium vniuscuiusque considerat, & secundum quod viderit hominem desiderantem aliquid, ex eo accipit occasionem tentandi. Vnde & Christum cum esurientem vidisset, tentauit in fame.*

Serpentem diabolus instruit contra fœminam, quia videras ei in delicijs esse. Gen. 3. Procop.

21. Fatur Moyses, *sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, qui dixit,* &c. Gen. 3. Quæsierim, cur serpentem Diabolus vt fœminam deciperet, instruxerit? Profectò serpens cum illum Deus effinxit haud incutiebat horrorem, nec hominibus inuisus gradiebatur: potius familiaris, & amicus, quem mulier præ cæteris diligebat. Vnde Procopius, *serpens erat gratus mulieri, eumque ceu delicias tractabat.* Videns igitur explorator ingenium fœmineum ad serpentis affectum inclinari, serpentem aduersus eam instruere satagit. Damascenus lib. 2. de Fid. cap. 10. *Serpens præ cæteris animalibus familiaris homini erat, ad ipsum frequenter accedens, eique placidis corporis motibus blandiens: vnde per ipsum Princeps mali diabolus primis nostris parentibus impietatis suæ venena instillauit.* Vnde diabolus videt hominis blanditias exprimi, curat tentamina præparari.

Damasc.

Quia diabolus vidit, fœminam dolere, se viro postpositam: obtulit ei independentiam, ac præcedentiam Deitatis. Gen. 3. Ambros.

22. Fœmina se viro præpositam videbat post ipsum & ex ipso exædificatam. At diabolus mulieri facile insultauit, ei Diuinitatem offerendo. *In quocumque, ait, die comederitis ex eo, eritis sicut dij.* Gen. 3. Vbi Ambrosius lib. de Parad. cap. 12. Est via prima, vt decipiatur, dum conditione sua maiora desiderat. Itaque machinatus est, vt non primò Adam adoriretur, sed Adam per mulierem circumscribere conaretur. Non adorsus est eum, qui vt Princeps coram accepit cœleste mandatum; sed eam adorsus est, quæ subdita *à viro didicerat.* Vt scilicet, quæ se dolebat viro posthabitam, prior Deitatis independentis audiens promissionem, facilè vinceretur, virumque alliceret ad piaculum.

Vel ab ipsa charitate in Deum præstantia curat diabolus ansam arripere, ad tentandum.

23. Quid si diabolus ab ipsa charitate, qua Protoplasti erga Deum afficiebantur, ansam arripuerit ad tentamina? *Eritis,* inquit, *sicut dij.* Gen. 3. Amor quidam ardens præcordiis Adami, & Euæ accensus est à conditione, quo in Deum transformari cupiebant. Id enim expetit dilectio, dilecti referre proprietates. Cum ergo diabolus nihil infirmum recognouit in muro, ad ipsam fortissimam arcem infirmandam accurrit, curans ex ipsa dilectionis præstantia ansam ad tentamina arripere. Expetitis in Deum dilectum transformari, eiusque proprietates referre? Comedite, vt sitis velut *dij scientes bonum, & malum.* Pulchrè Procopius, *Deus cum fingeret hominem, licet multarum rerum scientia eum excoluerit: attamen inter cætera sui desiderium ei ingenuit. Cuius fomitem, vel scintillam diabolus in homine deprehendens, vt eum magis inescaret, & ad vetitum pertraheret, inquit: Eritis sicut Dij. Quasi diceret, Nunc cum sitis homines solùm, non poteritis conuersari cum Deo; sed hoc eueniet, cum in Deorum numerum fueritis relati.* A cunctis affectionibus abstinere cura ne ansam diabolo exhibeas ad tentamina. Ei verò passionis, seu affectionis quam vigere

Procop.

videris in præcordiis [...], seu rimæ, stude accuratiorem custodi[...] adhibere.

CAP. ALTERVM.

Adulator, diaboli in morem, sese accommodat genio eorum, quos demulcere satagit.

PRofectò adulatores Pharisæi, qui curabant sese Domini genio accommodare, vt eum deciperent. Se veracem Magistrum Dominus gloriatur: *Vos vocatis me Magister, & benedicitis; sum etenim.* Ioan. 13. *Ego sum veritas.* Ioan 14. Pharisæorum ergo ministri eius ingenio morem gerentes aiunt: *Magister scimus, quia verax es,* Et viam Dei in veritate doces. Chrysostomus, *Arbitrati se demulsuros illum, laudibus, adulantur.* 24.

Adulatores Pharisæi morē gerunt Domino se veracē proferenti. Ioan. 13. Ioan. 14. Chrysost.

Fatur Moses, *In principio creauit Deus cœlum & terram: Spiritus Domini ferebatur super aquas: Dixitque Deus, Fiat lux: Germinet terra herbam virentem,* Gen. 1. Quærit Nyssenus, cur facta omnium creaturarum, elementorum, syderum memoria, aëris nulla mentio geratur? supponit verba illa: *Spiritus Domini ferebatur super aquas,* de Spiritu sancto, & non de aëre intelligenda. Respondet igitur, *Quia fortasse natura molli, ac facile cedenti præditus, res omnes in se suscipit, easdem quæ profectò: cum nec colorem proprium, nec figuram habeat; & ad omnium rerum, quas suscipit motus se accommodat.* O elementum vile adulatoris exerens simulachrum! E rerum catalogo expungeris, exosum Deo (sic liceat profari, mystica reseranti) quod omnium sese genio accommodari studeat. 25.

Nulla fit aëris mentio in creaturarum catalogo, quia adulatorum symbolū sese omnibus accommodantium. Gen. 1. Nysseno.

Danid cecinit, *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Psalm. 140. Vbi D. Augustinus, *Quid est oleum peccatoris? Falsa laus adulatoris hoc est oleum peccatoris.* Quid autem adulatori cum oleo? Respondet Martinus Del-Rius Adag. tom. 2. ex Galeno lib. 2. simpli. medic. cap. 22. *Hæc est proprietas olei, vt si commisceas calidis, fit calidum; si frigidis, frigidum.* At adulator omnium se genio accommodare studet. 26.

Oleum referre adulatorum hunc morem. Psal. 140. August. Del-Rius. Galen.

Matthæus de Centurione fatur, *Accessit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus.* cap. 8. At Lucas. *Cum audisset Centurio de Iesu, misit ad eum seniores Iudæorum, rogans eum.* cap. 7. Matthæus asserit Centurionem accessisse, Lucas immissos esse seniores. Si misit, quomodo accessit? lib. 11. respondeo. At in præsenti crediderim Iudæos adulatores sese Centurionis ingenio ita accommodasse, vt eius non solum gererent personam, sed quodammodo in ipsum conuerterentur. Audi Chrysostomum ad Matth. *Lucas, vt mihi videtur, ostendit, quanta sit Iudaica adulatio. Quare cum voluisset ad Iesum proficisci Centurio, detentus à Iudæis fuit, qui ei assentarentur ac dicerent: Nos ibimus, & adducemus ipsum.* En adulatores sic sese genio accommodantes Centurionis, vt quasi in illum transformarentur, vt possit profari Matthæus, *Accessit ad eum Centurio.* 27.

Pharisæi sese ex adulatione in Centurionē commertunt, vt eius exprimant actiones. Matth 8. Luc. 7. Chrysost.

Describit Petrus Damianus Opuscul. 22. cap. 1. sic adulatorem. *Oculis gliscit, gestibus innuit,* 28.

Adulator

omnia quae vult decipere, in morem simia imitatur actiones,

nuit, pendet ad nutum, vt sic herile preceptum tanquam per sybillinum at Phœbi prastoletur oraculum; ire iubetur, euolat; stare pracipitur, silicem repraesentat. Si Dominus feruet, iste sudat; si ille astum, hic cauma conqueritur; si ille dormire vult, hic acidiatur; si satur est, hic ructare compellitur. Et D.Basilius hom.7. Examer. *Talibus hos pradites esse moribus constat, qui ad vsus necessitudines quam singulas occurrentes sese accommodant: sobrietatem cum sobriis laudant: intemperantes sunt cum intemperantibus; atque ad id, quod cuique placet, suam omnino sententiam vertunt.* O simij adulatores.

29. Aleiatus cecinit eleganter Embl.53.

Pulchra adulatoris descriptio.
Alciat.

Semper hiat, semper tenuem, qua vescitur auram
Reciprocat Chamaleon.
Et mutat faciem, varios ponitque colores
Prater rubrum, vel candidum.
Sic & adulator populari vescitur aura,
Hiansque cuncta deuorat.
Et solum mores imitatur Principis atros,
Albi, & pudici nescius.

Kokier. Et Ioannes Kokier in Thesau. lib.4.cap.3.§.1. *Planè similes heliotropij adulatores, cuius tantus est amor solis, vt cum ipso circumagatur: & quocumque se verterit Sol, eo idem flectat cacumen. Huius, inquam, herba persimiles sunt isti Gnatones, qui sese in omnibus rebus ad voluntatem omnium accommodant.* Plura mitto.

Observatio III.

Ad illa verba:

Non est tibi cura de aliquo; non enim respicis personam.

Optimus Princeps, Præsul, Iudex Iesvs, cui nulla de aliquo cura, vt respiciat personam.

Edocentur Principes, Iudices, solùm personarum aspicere merita, aut demerita, non ipsas personas intueri.

30. Anselm. Anselmus, *O Domine, verax es, non respicis personas, sed indiscretè dicis veritatem maioribus, & minoribus*, amicis, & inimicis; Principibus, ac vulgaribus. Probus planè Princeps, seu Iudex cœcus ad personarum qualitatem aspectandam solummodò debet merita, vel demerita intueri.

31. Iobus ait, *Non accipit Deus personas Principum, nec cognouit tyrannum.* Cap. 34. LXX. *Neque nouit honorem ponere potentibus, admirari facies eorum.* Profectò testimonium Deuteronomij illustre est argumento. *Nulla erit distantia personarum; ita paruum audietis, vt magnum: nec accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudicium est.* Cap.1. Quale Dei iudicium? Hieronymus ad Ezech.44. *Stabunt Sacerdotes, non vt iudicent secundum honorem, nec accipiant personam pauperis siue diuitis in iudicio: sed stent in iudicio Dei.* Profectò Deus omnia aspicit velut Conditor, cui nihil addit Princeps, aut Eques ad hominum naturam. Honor apud Deum vilescit, nec paupertas humanitatis imminuit perfectionem. Sola igitur Deus merita, ac demerita respicit, non personas.

Deus nullā differentiā inuenit in personis, omnium conditor, sed in meritis.
Iob. 34.
Hieron.

Videns Ioannes profatur. *Et conuersus vidi septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorum aureorum similem Filio hominis vestitum podere, & pracinctum ad mamillas zona aurea. Caput autem eius & capilli erant candidi tanquam lana alba, & tanquam nix.* Apoc.1. Quænam obsecro septem candelabra? Totidem Episcopi illustrissimi. Cur non propria in specie præsentantur? Quia Deus Iudex, cui Præsules non exponuntur ex dignitate, sed solummodo ex fulgore lucendi. Ideo eos qui non in morem Solis splendebant, sed tenebris piaculi alicuius offundebantur, acriter reprehendit: *Habeo aduersum te pauca, &c.* Quare autem tam prolixa canitie Præsul ornatur? Certè vt innuat mox obituro diem suum haud in mundo aliquid esse, quod possit iudicium inflectere. Audiendus Hieronymus ad cap.7. Dan. *Vetus dierum ille cuius capilli lana mundissima comparantur: ex huiusmodi canitie; purum ostendit, synceramque iudicium, & nullam personam in iudicando respiciens. Senex describitur, vt maturitas comprobetur sententia.* 32.

Christus omnes Episcopos respicit non vt tales; sed solum ad lucem attendit, aut ad scelum fulgoris.
Apoc.1.

Canitis prolixa ornatus obiicitur, quia vicinum eius iudicium, seni quid?
Hieron.

Amicissimi Moysi personam Dominus non respexit, nec Antistitis summi barbam, nec Mariæ sororis eorum sexum veneritus est: delinquentes flagellauit; quia Dei iudicio personæ authoritas non aspicitur, sed morum bonitas aut malitia adnotatur. Saluianus lib. 1. de Prouid. *Maria contra Moysem loquitur, nec punitur tantum, sed more iudicij punitur. Primùm ad iudicium vocatur, deinde arguitur, tertio verberatur. Maria supplicio afficitur, vt Aaron confusione mulctetur. Porrò autem vt inexorabilem in quibusdam agnosceremus, formam diuini esse iudicij, nec quidem intercessu eius, qui lasus fuerat, indulsit.* 33.

Deus nec Moysi nec Maria, nec Aaronis personas aspexit, sed actiones.
Saluian.

Lex celebris illa: *Pauperis non misereberis in iudicio.* Exod.23. An misericordia in pauperem prohibetur? Minimè planè; additur enim in iudicio. Nam iudicis gerit munus nec pauperis personam debet aspicere, vt ex respectu personæ mitius iudicetur, sed solummodo meritum expectare. D.Augustinus, quæst.88. *Nisi addidisset, in iudicio, magna esset quastio. Sed intelligendum esset, etiamsi scriptum non esset. Sed cum additum est, nulla quastio est: hoc esse praeceptum: ne forte cum iudicamus, videamus iustitiam esse pro diuite contra pauperem; & nobis rectè facere videamur, si contra iustitiam pauperi faueamus causa misericordia.* Addit, *Bona est ergo misericordia, sed non debet esse contra iudicium.* Et Isidorus Pelus. lib.2. epist.250. *Propterea his verbis vsus est, In iudicio non misereberis pauperis. Etenim ipsius quidem misericordia affici conuenit. At non cum litigat, sed cum obsecrat. Si autem preces in accusationem vertat, iustitia misericordia anteponenda est.* 34.

Non vult Deus nec vel pauperem, vt sic, aspicere.
Exod 23.
August.
Isidor. Pelus.
Pauperis personā intuere, cum obsecrat, nō cum litigat.

Moyses propter incredulitatem, qua circa aquam è saxo eliciendam laborauit, antè intram promissionis terram occidit. *Moyses seruus meus mortuus est.* Ios. 1. Preme particulam, *Seruus meus.* Augustinus libro 22. cont. Faustin. cap.69. Sic Dei seruum Mosem 35.

Fidelissimi Mosi personam Deus non aspexit, sed piaculū puniuit.
Ios 1.
August.

 describit:

describit: *Hunc Moysem seruum Dei humilem in recusando, fidelem in seruando, strenuum in exequendo, & regendo populum vigilantem, in corrigendo vehementem, in amando ardentem, in sustinendo patientem; qui pro eis, quibus præfuit, se interposuit consulenti, oppo nit irascenti.* Cum ergo tantus Moyses apud Deum extiterit, cur inflexibili iudicio, & ineuitabili morte percussit? Quia Deus personas non aspicit sed merita discutit.

August. *Persona nec ex vilitate aspicienda.* Augustinus quæst. 1. in Ios. *In Moyse illa vindicta impleta est, ne terram promissionis intraret. Ex quo datur intelligi Dominum etiam bonis seruis suis in aliquo succensentem, & temporaliter vindicare: & tamen in eorum habere numero, qui sunt in domo eius vasa in honore, vtilia Domino.* Nulla persona vel ex vilitate aspicienda, sed ex meritis solummodo iudicanda.

36. *Personam Petri non respexit sed merita, aut demerita.* Matth. 16. Amicissimo Petro Dominus, *Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi: sed Pater meus, qui in cælis est.* Matth 16. Attamen in eum postea inuectus satanam appellauit. *Absit,* inquit, *à te, Domine, non erit tibi hoc.* IESVS autem, *Vade post me, Satana.* Ibid. Cur Satanam appellat eum, quem paulo ante filium columbæ vocitauit? Certè quia personam non respicit, sed solummodo merita, aut demerita discutit. Eadem persona columba aut Satanas: sed non puritas eadem obiicitur.

Cassian. Cassianus col. 22. cap. 13. *Quid hac Dominica laude præclarius? Beatus es Simon Bariona, &c. Quid hac potestate, ac beatitudine potest esse sublimius? Et tamen post paululum, cum ignorans mysterium passionis, tanta vtilitati humani generis nesciens obuiaret dicens: Absit à te Domine, non erit tibi hoc, meretur audire: Vade post me, Satana.*

OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

Non respicis personam hominum.

Commendatio Iesu Prædicatoris docentis Dei viam in veritate, maxima personas non aspicere.

Reges enim, Proceres, Equites, pauperes egregio Concionatori æqualiter obiiciuntur: non vt tales personæ, sed vt peccatores.

37. DAmnabilis quidem Pharisæorum, ac Herodianorum intentio, sed vera admodum propositio, Christum Dei viam in veritate docentem, hominum personas non aspicere, sed hominum iniquitates vt indifferenter diuites ac pauperes Principes, ac vulgares corriperet veritatis enulgatione.

Anselm. Anselmus, *Scimus, quia viam Dei in veritate doces, non times prælatam personam, sed indiscretè dicis veritatem maioribus, & minoribus.* Eo egregij concionatoris. Magistri, ac Præsulis descriptionem indiscretè proferre veritatem, personarum qualitatem non aspicere, sed peccata acriter reprehendere. Noua concionandi ratio.

38. *Mirabilis Prædicator Iesus, quia [illegible] doctorum non aspicie[illegible], sed ta[illegible] criminum [illegible].* M[illegible]. August. Ideò mirabantur Iudæi Christi conciones. *Et factum est, cum consummasset* IESVS *verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina eius. Erat enim docens eos sicut potestatem habens: & non sicut scribæ eorum, & Pharisæi.* Matth. 7. Vndenam admiratio? Tam agnatum erat Magistris eorum personarum respicere qualitates, vt merito eos in admirationem abriperet audire Magistrum, qui viam Dei in veritate doceret, non respiciens personas, sed crimina. Augustinus lib. 2. qq. Euang. q. 33. *Multi prædicant veritatem, inter quos quidam sunt, non ipsius amore veritatis adducti; sed cupiditate comparandorum secularium commodorum. Vnde mercenarij rectè appellantur.* Mercenarius prædicat? Ergo non aspiciet nuda crimina, sed personas; non tanquam potestatem habens euulgabit verbum, sed vt infirmus homuncio.

39. *Baptista non aspiciebat Regis personam, sed adulterium vulnerabat.* Matth. 14. Raban. Rex erat Herodes, sed Ioannes Baptista pia quidem audacia contra Regem inuectiuus assurgit. *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Matth. 14. An destitit proferre veritatem Regis personam non aspiciens? Rabanus, *linguam, & vocem apud eos perdidit Propheta.* Cum de medio tollitur, vox illa veritatis assertrix non exauditur. *Non licet tibi, ô Rex.*

40. *Omni arbori Libano, lauro, myricæ id est, Principibus, ac vulgaribus indiscretè Iesus væ damnationis non facientibus fructus indicit.* Matth. 7. Origen. A Christo didicerat prædicante, *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem mittetur.* Matth. 7. An ô Magister, Libani cedros à flamma non eximis? Laurus à fulmine immunis à flamma liberabitur? An humiles myricæ solummodo væ comminationis sentiuntur. Indiscretè inquit, *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum.* Non arborum aspicio qualitates, non celsitudinem pondero; sed iniquitatem sterilitatis flagellare contendo. Origenes, *Omnis arbor, id est, omnis homo, siue Rex, siue subregulus, siue Princeps, siue senior; nulli parcetur, nullus honor defertur; sed omnis arbor. Siue diues, siue pauper, siue seruus, siue liber, siue iuuenis, siue senior non ferens fructum, abscindetur.*

41. *Prædicatio impetu fluit.* Cant. 5. Ghillelm. De verbo vitali fatur sponsa, *Fons hortorum puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* Cant. 5. Ghillielmus Paruus asserit prædicationis hîc vim annotari. Cur impetu profluit prædicatio? Respondet, *Fluit impetu sine personarum acceptione, aut delectu.* Vidisti torrentem è rupibus dilapsum cuncta vallis gramina indifferenter perfundentem? Sic Euangelica prædicatio est. *Fluit impetu sine personarum acceptione.*

42. *Prædicatio velut mors, quæ non aspicit qualitates personarum, sed fragilitatē naturæ.* Habac. 3. Theoph. De Morte quid vulgarius, quàm æqualiter diruere pauperum casulas, Regumque turres? Prædicatio mors quæ nemini parcit, personas non aspicit, sed naturæ fragilitatem. *Cornua,* (inquit Propheta) *in manibus eius, ante faciem eius ibit mors.* Habac. 3. Theophylactus legit, *Ante faciem eius ibit sermo.* Ibit mors, id est, sermo? Quid sermoni cum morte? Certè sicut mors Principes non reueretur, sed diuites, & pauperes indifferenter vulnerat; prædicationis verbum cœco impetu velut taurus, (*cornua* ideo *in manibus eius*) & in morem Mortis sine personarum respectu vulnerat auditores ad vitam.

43. *Discipuli ad prædicandū mittuntur non mercenarij, sed omnipotētis vicarij, vt Principes nō aspiciant.* Matth. 28. Missurus Dominus Discipulos ad prædicationis munus, præfatur: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra: Euntes ergo docete omnes gentes.* Mat. 28. Preme particulam, *Ergo.* Doctrina, ac prædicatio Apostolica ex potestate suprema procedit? Ita planè, Docete velut quidā meæ

supremæ

supremæ potestatis vicarij. Tam subditus vobis sit Rex, quam vulgaris homuncio Ex mente Hieronymi, Cum docueritis, *scitote, & admirate, quod Rex sum cœli, & terræ*. Remigius, *Vt omnem formidinem auferret à cordibus eorum*, accedens, locutus est eis dicens: Data est mihi omnis potestas. Formidine afficior Principum faciem aspiciens. Sub mea potestate seruit. Regum reuereor sceptrum. Meæ paret potestati. Tanquam potestatem habentes, non velut mercenarij sine vllo respectu prædicationis verba proferre.

Hieron. Remig.

Observat. V.

Ad illa verba:

Scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces; & non est tibi cura de aliquo.

De aliquo mundiali commodo diuitiis, honore non curat, qui veritatem possidet.

Veritas enim omnem thesaurum, cunctas diuitias superat excellentia; qui verax est, diues est. Vbi de Præconibus veritatis.

44\. Chrysost. Chrysostomus expendens verba illa: *Et non est tibi cura de aliquo*, asserit, Herodis Regnum, & Cæsaris Imperium annotari. Ac si dicerent. Tu veritatis assertor, veritatis possessione, nil aliud requiris, nihili ducis Imperiorum mundialium potentiam. Sanè qui veritatem possidet, omnes thesauros possidere existimet; vincit enim veritas omnem thesaurum, cunctas diuitias superat excellentia; qui verax est, plenus inuenitur.

45\. *Petrus mendax, vacuus omnibus; veritatis assertor, rursum omnibus impletur.* Ioan. 21. Matth. 26. August. Aliquando Petrus omnia possidebat, quia nihil habebat, solummodo possessor veritatis. *Domine, tu omnia scis, tu scis, quia amo te.* Ioan. 21. Audiui Petrum mendacij reum cum *negauit coram omnibus, dicens: Nescio, quid dicis*. Matth. 26. Tunc cum negauit, pauper efficitur, vacuus ostentatur, quia veritatis thesaurum amisit. At cum asserit amoris veritatem, plenitudine rursus à Christo donatur. Pulchrè Augustinus serm. 24. de Sanct. *Noluit iterum esse mendax*; sed inquit, *Tu scis quia amo te. Verax ergo Petrus, an verax in Petro Christus. Quando voluit Christus, vacuum deseruit Petrum: & inuentus est Petrus homo*, mendax quidem, & vacuus omnibus. *Quando autem placuit Domino IESV Christo, impleuit Petrum, & inuentus est Petrus verax.* Verax & plenus: ita planè; quia veritatis possessio omnium indicat plenitudinem.

46\. *Christus omnibus cœlestibus bonis plenus, quia plenus veritate.* Ait Ioannes, *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis*. Ioan. 1. Prius plenitudinem diuinarum gratiarum, cœlestis quidem thesauri, asserit, quam exprimeret veritatis gloriam: Plenus est veritate, ac simul omni gratia cœlesti quæ omnem temporalitatem excludit. En Magistri Præconum veritatis descriptionem: Plenus omnibus cœlestibus est, non est illi cura de temporatio aliquo: quia veritatis est assertor. Ioan. 1.

47\. Qui ergò possidet veritatis thesaurum omnia temporalia despicit bona. Rex Balthasar Danieli promittit, si scripturam interpretaretur torquem ac purpuram augustæ nobilitatis insigne: vt omnia mundialia possideat, nec aliquo videatur indigere. *Purpura vestieris, & torquem aureum circa collum tuum habebis.* Dan. 15. Porrò veritatis Præco maluit veritate ornari, quam mundialis thesauri insigni. Poterat adulatorio mendacio Regem delinire, nec terribilia nunciare; sed despexit thesauri temporarij plenitudinem vacuam, vt vera veritatis ipsius plenitudine posset impleri. Chrysostomus ad Psalm. 95. *Daniel pro nihilo ducens illorum munera, sed super omnia veritatem honorans, ait: Rex, munera tua alteri da. Ego tamen scripturam narrabo. Et quod erit narrationis præmium? A Deo merces veniet. Quin potius hoc ipsum mihi veritatis præmium erit, interpretari veritatem.* Nam qui plenus est veritate, omnium cœlestium bonorum excludentium penuriam temporarij thesauri potitur plenitudine.

Daniel neglexit honoris munera, sed veritatis plenitudine velut donat. Dan 15. Chrysost.

48\. Indica, precor, veritatis thesauri magnitudinem. Thesaurus est veritas dignus Deo omnium vtique Domino. Vidisti Reges mundi gazarum collectores, vt thesaurum efficiant? Deus pro thesauro Nomini digno vnicam veritatem custodit. *Numquid ingressus es thesauros niuis, quos præparauit Deus?* Iobo Dominus. Et quinam, quæso, niuis thesaurus, nisi syncere veritatis candor. Audi Vatem. *Custodit veritatem in sæculum.* Psalm. 145. Vbi Hieronymus, *Rectè dicit, Custodit veritatem, & habet in thesauro suo.*

Veritas thesaurus dignus Deo. Psalm 145. Hieron.

49\. Ioannes inquit Electæ, *Inueni de filiis tuis ambulantes in veritate*. epist. 2. 4. Preme illud verbum: *Inueni*. Certè quasi pretiosam margaritam, de qua Dominus: *Simile est Regnum cœlorum homini mercatori quærenti bonas margaritas: inuenta vna pretiosa margarita, vendidit omnia sua, & comparauit eam.* Omnia diuendit temporalia, quia vnico veritatis margarito inuento, nullo indiget temporario. Diuus Thomas asserit inuentos filios Electæ veritatis amatores, velut *rarum quid, & exquisitum* thesaurum. *Qua etiam despectos claros* & prædiuites *facit*. Hinc veritatis Præcones edoceantur! haud tacere, vt adulatorio silentio Principibus mundi morem gerere videantur. Tacemus, inquiunt, quia veritatem proferentes, vacui è suggesto reuertemur. O plena verè vacuitas! Vnius veritatis possessione plenos cœlestibus bonis abiiceris despecturus humana.

Qui inuenit veracē, inuenit thesaurum cælestem. 2. Ioan. 4. Thom.

Observat. VI.

Ad illa verba:

Si licet censum dare Cæsari, an non?

Pessimi hi Herodiani se simulant legis inquisitores, vt operiant nequitiam.

Instruun

Iustorum enim proprium est, circa legis præscripta excitare quæstiones, Dei viam requirere, salutis gressus vestigare.

50. CVm pessimi hi Pharisæi, & Herodiani intenderent Christum in sermone capere, oportebat, eas sub ouina specie apparere, ne oues à lupo, absterrerentur. Vndè iustorum præseferunt imaginem, requirentes an licitum esset Iudæis Gentili Imperatori soluere? Porrò iustorum proprium est ad timoratæ conscientiæ securitatem quæstiones circa mandatorum obseruationem excitare. Vel Gentilis cecinit, *Qui viam requirit, non vult errare, ac deuiare.* Ideo Dominus, *Quid me tentatis, hypocritæ?* Simulabant enim se iustos, ac sanctos, vt decipere possent. Documentum itaque sanctitatis est viam requirere salutarem, Dei præceptorum præscripta elucidare, ne errore ab itinere distrahamur.

Periand.

51. Dixerat IESVS Nicodemo, *Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Respondit Nicodemus, & dicit ei: Quomodo possunt hæc fieri?* Ioan. 3. Nicodemus laudatur à Patribus quia cum Magister in Israel esset, Discipulus Domini efficitur. Ghislandus, *Quam laudabiliter requisiuit, Quomodo possunt hæc fieri:* Profectò commendatur admodum viri iustitia ex quæstione proposita circa nouum ex Spiritu sancto natalitium.

Nicodemus iustus, & timoratus quæstiones circa salutē excitat.
Ioan 3.
Ghisl.

52. Profert Archangelus nuncium illud sacertimum, *Ecce concipies in vtero, & paries Filium, &c.* At Maria, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Luc. 1. Vbi Nyssenus, *Angelus partum annunciat, ipsa voto virginitatis innititur, & quærit, Quomodo fiet istud?* Anselmus, *Quomodo fiet, vt concipiam, & pariam, quæ in virginitate manere disposui?* Ponderat Chrysologus Virginem admodum commendabilem ex quæstione, cum quæritans Zacharias merito fuerit reprehensione affectus, quia scilicet coniugatus non fideliter dubitaret: at Maria, quæ virginitatis voto se adstrinxerat laudabiliter admodum circa salutis viam excitat quæstionem: *Quomodo fiet, vt concipiam, & pariam, quæ in virginitate manere disposui?*

Deipara commendatur ex proposita quæstione. Quomodo fiet istud?
Luc 1.
Nyssen.
Anselm.
Chrysol.

53. Dominus adeò nostris quæstionibus, seu difficultatibus propositis circa legis obseruationem delectatur, vt throno velut Cathedræ assideat soluturus, aut responsurus. *Et vidi* (Ioannes ait) *& ecce in medio throni, & quatuor animalium, & seniorum Agnum stantem tanquam occisum. Et venit & accepit de dextera sedentis in throno librum.* Apoc. 5. Ad quæ Rupertus lib. 4. in Apocal. *Bonum exemplum cunctis præbet IESVS Discipulus, & credentibus in se, nihil diuitiarum, aut gloriæ voluit, aut quæsiuit in hoc mundo: tantummodo meditari in lege Domini die, ac nocte: tantummodo librum de dextera dignatus est accipere intendens aperire illud, & soluere signacula eius.* Profectò libri huius signacula sunt legis difficultates, quæ à senioribus, id est, à Christicolis excitantur circa rectam intelligentiam. At Christus nunquam non throno assidet, huiusmodi quæstionum signacula soluturus.

Munus IESV Agni iuxta librū legis assidere, vt soluat quæstiones, & difficultates à senioribus su[b] propositas
Apoc 5.
Rupert.

54. Illustro excogitationem ex IESV remanentis in Ierosolymitano Templo, historia Requiritur à parentibus, qui *inuenerunt illum in Templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia, & responsis eius.* Luc. 2. Videns IESVM quæstiones proponere, & quæstiones soluere. *Interrogantem eos.* Se etenim sanctum hominem ostendit, dum circa legem excitat quæstiones. *Et responsis eius.* Se quippe obiicit Deum, dum solutioni quæstionum hominum curam impendit. Hoc negotium æterni Patris, *Nesciebatis, quia in iis, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Pulchrè Beda, *Ad ostendendum se hominem sanctum humiliter audiebat, & interrogabat; ad probandum se Deum, sublimiter ad quæstiones respondebat.*

Apud Templū IESVS vt Filius hominis obiicit quæstiones circa legē: vt Dei Filius eas soluit.
Luc. 2.
Beda.

55. Quam aptè Sapiens! *Qui timent Dominum, inquirent, quæ beneplacita sunt ei; & qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius.* Eccli. 2. Preme illa: *Replebuntur lege.* Cur non dixit, Replebuntur cœlestibus donis: sed *Replebuntur lege?* Certè quia inquirentes, seu quæstiones excitantes circa legis intelligentiam, dum solutiones accipiunt, siuè legem capiunt dilucidatam; consequenter à legislatore soluentes quæstiones, cœlestibus benedictionibus opplentur, Dauide canente: *Etenim benedictionem dabit legislator.* Psalm. 83. Chaldæus legit, & exponit, *Benedictione amicientur, qui insudant, vt discant legem.*

Qui timent Dominum, inquirunt, seu quæstiones excitāt circa legis obseruationem.
Eccli 2.
Psalm 83.
Chald.

56. Vt ostenderet Dominus scribas, & Pharisæos iniquitate pressos esse, nec viam salutis vestigare, eis huiusmodi quæstiones proposuit, intendens aridam manum donare sanitate: *Interrogo vos, si licet Sabbatis benefacere, an male? Animam saluam facere, an perdere?* Luc. 6. Addit Marcus, *Illi autem tacebant.* cap. 3. Cur non loquebantur? Profectò quia circa quæstiones ad salutem animi pertinentes impij nunquam non conticescunt. Athanasius hom. de semente. *Cum nugandum est, magnas nugas dicunt: cum calumniandum, altissimè vociferantur: Tolle, tolle; homo iste hæc, & illa destgrauit. Cum autem quæritur, bene ne an male facere liceat? silent.* Pulchrè.

Impios circa quæstiones de salute, silent, loquaces circa futilia.
Luc. 6.
Athan.

SECTIO SECVNDA.

Cæsarij tributi Iustitia.

TEXTVS.

VERS. 18. COgnita autem IESVS nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocrytæ? 19. Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. 20. Et ait illi IESVS, Cuius est imago hæc, & superscriptio? Dicunt

cunt ei, Cæsaris. 21. Tunc ait illis, Reddite ergò quæ sunt Cesaris Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Census numismate.

1. *Adulatorũ laquei.* COgnita autem, &c. Dominus adulatorum corda intuebatur, quid intenderent, quid architectarentur, apertè dignoscebat. Vnde eos vocitauit hypocritas, qui sub ouina pelle ad direptionem lupinam exercerent laqueos, siue dentes vngulasque pararent. *Quid me tentatis, hypocritæ!* Noui, quo animo me interrogeris. An volucris oculata vestris laqueis poterit illigari? *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.*

2. *An dixerit, Ostendite numisma, an denariũ?* *Ostendite mihi numisma Census.*] Si obieceritis mihi nummum, quo tributum Cæsari soluitis, ex illo, quid liceat præstare, docebo, *At illi obtulerunt ei denarium.* Marcus ait dixisse Dominum, *Afferte mihi denarium, vt videam.* Lucas autem, *Ostendite mihi denarium.* At noster Matthæus, *Ostendite mihi numisma census.* Quid ergo dixit Dominus? An *Ostendite mihi numisma?* An *Ostendite mihi denarium?* Vtrumque arbitror dixisse, *Ostendite mihi numisma census, tributi denarium.* Matthæus solùm memor numismatis subintellexit denarium; reliqui verò Euangelistæ denarium scripserunt. Siue facilius dixeris, Christum dixisse, Ostendite mihi numisma census. Quia verò numisma, siue nummus tributi denarius erat: alij Euangelistæ asseruerunt denarium postulasse.

3. *Cur denarius dicatur numisma Census, si duos soluebant denarios?* *At illi obtulerunt ei denarium.*] Cur denarius nummus tributi dicatur? An Iudæi Cæsari solummodò denarium soluebant? Profectò duos denarios viri reddebant. *Cum venisset Christus in Ciuitatem Capharnaum, accesserunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non soluit didrachma.* Matth. 17.
Matth. 17. Duas illi drachmas à Domino petebant, siue duos denarios. Dominus autem pro se, ac Petro staterem in piscis ore repertum, id est, quatuor drachmas, siue quatuor denarios reddi iussit. Igitur pro viris singulis duæ drachmæ, vel duo denarij soluebantur. Cur ergo dicitur vna drachma, seu denarius numisma tributi? Quia pars tributi erat, non totum tributum. Porrò de duplici drachma reddita à Iudæis Iosephus lib. 7. de Bello cap. 26. *Tributum vbicumque degerent, Iudæis* Vespasianus *indixit*, binasque drachmas singulis annis deferre in Capitolium iussit. Ioseph.

4. *An certa esset cusa moneta ad tributa?* Quæsierim præterea, an certa esset, & peculiaris moneta à Romanis cusa, ad tributi solutionem? Videntur verba illa: *Ostendite numisma census*, innuere certam monetam huic muneri seruientem esse destinatam. Attamen negatiuè responden. Numisma enim census denarius dicitur, quia duodenarij soluebantur. Scio Lampridium in vita Alexandri Imper. certam tributi monetam cusam fuisse affirmasse.

§. II.

Reddenda Cæsari, quæ Cæsaris sunt, Dominus asseruit.

CVius est imago hæc, & superscriptio? Dicunt ei, Cæsaris. Ostensus est Domino denarius, cui Cæsaris imago erat insculpta, & nomen inscriptum. Rogauit, cuiusnam imago illa, ac superscriptio esset? respondentibus eis, Cæsaris imaginem, ac nomen existere. Intulit, *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.*] Quonammodo hæc conclusio fuerit illata? Certè ex denarij imagine, & inscriptione. Denarius hic imaginem, ac inscriptionem Cæsaris habet indicatque imago hæc, & inscriptio vestra in pecunia vos Cæsari Imperatori esse subiectos. Si ergo subiecti estis Cæsari, reddite illi tributum, Deo etiam reddite, quod debetis. 5. *Ostenso denario, Dominus concludit.*

6. *An consequerentur Herodiani, & Pharisæi, quod intendebant?* Videntur Herodiani, ac Pharisæi tentatores, quod intendebant esse consecuti. Respondet Dominus, non esse soluendum? Cæsarem offendit. Soluendum affirmat? gratiam populi amittit. Porrò Christus respondit esse soluendum; ergo tentatores consecuti sunt, quod procurabant euenire. Existimo Pharisæos solummodò expetiisse Christum respondere negatiuè circa tributi solutionem, *vt traderent eum principatui, & potestati Præsidis* vt Lucas annotauit; id verò minimè sunt assecuti. Ideoque admirati discessere.

7. *Cur Dominus asserat, Romanis deberi tributum?* Hinc quæstio haud facilis exoritur. Cur Dominus deberi asserat Romanis tributum, si quidem Iudæorum Regnum iure non possidebant? Respondeo, Iudæos non quæsiisse, an deberent tributum Cæsari, sed an liceret soluere? Porrò Christus non asseruit Cæsari deberi tributum sed licere tributum Cæsari solui. An Deo repugnat solutio hæc? minimè. Ideo enim adiicit.

8. *Quæ Dei sunt, Deo reddenda.* Hieron. *Et quæ sunt Dei, Deo.*] Ac si diceret, Potestis & Cæsari & Deo facere satis. Licet tributum Cæsari soluere, quamuis iure Regnum non possideat, vt pacem conseruare, & vexationem effugere valeatis. Quod si populus Dei estis, reddite Deo, quæ sunt Dei, tributa, decimas, sacrificia, vota. Hieronymus, *Quod ait Christus, Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: id est, nummum, tributum, & pecuniam; & quæ sunt Dei, Deo, decimas, primitias, oblationes, & victimas, sentiamus. Quomodo & ipse reddidit tributa pro se, & Petro: & Deo reddidit, quæ Dei sunt, Patris faciens voluntatem.*

9. *Reddendus Deo homo, in quo Dei imago.* Hilar. Origen. Dixerat, tributum reddendum Cæsari, quia in numismate Cæsaris imago, ac superscriptio. Vnde arguit reddenda Deo, quæ Dei sunt, id est totus homo. D. Hilarius, *Oportet, reddere Deo corpus, animam, & voluntatem. Dei enim numisma homo, in quo Dei imago figuratur. Et quæ sunt Dei.* Sic exposuit Origenes, *Deo offerenda sunt, quæ Dei sunt, id est, quæ ducunt ad virtutem.*

IN
IESVM COLLOQVENTEM
PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS
CIRCA LITERAM.
EX CÆSARII TRIBVTI IVSTITIA.

OBSERVAT. I.

Ad illa verba:

Cognita autem IESVS *nequiquitia eorum.*

Herodianorum crimen aptè Dominus nequitiæ acri nomine designauit.

Tributorum enim exactores assolent reliquos peccatores iniquitate superare. Moneo Principes vectigalium exactiones pestes esse Reipublicæ, pauperum expilationem.

10. VERBVM *Nequitia* eum assignat peccatorem, qui non communi iniquitate premitur, sed specialissima malitia infectus est. Ideo Lucas, *Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo.* cap. 23. Vbi Theophylactus innuit vocitatos esse *nequam* latrones illos, vt exaggeraret Lucas eorum malitiam. *Curabat enim diabolus de Christo pessimam haberi opinionem.* Et ideo eum cum pessimis curat colligari. Vt igitur Euangelista pessimos illos latrones exprimeret, *Nequam* eos appellauit. Vocabulum enim *Nequitia* pessimum innuit peccatorem. Herodiani cur pressi nequitia? Quonam ex capite? An quia aulici? Profectò quia vectigalium exactores.

Luc. 23. Theop.

11. Noster Maldonatus sapientissimus sic de Herodianis scribit: *Altera opinio est eorum, qui existimant, eos Herodianos appellatos fuisse, qui Cæsari tributum soluendum esse contendebant: Ita verò vocatos, quod Herodes Cæsari impensè faueret, & , vt Iosephus ait, Cæsaris tributis in Iudæa quodammodo præesset.* Ita *Origenes, & Hieronymus sentit, & vt videtur, Cyrillus Alexandrinus.* Si Cæsarium tributum soluendum *contendebant*, quid mirum, nequitia pleni essent. Nihil enim scelestius, quam agricolas expilare domos pauperum desertas efficere, viduarum, & orphanorum sanguine manus cruentare. Id quod verbum illud expressit: *Qui Cæsari tributum soluendum contendebant.* Hostili enim contentione pauperum domos obsidere videntur. O nequitiam!

Tributorum exactores iniquissimi Reipublicæ hostes. Maldon.

12. Princeps Publicanorum siue Herodianorum erat Zachæus, qui *quærebat videre* IESVM, *quis esset.* Luc. 19. An Publicani, seu Herodiani, hoc est tributorum exactores Deum agnoscunt? Minimè planè, quia publicana tanta nequitia haud potest cum agnitione Dei. Titus Bostr. *Nunquam* IESVM *Dei Filium viderat; si enim vidisset, iam dudum recessisset a nequitia publicana.* Nullum equidem tam aptum vocabulum ad exprimendam exactorum crimina, quam *nequitia publicana: Cognita autem* IESVS *nequitia eorum.*

Exactor tributorum & nequam, idem quodammodo.

Luc. 19. Titus.

13. Preme obsecro adhuc verbum illud à Maldonato expressum: *Qui Cæsari tributum soluendum contendebant.* Vim inferunt exactores. An vt acquirant Cæsari vectigalia? Certè vt sibi diripiant. Quod alij Euangelistæ asserunt, *Crucifixi sunt cum eo duo latrones*, Lucas explicuit, *Duo nequam.* cap. 23. Cur nequam vocitantur, nisi quia grauissima nequitia est homines de medio tollere, diripere diuitias? Certè nequam exactores tributorum patibulo addicendi, quia sese latrocinij reos ostentant. D. Maximus hîc, *Igitur quod Cæsar præcipit, ferendum est; quod Imperator dicit, tolerandum est. Sed fit intolerabile, dum illud præda exactionis accumulat.* Superant herclè vectigalis quantitates exactorum salaria, seu latrocinia aptius appellem.

Exactor tributorum latro nequissimus, deprædator est. Luc. 23. Maxi.

14. Sidonius Apol. ait. *Tyrannus est, qui alienorum Principum subditos ad suam ditionem, vt pareant, expetit allicere. At iniquissimus tyrannus est, qui vi cogit, vt seruiant.* Ergo exactores tributorum iniquissimi, quia non alliciunt proprij Principis subditos, vt illi pareant; sed vi cogunt vt miserandæ seruituti addicantur. Tacitus pulchrè in vita Agr. *Ipsi Britanni delectum ac tributa, & cuncta Imperij munera impigre obeunt; si iniuriæ absint. Has ægrè tolerant; iam domiti vt pareant, nondum vt seruiant.* Profectò exactorum iniuria qui domiti semper obiiciuntur vt pareant, iam domiti exponuntur, vt seruiant. Non quidem sanctissimorum Regum culpa, sed iniuria, & iniquitate.

Nequissimus tyrannus est exactor tributorum, quia cogit subditos Regis ad seruitutem. Sidon. Tacit.

15. Ex mente Maximi, *iniquitas maximam requirit Dei potentiam, ad medicamen.* Vt Deus hominem tributorum exactorem à nequitia publicana eriperet, maxima est vsus potestate; ergo maxima planè nequitia illa est. *Cum transiret inde* IESVS, *vidit hominem sedentem in Telonio Matthæum nomine, & ait illi: sequere me.* Matth. 9. Quærit D. Chrysost. *Cur dixit, in Telonio sedisse?* Respondet, *Virtutem vocantis voluit ostendere, qui non imposito adhuc fine praua Publicanorum conuersationis, è medio malorum pelago ipsum abstraxit.* Maxima ergo virtus vocantis ostenditur, & maxima vocati iniquitas explicatur.

Maximâ potentiâ IESV *maxima exactorum tributorum nequitia ablegata. Maxi. Matth. 9. Chrysost.*

16. Qui Ecclesiam persecuti sunt Tyranni appellantur horribiles, imo dæmonis signantur vocabulo. Testor Draconem Ecclesiam procurantem flumine obruere. Apoc. 12. D. Paulus nunquam non lacrymas profundit, quia vel

Christus potentissimus fit exactori commercij, ac Ecclesiæ persecutorem. Apoc. 12.

ignorans

ignorans Ecclesiam persecutus est. Curauit Dominus Saulum lupum in agnum conuertere. Diabolum persecutorem in Magistrum commutare: æthera tonitrui sonitu verberantur, Christus proclamat, *Saule, Saule, quid me persequeris?* Act. 9. O ineffabilis malitia, quæ Dei Filium excitauit ad querelas! sed proh ineffabilem admodum potentiam, quæ Ecclesiæ persecutorem ad pœnitudinem adduxit! Mihi credite, exactores vectigalium Ecclesiam persequuntur, eorumque conuersio maximum diuinæ potentiæ est documentum. Pulchrè Chrysostomus ad locum Mat. ait, ostentationem fuisse omnipotentiæ Dei Publicanum à Telonio tributorum officina abstraxisse. *Sicut B. Paulum quoque furentem ac omni rabie ardentem, & ignem Ecclesiæ inferentem reducere.* Particula *quoque* est ponderanda. Innuit enim Publicanum esse quoque Ecclesiæ persecutorem.

Act. 9.

Chrysost.

17. Curat Iob mortis horrores ab hominum apprehensione abstrahere, dum mortis commoda repræsentat. *Ibi impij cessauerunt à tumultu. Et quondam vincti pariter sine molestia non audierunt vocem exactoris.* Cap. 3. Describit duplex hominum genus & eorum qui torquent, & eorum qui torquentur. Porro qui torquent exactores tributorum sunt, quos appositè impiorum nomine designauit, ac si vnica esset in mundo quodammodo iniquitas, exactio vectigalium. Qui autem torquentur ij sunt, qui tolerant exactorum iniurias. Cur ad exprimenda mortis commoda non expressit Diuus vel alia iniquorum flagitia, vel alios hominum labores. Certe quia vnicam exactionem exprimens & summam iniquitatis exponit, & laborum epilogationem explicat. Comitoli in Cat. sic Auctor. *Mors alios laborum contentione relaxat, aliorum impiam dominationem extinguit. Illic enim versantur, qui sunt acerbis quæstorum exactionibus liberati.* O mors quam dulcis est memoria tua, quam suaue stimuli tui vulnus! Exactorum malitiam soluis, soluentium tributa à labore supremo relaxas.

Quodammodo ait Iob vnicam esse iniquitatē, nempe exactionē, vnicum laborē scilicet exactores tolerare

Iob 3.

Græcus.

Observat. II.

Ad illa verba:

Reddite ergò quæ sunt Cæsaris, Cæsari.

Iusta tributa Imperatoris sunt.

Quia ad subditorum commoda eroganfur.

18. Respondet Dominus reddenda Cæsari Cæsaris tributa. Imperatoris enim planè tributum illud est, quod iustè exigitur à subditis. Chrysostomus, *Cæsari reddite tributum, quia Cæsaris est. Intellige, si in nullo pietati noceant; alioqui diaboli tributum est.* Est iustum tributum? Regis quidem est, quod suum est, requirit. Ideo vsus Dominus verbo, *Reddite.* Ac si mutuò acceperit à Principe subditus quidquid ad publica commoda reddenda præcipitur.

Chrysost.

D. Synesius de regno ad Arcad. asserit Regis non esse subditorum diuitias, quæ soluendis tributis exhauriuntur, *cum animo insolenti sumptuosa opera molitur, & cum inanem, atque ambitiosam magnificentiam affectat, & cum iuuenili consilio in scenicos ludos grauiorum hominum labores perperam consummat*; sed nec cum plurimorum bellorum necessitate non cogatur. At cum bellorum necessitate cogitur, subditorum diuitiæ Regis sunt. Vnde Cæsari non dantur tributa ad bellorum subsidium, sed redduntur. 19.

Libellorum necessitas vrgeat, Regis sunt tributa.

Synes.

Tertullianus lib. de carne Christi, Cap. 2. *Aufer hinc molestos semper Cæsaris census.* Molesti sunt plane, ideo à mole, quia moles sunt, populos aggrauantes. Attamen Cæsaris sunt census, quos subditus reddere tenetur alterius molis compensatione. An non Principatus *super humerum* Regis? Ergò si Rex molem suscipit molestissimam subditorum, subditi debent tributorum sarcinam sustinere. 20.

Cæsaris sunt tributa, licet molesta subditis, si necessaria ad onus Regni.

Tertul.

Tributa quidem Cæsaris census est, fructus Cæsarij arboris exponuntur. Regis Nabuchodonosoris constitutio arboris imagine figuratur. *Magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cœlum: aspectus illius erat vsque ad terminos terræ. Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius.* Dan. 4. Iam in dilatatione arboris frondium potentissimum Regis imperium recognosco: quænam precor, folia? quinam fructus? Theodoretus, *Folia decus illud, quod conspiciebatur in veste, & throno, & Regia, & scutulatis, hastatis, satellitibus, ac stipatoribus corporis. Fructus verò tributum, quod vndique ei afferebatur.* Quid arboris fructibus cum tributo? An non fructus arboris suot? Quis abneget? Ergo Regij arboris sunt tributa, minime subditorum, cum ad necessarium, Regium splendorem, cum in scutulatis, hastatisque insumuntur, licet nimia ad hæc sint tributa, nimij tamen Regij arboris fructus existunt. 21.

Tributa sunt fructus Cæsarij arboris.

Dan 4.

Theod.

Redeo ad particulam, *Reddite quæ sunt Cæsaris.* Quam sic Chrysostomus exposuit: *Vide, quia non dixit, Date: sed reddite. Debitum igitur, inquit, est; redde igitur debitum. Custodit te Princeps tuus ab hostibus, vitam tuam pacatam facit; debes itaque ei pro his tributum.* Quid si tributa custodiæ subditorum non impenderentur? Tunc plane à te non redduntur, sed à Principibus ablata esse viderentur. 22.

Ad custodiā subditorum tributa exacta Regis sunt.

Chrysost.

Athalaricus Rex Præfecto Syracusano apud Cassiodorum lib. 10. var. Cap. 24. inquit, *Prima fronte pro reparatione murorum pecunia diuersis prouincialibus dicuntur extorta: cum tamen nulla exinde surrexerit promissa constructio. Hoc si constet admissum, aut muri exinde pro eorum munitione construantur, aut vnusquisque recipiat, quod ei probatur incompetenter ereptum. Nimis enim absurdum est, spondere munitiones, & dare ciuibus execrabiles vastitates.* Rex piissimus præcipit reddi, quod à subditis redditum non fuerat, sed ab exactoribus ablatum. Iudicabat enim suum non esse tributum, quod subditorum 23.

Restituit Rex tributa quæ ad commodum subditorum non impendit, quia sua non erant.

Cassiod.

 commodis

commodis non seruicbat ; vnde restitui iubet ablatum.

24. De Rege Babylonico fatur Propheta, *Numquid nouomnes isti super eum parabolam sument, & loquelam enygmatum eius, & dicetur, Va ei, qui multiplicat non sua ?* Haba. 2. Quænam non sua Rex multiplicat, nisi tributa illa, quæ ad subditorum commoda non exiguntur ? Theophylactus, *Hac canent lamentantes Babylonium Regem, Va qui nihil se decentibus manum inijcit, & solis sui ornamentum suus omne imperij sui grauius constituit subditis suis, quod grauia tributa, & vectigalia imponat.* Graue planè est tributum cum Rex nullis se decentibus manum inijcit. At cum bellis dat operam necessariis, graue videri non potest, Regis, enim sunt diuitiæ subditorum, quæ ad Reipublicæ defensionem exiguntur: tunc quippe *sua multiplicat.*

Rex colligit non sua, cũ tributa exigit non necessaria ad bellum; si bella Regnũ premuntur sua sunt diuitia subditorum.
Haba. 2.
Theoph.

25. Bella ablegentur, Rex piissimus tributa ablegabit ; quæ quidem & tot bellorum sumptibus grauatus, iam auferre incepit. Scit enim sapientissimus Princeps, speciali miraculo pacatum conseruari Regnum, si tributa exiguntur, cum bellorum non vrget necessitas. *Dauid autem genuit Salomonem, ex ea, qua fuit Vriæ.* Matth. 1. Ex Rege bellatore, & Regina bis fortissimo Militi Dauidi, ac Vriæ nupta Salomon pacificus exoritur. Cur autem pacificus filius ex non pacifico parente ? Imperfectus, *Salomon interpretatur pacificus. Pacificus est autem appellatus, quoniam omnibus in circuitu gentibus pacificatis, & tributa reddentibus, pacificum habuit Regnum.* Hoc planè munus est speciale Salomoni ob pietatem parentis impensum. Vnde Reges cum à bellis liberatur Imperium debent à tributorum exactione abstinere, tunc enim Cæsaris non est, quod ad subditoru commoda ab ipsis exigitur.

Mirum est, pacatum conseruari Regnum, si tributa exiguntur, cum non vrget bellorum necessitas.
Matth 1.
Imperf.

Observat. III.

Ad illa verba:

Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari.

Cæsari ipsi reddenda tributa non exactoribus.

Heu hac tempestate exactoribus redduntur tributa, imo ipsi sibi vi deprædantur.

26. PReme particulam, *Cæsari.* Non sufficit Cæsaria esse tributa ad tuitionem Reipublicæ necessaria : sed reddenda sunt ei, cuius sunt, nempè Cæsari ipsi. Heu non Cæsari iam redduntur, sed exactorum latrocinio, ipsis exactoribus eroganrur. Ex Regiis vectigalibus (dicitote mihi) quantum Regium suscipit ærarium ? An non pars maior exactorum diuitias accumulat? Ergo tributa non redduntur Regi, sed exactori.

Conqueruntur dæmonia apud Matthæum, *Quia nobis, & tibi IESV ? venisti ante tempus perdere nos.* cap. 8 Vndenam spirituum immundorum querela ? Respondet D. Basilius Seleuc. Orat. 23. *Te loquentem audiunt Publicani, & nostram vectigalium tractationem defugiunt.* Audientes te (dæmones inquiunt) se se ad frugem recipiunt meliorem, restituunt ablata. An non Zachæus audiens Christum restitutionem ablatorum ex exactione publicana gessit : *Et si aliquem defraudaui reddo quadruplum ?* Luc. 19. Tractatio dæmonum est res publicana ? Mirum, si luporum tractatio rapina non existat. Vulgariter expendam : *El trato de los lobos es en robar.* 27.

Tractatio dæmonum frada enim est res publicana sine tributorum exactio.
Matth 8.
Basil Sel.
Luc. 19.

Regea tributa exigi imperant ad bellorum sumptus, necessaria quidem ad victoriam, & tamen mox subditi totis artubus contremiscunt. Quare, precor ? An non ad domus propriæ, vitæque defensionem vectigal exigitur ? Ita planè. Quid ergo horrore concutiuntur ? Respondeat Ausonius, *Insensibilis est, qui turba latronum expectata, non contremiscat.* Quomodo miser subditus non pauescat, si ad pecuniæ paruam portionem exigendam turba latronum irruat, quæ non Cæsari, sed sibi & tributi assignati quantitatem, & maiorem admodum ex proprio salario portionem exactor sit deprædaturus. Haud grauant necessaria ad subditorum custodiam tributa, sed exactorum latrocinia. Audi Saluianum lib. 4. de Prou. *Illud est grauius, quod plurimi proscribuntur à paucis, quibus exactio publica peculiaris est præda, qui fiscalis debiti titulos faciunt quæstus esse priuatos : & hoc non summi tantum, sed penè infimi : non Iudices solum, sed etiam Iudicibus obsequentes. Quæ enim sunt non modo Vrbes, sed etiam municipia, atque vici, vbi non quot Curiales fuerint, tot tyranni sint ?* 28.

Tributorum audito nomine turbantur subditi; quia tributi exactio comitatur exactorum latrocinia.
Auson.
Saluian.

Vidi (heu) aliquando nauem Hispanicam ad Hispanicum portum venti vi adductam, quæ quidem totis viribus conata illo à sinu diuertere, ac si piraticum conflictum effugeret. Quare, precor ? Certè quia ad Regium paruum tributum acquirendum tot exactores latrocinandi artibus vtuntur, vt nauis penè mercibus euacuetur. An non naui miseræ portus extitit in naufragium ? Rex sanctus non ignorans huiusmodi subditorum deprædationem, profatur cum Theodorico apud Cassiod. lib. 4. Var. epist. 19. *Portus nostros nauis veniens non pauescat, vt certum nauis possit esse naufragium, si manus non incurrerint exigentium, quos frequenter plus affligunt damna, quam solent undare naufragia.* 29.

Nauis perit intrans, exactorum incidit in naufragiũ.
Cassiod.

Agricolæ miseri depauperantur, & omnino pereunt, ex rapina exactorum, quibus non satis diuendere prædiola pauperum, vt pretium diripiant, si non simul, instar grassatorum, personas occidant, dum cogunt eos fame deperire. Petro Dominus, *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle : & aperto ore eius, inuenies staterem, illum sume, & da eis pro me, & te.* Matt. 7. Quisnam ille piscis? Lauret. *Possunt pisces dici simplices* agricolæ. Præcipit Dominus Petro 30.

Agricolæ expilantur, & pereunt exactorum latrocinio, pisces miseri.
Matth. 17.
Lauret

vt

vt staterem, seu didrachma solummodo extrahat. At exactores non solum staterem capiunt, sed piscem miserum episcatum absumunt. Agricolæ enim substantia ab exactoribus abstracta vnde possit viuere non relinquitur.

Agricolarũ inopumque tributa soluentiũ miseria describitur. Saluia.

31\. Agricolarum, inopumque omnium tributi solutorum miseriam sic Saluianus citatus deplorat: *Illud pœnalius, quod omnia non omnes sustinent: imo quod pauperculos homines tributa diuitum premant: & infirmiores ferunt sarcinas fortium. Nec alia causa est, quod sustinere non possunt, nisi quia maior est miserorum sarcina, quam facultas. Res diuersissimas, dissimillimasque patiuntur: inuidiam, & egestatem. Inuidia est enim in solutione, egestas in facultate. Si respicias, quod dependunt, abundare arbitreris; si respicias quod habent, egere reperies. Solutionem sustinent diuitum, & indigentiam mendicorum.* Quia videlicet deprædatione exactorum & didrachma aufertur ab ore piscis, & ablato ab ore subsidio sustentationis, piscis omnino cum statere perit.

Principes prædatores, populatores, pestes patria, proditores legum exactoribus tributorum comparantur Isa. 3. Gaspar. Sanct.

32\. Rursum Isaiæ testimonium exponam. *Populum meum exactores sui expoliauerunt*, cap. 3. Vbi noster doctissimus Gaspar Sanchez asserit Tyrannos Principes sub appellatione exactorum annotari. Quare precor, nisi quia deprædatores Tyranni latrocinia exactorum imitantur? Vt exaggeret Propheta Tyrannorum Principum deprædationem, eos exactoribus tributorum comparauit. *Exactores sunt, qui pecunias exigunt authoritate publica, qui vtpote vi armata Regia, cui resistere impunè nemo potest, quo libet extorquent a timida, atque imbelli plebecula. Eiusmodi erant Principes, qui tunc non tam regebant, quam populabantur subditos: non tam Prætores, quam prædatores: non patres, sed pestes patriæ: non vindices, custodesque legum, sed omnino proditores.* Hi ergo Principes iniquissimi populatores, prædatores, pestes patriæ, proditores legum appositè exactoribus vectigalium comparantur, seu eorum appellatione exponuntur.

Furto scyphi argẽtei designantur furta exactorum vectigalium. Exo. 1.

33\. Hebræi olim tributorum exactione pene corruerunt. *Palea non dabuntur vobis, & reddetis plenum numerum laterum.* Exod. 1. At redituris in patriam iubet Dominus Ægyptios vasorum argenteorum, aureorumque expoliare thesauro. Quonam iure? Certè vt auferantur vasa pro ablatione tributorum. Ergo furtum est (iniquum planè) quod compensatione rapinæ (piæ prorsus) resarcitur. Id expresserat scyphus argenteus, cuius causa Beniaminus furti accusatur. *Scyphum autem argenteum pone in ore sacci iunioris.* Gen. 44. Vbi Rupertus lib. 9. in Gen. cap. 10. *Illud præscire poterat, quod educendi essent cum auro & argento de Aegypto. Benè igitur in prophetia expoliationis Aegyptiæ, abeuntibus argenteum scyphum suum imposuit.* Vt furto scilicet annotetur furtum illud pium, quod impij exactorum furti extitit compensatio.

Gen 44. Rupert.

Assignentur ad collectionem tributorum viri probi, qui latrocinium non sint insectandi. Clem: Alexand.

34\. Necessaria est, inquis, exactorum excursio ad tributorum collectionem ex soluentium tarditate. Fateor, sed viri probatæ pietatis ad id munus designentur, non Reipublicæ homunciones vilitate pressi, qui otio addicti nullum non mouent lapidem, vt expilationi pauperum assignentur vectigalium exactores. Clem. Alex. lib. 6. Strom. *Propheta apud Aegyptios præest distributioni tributorum.* Huiusmodi Prophetarum Principem Iosephum extitisse reor. Sed cur Prophe-

tá præest tributorum collectioni? An vt scientia à Deo immissa prænoscat, quantum vectigalis quisque soluere valeat? Non inficior. Attamen instituto conuenientius, vt possit cum Propheta Helisæo munera repellere Naamani, quamtumuis cum Giezi furto acquirere.

Observat. IV.

Ad illa verba:

Et quæ sunt Dei, Deo.

Non sunt danda Cæsari, quæ Dei sunt.

Vndè taxantur Principes, qui ab Ecclesiasticis tributa exigere tentant.

Interlinearis Glossa, *Quæ sunt Dei, Deo reddenda, scilicet decima, victima*, fructus Ecclesiastici. Cæsari dentur, quæ Cæsaris sunt secularium vectigalia; sed quæ sunt Dei, Ecclesiastici census, Cæsari tribuenda non sunt. Catholicus Princeps à bonis sic Ecclesiasticis abstinet, sicut ab alienis; quia quæ sunt Dei, soli Deo sunt exhibenda. 35. Interl.

Reprehendit Tertullianus Apolog. cap. 13. Gentiles Principes, qui Deos suos fecere tributarios, *Dij verò, qui magis tributarij, magis sancti; imò magis sancti, qui magis tributarij.* Vsque eo Regum illorum exorbitauit auaritia. An non Sacerdotes Dij veraciter appellantur? *Ego dixi Dij estis.* Ergo Gentilium impietatem æmulabitur Princeps, qui Deos fecerit vectigales. 36.

Gentiles Deos fecere tributarios. Tertull.

Sacerdotum census annuos Principes Romani tributis aggrauantes, à D. Saluiano lib. 4. de Prouid. latrones, ac deprædatores vocitantur, & merito; quia quæ Cæsaris non sunt, quia sunt Dei, sibi vsurpare non verentur. *Quis ergò locus est, vbi non a principalibus Ciuitatum viduarum, & pupillorum viscera deuorentur, & cum his ferme sanctorum*, id est Sacerdotum, *omnium? Nam & hos quasi viduas, & pupillos habent; quia tueri se aut pro studio professionis sua nolunt*, (Christus enim Petro, cunctisque Sacerdotibus Ecclesiasticisque indixit, *Conuerte gladium tuum in vaginam*) *aut innocentia, atque humilitate non possunt. Nemo itaque tutus horum est, nec vllus admodum præter summos à vastatione latrocinij populantis immunis, nisi qui ipsis latronibus par est in hoc conditione.* Quam aliter Principes Catholici! Proprios census Ecclesiæ dicant, & à propriis commodis detrahunt subsidia, vt abundet Ecclesia. 37.

Taxantur Principes Romani qui, quæ sua non erant, ab Ecclesiasticis exigere nõ verebantur. Saluian.

De Helena Constantini matre sanctissima fatur epist. 11. Paulinus, *Prompto filij Imperatoris assensu mater Augusta patefactis ad opera sancta thesauris, quantoque sumptu, atque cultu Regina poterat, & Religio suadebat, ædificantis Basilicis toto abusa fisco est.* Quidnam abuti fisco? Detrahere à Regiis, vt Ecclesiæ impendat. Hoc abusu pio admodum Helena Regium thesaurum egestatibus consecrabat Ecclesiæ. Quam longè aberat Regius animus ab vllo Ecclesiæ grauamine imponendo! 38.

Helena vel necessaria detrahebat à fisco Regio, vt daret Ecclesiæ. Paulin.

39. *Alexius Rex restituit pœnitens quod ab Ecclesia acceperat bello oppressus, quia Dei erant diuitiæ, non sua.* Alexius Comn.

Alexius Comnenus Græcus Imperator Ecclesiæ diuitias accepit, vt se posset à maxima indigentia ad Regni custodiam, ac subditorum commoda liberare. At postmodum se velut reum latrocinij accusat, diuitiasque sacras Ecclesiæ restituit; quia Cæsaris non est, quidquid Dei est. Vt autem posteræ ætati & delictum, & pœnitudo Regis exponeretur, hæc piissimè scripsit. *Varia negotiorum circumstantia dum vbique publica exhauriuntur æraria, passimque hostium incursionibus patet aditus, tranquillum Imperij nostri statum represserant. Ex quo euenit, vt in summam rerum angustiam adducti, iisque omnibus exuti, quæ lapsis alioqui adiumentum aliquod afferre poterant: tandem vel sacra, diuinaque Donaria contingere, iisque nostram solari inopiam statuerimus. Quod certè factum in plerisque sacris, diuinisque Ecclesiis admissum est; nec sacrorum donariorum pauca in publicos cesserant vsus, Nec eo quidem adducti sumus, vt quicquam moliremur vel in Dei contumeliam, & contemptum: vel in eorum despectum, quæ illis pia consecrauit antiquitas; sed vrgente temporum necessitate, atque etiam consilio nostro, quod medio se operi immiscuit. Quamobrem* (attende) *vt sit errantis medicina confessio coram Deo, & hominibus, Imperatoria se Maiestas prolapsam fatetur: veniamque delictis, quæ temerè admisit, ex intimis animi adytis postulat; seque omnia, quæ sui sunt imperij, diuino Numini mancipatarum, eaque viribus Imperatoriis denuò restiturum pollicetur: quæ in hodiernum vsque diem ab Ecclesiis Deo sacris oblata in publicos vsus malè versa sunt. Hæc enim persoluenda nihilo secius quam priuatum aliquod debitum in se recipit, nec se sanctis obæratum Ecclesiis inficiatur.* Concludit Princeps, *Quare in posterum tum sibi tum post se futuris Christiani dogmatis Principibus aurea hac Bulla legem non minus obseruandam imponit, quam si à Deo ipso dictaretur: nè quis posthac hæc sacra temerè contrectet, etiam si Cadmea necessitas vrgeat.* Aurea planè Bullæ aureæ dogmata Principibus indicuntur. Tu apud tom 3. Bibliot. PP. relege vberius, & nullum sine pondere verbum excidat.

Quæritant Principes, vtrum ab Ecclesiasticis possint eleemosynam accipere bellis depauperati Reges: si quidem Ecclesiæ bona, quæ ex congrua sustentatione supersunt, alendis pauperibus debent consecrari. Hæc velut dona gratuita Reges accipiunt ab Ecclesia. Profectò si vis non adsit, si metus non incutiatur, si rogans magis, quam imperans Princeps accedat: potest planè Ecclesiæ potiri diuitiis. Nam quæ sunt Dei. & ideo pauperis: sunt Cæsaris, cum inopia premitur. Bellè Tertullianus lib. de fuga in persec. cap. 14. *Cæsari reddens, quæ sunt Cæsaris: Deo verò, quæ sunt Dei. Sed omni petenti me dabo in causa eleemosynæ, non in concussura. Petenti inquit, Porro qui vim incutit, non petit. Qui comminatur, si non acceperit, non postulat, sed extorquet. Non eleemosynam expectat, qui non miserandus, sed timendus venit.* 40. *Licet Regi ab Ecclesiastica accipere eleemosynæ nomine, si vi non extorqueat.* Tertull.

41. *Si Principes pauperibus dant, debitori si soluunt, Christum efficit verè tributarium.*

Enim verò nec eleemosynæ nomine ô Reges ab Ecclesia accipiatis, quodammodò enim tributarius Christus efficitur, cum authoritas postulantis non patitur abnegari subsidium. Vultis indicem quonammodo salutare vobis sit Christum facere vectigalem? Pauperibus dum ipsi indigetis, donaria elargimini; creditoribus debita soluite, Christus vectigal vester exsurgit, vt conferat è thesauro suo omnes bellorum sumptus, ac gloriam victoriæ. Publicanus quidem Zachæus hanc doctrinam vos docuit profatus: *Domine ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Luc. 19. Dum dat, & reddit, Christum exactor tributorum reddidit tributarum. *Hodie* (inquit) *salus domui huic facta est.* Ad quæ Basilius Seleu. Orat. 35. exclamat, *O Publicanum clementiæ mercatorem! O Publicanum, qui de portu felicitatis rectè vectigal petit! Docuisti vectigalium redemptionem iustitiæ valeatiorem: non desiisti vectigal poscere, dum Christum ipsum vectigalem fecisti.* Pulchrè. Luc. 19. Basil Sel.

LIBER

LIBER VNDECIMVS.

COLLOQVIVM IESV CVM CENTVRIONE.

PARAPHRASIS, ET COMMENTARII literales ad caput octauum Matthæi.

Panegyrici Morales circa literam in Iesum colloquentem.

PROLVSIO.

CHRISTVS Capharnaum reuersus Centurionis, ob raram fidem insigniter commendati famulum paralysi laborantem absens sanitati restituit. Exprimitur Gentilitatis ad IESV fidem profectio iuxta illud: *Multi ab Oriente, & Occidente venient*, &c. Porrò Gentilitas Mariæ intercessione Christo addicitur in Hispania, cunctasque hæreses, omnes idololatriæ ritus ipsa sola in vniuerso mundo interemit. Ideò Richardus asserit, spirituali Ecclesiæ ædificio electos lapides ob Mariæ preces præparari ex Gentilibus. *Cum lapidibus regionum erit pactum tuum. Iob.5. Hos lapides appellat Glossa electos regionum, id est, qui de omni regione Gentilium sunt electi, & congregati pèr Mariam. Vnde Dominus Matth.8. Multi ab Oriente, & Occidente venient.* Appositè.

Dominici vitalis ligni FRVCTVS VNDECIMVS. Richard. Laurent. Iob. 5. Gloss. Matth.8.

MATTHÆVS CAP. VIII.

VERS.5. CVM introiisset IESVS Capharnaum; accessit ad eum Centurio rogans eum, & dicens:

6. Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur.

7. Et ait illi IESVS, Ego veniam, & curabo eum.

PARAPHRASIS.

5. CVM *Dominus Capharnaum ingressus fuisset: (id oppidum est non procul ab stagno Genezareth) adiit illum Centurio quidam precator, qui profatus est.*

6. *Domine, est mihi famulus domi, quem vnicè charum habeo veluti fidum, & vtilem ministeriis: is iam totus lecto affixus est paralysi, & morbo sæuissimo discruciatur iam morti proximus.*

7. IESVS *delectatus hominis fide, qui non dubitaret & absenti verbo mederi posse: respondit, ipse veniam, & sanabo eum.*

8. Et reſpondens Centurio, ait: Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum: ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus.

8. Ad quæ Centurio: Domine, Iudæus non ſum duplici nomine Iudæis abominandus, & quod incircumciſus, & quod à lege Moſis alienus: ob hæc autem indignus, cuius tu tectum ſubeas, meoque contubernio contamineris. Nihil opus eſt corporis tui præſentia; tantum verbo iube, protinus puer meus ſanitate donabitur.

9. Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites; & dico huic, Vade, & vadit: & alij, Veni, & venit: & ſeruo meo, Fac hoc, & facit.

9. Ex meipſo coniecturam facio; habeo Præfectum, cui ſubditus ſum: eius iuſſis obtempero; nec eſt neceſſe, vt ipſe per ſe ſubeat omnia; ſatis eſt illi, cum auctoritate delegaſſe. Rurſus habeo milites meæ poteſtati ſubditos, per quos obeo, quæ meipſo parum ſunt digna; tantum iubeo, & illi meis iuſſis obtemperant. Huic iubeo, vt eat aliquò, & abit; alteri vt veniat, & venit. Seruo meo, in quem mihi priuatum ius eſt, Fac hoc, aut illud; & nihil cunctatus facit.

10. Audiens autem, IESVS, miratus eſt; & ſequentibus ſe dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſraël.

10. His auditis, miratus eſt Ieſus, non quod fidem hominis ignoraret; ſed vt omnibus admirabilem redderet. Et conuerſus ad Iudæos, qui ſequebantur, Illud, inquit, vobis affirmo, hactenus non inueni tantum fidei in populo meo Iſraelitico, quantum in hoc alienigena, qui nec per Prophetas nouit; nec noſtram doctrinam accepit, nec miracula vidit.

11. Dico autem vobis, quod multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in Regno cœlorum.

11. Illud affirmo vobis; futurum eſt, vt multi veniant vndique ex partibus orbis remotiſſimis Orientis, & Occidentis: & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in Regno cælorum: hoſque veſtri patres ob fidem Euangelicam pro legitimis filiis agnoſcent, & adhibebunt ſuæ menſæ conſortes æternæ felicitatis.

12. Filij autem Regni eiicientur in tenebras exteriores; ibi erit fletus, & ſtridor dentium.

12. Contra filij Regni, qui iuxta carnis cognationem genus ducunt ex Abrahamo, Iſaacco, & Iacobo ob incredulitatem non ſolum ad felix illud conuiuium non recipientur; ſed in tenebras expellentur externas: vbi pœnas diffidentiæ ſuæ flentes, ac ſtridentes dentibus dabunt æternùm.

13. Et dixit IESVS Centurioni, Vade, & ſicut credidiſti fiat tibi; Et ſanatus eſt puer in illa hora.

13. Verſus denique ad Centurionem dixit: Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi. Dictum ſecuta res. Si quidem compertum eſt, eodem tempore ſubitò Centurionis famulum fuiſſe morbo liberatum; ne quis ſuſpicari poſſet caſu, aut medicorum ope factum; nemo enim ſubitò iuxta naturæ curſum à paralyſi liberatur.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

Centurionis Fides.

TEXTVS.

VERS. 5. CVm autem introiisset IESVS Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: 6. Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. 7. Et ait illi IESVS, Ego veniam, & curabo eum. 8. Et respondens Centurio, ait: Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum: sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus. 9. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites; & dico huic, Vade, & vadit: & alij, Veni, & venit: & seruo meo, Fac hoc, & facit. 10. Audiens autem IESVS, miratus est, & sequentibus se dixit, Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israël.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Centurione ad Dominum accedente.

1. *Contextus.* CVM *introiisset* IESVS *Capharnaum.*] Post sanatum leprosum, Vrbem Capharnaum ingressus Dominus. Inibi quidam Miles accessit, mirabilique fide famuli impetrauit sanitatem.

2. *An Iudæus Centurio?* Hilar. *Ethnicus erat.* Luc. 7. *Accessit ad eum Centurio.*] Iudæus ne, an Ethnicus? Hilarius Iudæum esse docet. *Non erat Tribunus iste de Gentibus. Et quomodo in Israel fides talis non est reperta, cum qui crederet, esset Israelita?* Verosimilius arbitror Ethnicum extitisse. Colligo ex illis Iudæorum verbis: *Diligit gentem nostram.* Luc. 7. Et ex Dominica sententia, *Multi ab Oriente, & Occidente* (similes Centurioni) *venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob; Filij autem Regni,* (id est, Iudæi) *eiicientur in tenebras.* Addidit, *Non inueni tantam fidem in Israel.* Lucas, *Neque in Israel tantam fidem inueni.* Allicior etiam ipso à munere Centurionis. Videtur enim Romani præsidij, quod Galilæam teneret, fuisse Centurionem. Centurio autem is dicitur, qui centum militibus imperaret.

3. *Ex Patribus confirmo* Chrysost. Fauet expositioni D. Chrysostomus, dum ait homil. *Ex genere Iudæorum non fuisse Centurionem, tum a nomine ipso, vocabuloque Centurionis, perspicuum est; tum etiam, quia dictum est, Neque in Israel tanta fides fuit inuenta.* August. Et Augustinus serm. 6. de verb. Domin. *Erat iste de Gentibus: erat quippe Centurio. Iam Iudæa gens habebat militem, habebat Romanum Imperium.* Fere omnes Interpretes subscripsere.

4. *An fuisset ille Regulus? An distinctus Centurio?* Chrysost. Nonnulli apud Chrysostomum homil. 34. in Ioan. illum Regulum fuisse putarunt, qui apud Ioannem filij à IESV consecutus est sanitatem Cap 4. Alij existimarunt, teste eodem Chrysostomo homil. 27. in Matth. Centurionem, de quo scribit Matthæus, ab eo diuersum esse, de quo Lucas scripsit. At diuersum à Regulo Centurionem facilè legens Matthæum & Ioannem iudicabis. Vnicum autem Centurionem fuisse, communis Patrum sententia est.

Difficilior quæstio ex Euangelistarum pugna exsurgit. Lucas ait Centurionem pueto sanitatem per internuncios petiisse: Matthæus autem affirmat ipsum ad Christum accessisse Centurionem. Si Centurio *misit ad* IESVM *seniores* Iudæorum rogans eum vt veniret; quonammodo *accessit ad eum Centurio, rogans eum?* Augustinus opinatur lib. 2. de Cons. cap. 10. accessisse Centurionem ad Christum non per se, sed per internuncios, quos immisit. Sequor Chrysostomum, Theophylactum, Euthymium, & alios multos putantes ipsum accessisse Centurionem. Nitor illa IESV sententia. *Vade,* id est, reuertere, *& sicut credidisti, fiat tibi*: Ergo præsens aderat. Misit, vti Lucas ait, Centurio ad Christum Iudæorum seniores. Postea autem eum non longè à domo abesset misit amicos, vt idem Lucas asserit. Tandem cum iam foribus appropinquaret, ipse accessit, quod Matthæus scripsit. Verisimile valde Centurionem, postquam semel, & iterum miserat internuncios, cum videret Dominum suam inire domum, ad eum accessisse, & verba protulisse, quæ Matthæus commemorat. Chrysostomus, *Non est absurdum, missos esse primo aliquos, qui illud dicerent: deinde quoque ipsum Centurionem accessisse, ac per se iterum eadem dixisse.* 5. *Pugna Euangelistarum.* August. *Auctoris sententia.* Chrysost. & alij. Chrysost.

§. II.

De Centurionis precatione promissionéque Domini.

DOmine, *puer meus iacet in domo paralyticus.*] Filiusnè an famulus? Aliqui filium esse asseruere, quia charus Centurioni: & quia *Puer* & pro filio, & pro seruo assolet vsurpari. Affirmarim seruum charum adeò vt quasi filius à Domino duceretur. Apertè Lucas, *Centurionis* 6. *Filius ne, an famulus.*

cuiusdam seruus male habens erat moriturus, qui illi erat pretiosus. Portò verbum illud *Pretiosus* Græcè est, ἔντιμος, id est *Carus*, quasi fidelis, & rebus administrandis necessarius.

7. *Paralyticus, & malè torquetur.*] Morbus erat paralysis, & acribus miser seruus doloribus cruciabatur, quod quidem centurio amantem animi exposuit affectu. Anselmus Fuld. *Non in vno tantum miserabilis; sed quod est paralyticus, & quod torquetur. Hæc enim omnia cum dolore nominauit.* Cur addidit, *Et malè torquetur?* Respondet Rabanus, *Vt angustias suas indicaret, & Dominum ad misericordiam commoueret.* Cur non addidit, Venias, quæso, & sanitatem largire miserabili? Certè vt fidem amplius aperiret. Chrysostomus, *Vide fidem; non enim dixit, Veni, & salua; sed infirmitatem tantum exposuit.*

De paralysi. — Anselm. — *Cur malè torqueretur?* — Raban. — Chrysost.

8. Et ait illi IESVS, *Ego veniam, & curabo eum.*] Cur non illicò puerum donauit sanitate, sed se sanaturum promisit? Respondet Chrysostomus, *Domum Centurionis se profecturum pollicetur Dominus, vt quanta sit fides Centurionis perdiscamus. Nisi enim ita fecisset, sed illicò puerum sanasset; syncera, feruensque Centurionis fides ignota nobis fuisset.* Audiendus Auctor Imperfect. hom. 22. *Cum non peteretur Christus, vt iret, promisit, se ire; primùm quidem vt excitaret fidem Centurionis. Nisi enim Christus dixisset, Veniam, & sanabo eum, nunquam Centurio respondéret, Non sum dignus. Hoc enim consilio & Cananææ clamante, Filia mea malè à dæmonio vexatur, respondit. Non est bonum tollere panem filiorum, & dare canibus: vt illa prouocata responderet, Etiam Domine, nam & catelli de micis filiorum manducant. Sic & Centurioni respondit, quod nolebat, vt quod volebat audiret. Deinde quoniam petitio Centurionis erat pro seruo, ideo ire proposuit; vt nos doceret, non magnos colere, & modicos contemnere; sed pauperes, & diuites similiter honorare.*

Cur non illicò sanat, sed sanandum promittit? — Chrysost. — Imperf.

§. II.

De humilitate Centurionis.

9. VT intres sub tectum meum,] Cur se indignum sic reputabat? An quia Iudæis erat abominabile domos ingredi Ethnicorum? Lyranus sic, & ex Apostolicis Actis probo. *Vos scitis* (ait Petrus) *quomodo abominatum sit Iudæo coniungi, aut accedere ad alienigenam.* Cap. 12. *Et fortè* (loquor cum Lyrano) *quia Centurio idola domi habebat, ideo ab ingressu Christum repellebat.* Portò non placet Abulensi Lyrani suspicio, nec verosimile reputat, hominem, in quo tanta fides rutilauit, domi recludere simulachra.

Cur se indignum putaret? — Act. 12. — Lyran.

10. Existimarim planè, verba illa ex fide profecta. Se putauit indignum, cuius domum Dominus iniret, quia Christi summam dignitatem, Deo illustrante, dignouit. D. Hieronymus, *Vidit Dominus, Centurionem suam intelligere maiestatem. Eadem ob causam per amicos, Luca attestante, dixit: Nec ipsum me sum dignum arbitratus, vt venirem ad te.* Scio Iudæos ad Ethnicos accedere non audere, Ethnicos tamen ad Iudæos venire, eosque in ædes recipere non recusare. Vnde Centurio Christum quod Iudæus esset non recusauit in domum excipere, sed quia eius summam dignouerat dignitatem. D. Petrus Chrysologus serm. 15. *Petrus exclamauit, dicens: Exi à me Domine, quia homo peccator sum. Luc. 5. Sic eum Petrus exire à se rogat, quomodo Centurio ad se supplicat, non venire. Agit vterque, ne indignitas hospitij in hospitem maneat iniuriam.*

Verba ex fide profecta. — Hieron. — Chrysol.

11. Apud Lucam Centurio. *Misit ad eum seniores Iudæorum rogans ipse.* Si mittit seniores, vt rogarent (quia seipsum indignum existimarat ad rogandum vt ad domum suam veniret,) cur curat Domino suadere, ne veniat? Certè & senioribus suam fidem non manifestauit; illis se accommodans, & illorum ductum sequens, per illos rogauit, vt veniret; postea verò per amicos quibus suam aperuerat fidem, & per seipsum efflagitare curat, ne veniret, quod dignus non esset, qui eum tecto reciperet.

Quomodo misit seniores, & amicos, si ipse venit.

12. *Sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.*] Iube ore, verba sufficient, satis vnum verbum est. Haud opus domum ingredi, aut tangere ægrotum; impera, oris tui paralysim fugabis imperio. Anselmus. *Magna fides, qua Deo dicere, credidit esse facere.* Sed & ineffabilis Christi humilitas & humanitas, qui cum dicere ipsius facere esset, se venturum promisit. Strabus. *Ad filium Reguli noluit venire, ne diuitias honorare videretur; hîc autem, ne seruilem conditionem videretur spernere, iturum se dicit. Poterat verbo curare, (& curauit in itinere, ne præsentia necessaria videretur) sed ob humilitatem visitare dignatur.*

Centurionis fides, potentia verbo sanari famulum. — Anselm. — Strab.

13. *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, &c.*] Sub potestate Imperatoris ego submittor, attamen milites mihi subiiciuntur, & famuli, quibus verbo solo impero, illique verbo obediunt. Si ergo obediunt verbo meo milites, qui sum sub potestate alterius constitutus: multo magis obedientiam præstabunt tibi morbi, qui omnem superas potestatem. Augustinus serm. 6. de Verb. Dom. *Si ego homo sub potestate, iubendi habeo potestatem: quid tu possis, cui omnes obediunt potestates?* Hieronymus asserit hisce verbis significasse Centurionem, Christum Angelis sic imperare, quemadmodum ipse imperaret militibus. *Volens*, inquit, *ostendere Centurio, Dominum quoque non per aduentum corporis, sed per Angelorum ministeria posse implere, quod vellet.*

Rationem suæ fidei exprimit. — August. — Hieron.

14. Hinc colligo, Centurionem Christi Diuinitatem agnouisse. Quod asseruit Chrysostomus fatus, hom. 27. *Diuina potestas Christo à Centurione tribuitur.* Hieronymus, *Christi maiestatem Centurio intellexit, & intra corporis tegmen latentem cognouit Diuinitatem.* Contestatur Origenes hom. 5. in diuer.

Chrysost. — Origen.

§. III.

De Centurionis fide à Domino commendata.

15. AVdiens autem IESVS, *miratus est.*] Admiratio ex inopinatis, & incognitis rebus exoritur. Augustinus lib. 1. cont. aduersar. legis & Proph. cap. 7. *Quisquis miratur secundum consuetudinem, qua homines loquuntur, inopinatum, atque improuisum significat, quod miratur.*

Quomodo Christus admiratione afficitur? — August.

Et

Et lib. 1. de Gen. cont. Manich. cap. 8. *Admiratio in vera de rebus insperatis nasci solet.* Cum ergò exploratissima Christo esset Centurionis fides, ipseque, vt Augustinus ait, illam efficeret non est illam admiratus. Quomodo ergo asserit Euangelista Dominum admiratum?
Maldon. Maldonatus putat non esse re vera miratum Saluatorem; tamen dici miratum, quod admodum mirantis hominis fuerit locutus. Ex eo Augustino videor accepisse.

16. *Alia Patrū interpretationes.* Thom. August. D. Thomas sic interpretatur, *Admiratio est apprehensio magnitudinis effectus, quod fit ex imaginatione, & phantasia alicuius effectus, magni: & sic potest cadere in Christum.* Vnde admiratus est, id est, magnum reputauit. Augustinus autem epist. 102. ad Euod. *Ista causa sunt admirationis, cum vel ratio cuiusque rei latet, vel eadem res vsitata non est, quod aut singularis, aut rara est. Ex causa admirationis, quæ ideo est, quia insolitum aliquid occurrit: Scriptum est de Domino, quod miratus sit Centurionis fidem; neque enim eum res vllius ratio poterat latere. Sed admiratio pro laude posita est eius, cuius par in populo Hebræo non apparuerat. Vnde ipsa admiratio satis exposita est, cum Dominus ait: Non inueni tantam fidem in Israël.* Itaque D. Thomas de affectu admirationis non loquitur, sed admirationem, quam Christo tribuit, apprehensionem magnitudinis effectus appellat. Euangelij verba illa: *Admiratus est Christus* exponit, *Magnum reputauit centurionem.* Augustinus autem admirationem laudationem interpretatur; nec concedere videtur Christum re vera admiratum.

Auctoris sententia. Credideritm Christum admiratum Centurionis fidem, non quod secundum experimentalem scientiam illi anteà fuisset incognita: sed quod vt raram in Ethnicis, & insolitam re ipsa, magnamque animo conceperit. Possumus enim res magnas, hominibusque insolitas, quamuis notæ sint admirari. Addit Barradius,
Barrad. *Potuit Dominus, etsi rem haberet exploratissimam, motum in se excitare admirationis.*

17. *Non inueni tantam fidem in Israël.*] Fuit planè in Israëlitis maior fides, videlicet in Patriarchis, in Deipara, in Ioanne Baptista, *An fides Centurionis vicerit fidem* in Zacharia, in Apostolis, in Iosepho. Quo- *Patriarcharum, &c.* nammodò ergo asseruerit Dominus à Centurionis fide fidem omnium Israëlitarum superatam? Respondet Hieronymus, De præsenti- Hieron. bus loquitur, non de omnibus retrò Patriarchis, & Prophetis. Abulensis docet, non Abul. complecti Christum comparatione huiusmodi personas præclarissimas, qualis Deiparens, Baptista, & alij eiusmodi. *Comparat enim fidem Centurionis cum fide populi, non autem cum fide illorum, qui extrà controuersiam erant.* Aptius Auctor Imperfect. proportione quadam Cen- Imperf. turionis fidem maiorem exposuit. *Si non sumus ausi, fideliorem Centurionem putare, quam Apostolos, ita testimonium Christi intelligendum est. Quod vnumquodque bonum hominis secundum qualitatem illius personæ laudatur. Puta si rusticus aliquod verbum sapienter loquatur, Philosophus multo amplius sapienter; in modico sermone sapientia rusticus plus laudatur, quam in magno Philosophus. Quoniam rusticum dicere aliquid sapienter, magnum est: Philosophum autem dicere sapienter, non est mirum. Aut si puer aliquid astutè loquatur, dicimus, Sapiens puer; si autem vir perfectus sapienter loquatur, non laudatur quasi sapiens. Non quia puer plus sapuit, quam vir perfectus; sed quoniam ad comparationem ætatis suæ sapientior videtur esse, quam ille perfectus. Sic & in Centurione dictum est, Non inueni tantam fidem in Israël. Non quia neque Apostoli tantam fidem habuerunt.* Alij aliter.

Profectò cum Abulensi, Barradio, & alijs 18. existimo, Dominum non simpliciter omnes *Auctoris sententia.* Israëlitas cum Centurione conferre, sed illos Abul. tantum qui ab eo petierunt sanitatem. Sic sen- & alij. tentiam expono: Postquam concionari, & miracula patrare cœpi, nullus à me tanta fide petiit sanitatem, quanta hic Centurio postulauit. Sensus hic Apostolis suum seruat honorem; haud enim cum Centurione comparantur. Illud indicat verbum, *Inueni*, ac si diceret: Non occurrit mihi hactenus vllus, qui tanta fide sanitatem efflagitaret.

IN
IESVM COLLOQVENTEM
PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS
CIRCA LITERAM,
EX CENTVRIONIS FIDE.

OBSERVAT. I.

Ad illa verba:

Accessit ad eum Centurio.

Viri nobilitatem exprimit Euangelista, dum vocat Centurionem? Aptius illam explicat Dominus, dum fidelem appellat.

Vera etenim nobilitas non à maioribus sed à moribus deriuatur.

EVANGELISTA asserit virum hunc 19. esse Centurionem nobilitatis planè titulum augustum. At Dominus affirmauit esse fidelem, & ex in famulum velut in filium dilectionem, & ex procuratione commodi ægro

ægrotantis, & ex humilitate, qua curauit Dominum ad suum babitaculum non diuertere. Eo veram non maiorum, non militaris muneris, sed morum nobilitatem. Fatur Chrysologus serm. 15. *Vere Centurio, qui stipendia terrena centenarium cœli mutauit in fructum: & secuturam militia temporales in diuinam sustulit dignitatem.* Vere Centurio, non quia sub se habebat milites, non quia militari præfulgebat dignitate, sed quia moribus emicabat.

Chrysol.

21\. Moyses inquit, *Vixit Adam centum triginta annis, & genuit ad imaginem, & similitudinem suam, vocauitque nomen eius Seth.* Gen. 5. Porrò Seth, idem, Hebraicè, ac *Positus* in exemplum morum. En filij nobilitas patris iusti similitudinem exponere. Cur non dixit de Cain *Genuit ad similitudinem suam*, sed, *Eua concepit, & peperit Cain?* Chrysostomus, *Non dixerat de Cain, secundum imaginem suam, hoc est, eorumdem morum, quibus iste, qui genuerat, & qui seruet maiorum characteres, operibusque paternos mores exprimat.* Erat Cain Centurio à foris, intus autem *Positus* in exemplum, sed in dedecus familiæ. Cæsarius hom. 4. *Sine causa à foris vel genere, vel honore conspicuus, qui non est intus ingenuus.*

Cain ignobilis, quia mores improbi, secus Seth iustitia augustus. Gen. 5. Chrysost. Cæsar.

22\. An non regalis dignitas cunctas superat dignitates? Profectò Rex impius ignobilis planè. Ait Salomon, *Beata terra, cuius Rex nobilis.* Eccles. 10. *Cuius Rex nobilis?* An potest esse ignobilis, si Regia fulget gloria? An non vel sanguinis impuritas assolet in Regio stirpe animo deleri? Si ergo Rex est, proculdubio erit nobilis. Minimè verò, si iustus est, nobilis erit, si iniustus laborabit ignobilitate. Lyranus, *Beata terra cuius Rex nobilis moribus.* Hæc enim vera proculdubio nobilitas. Gregorius, *Quando altera nobilitas alteri copulatur, quasi gemma carbunculi in ornamento sociatur auro.* At quando non adest morum carbunculus, aurum nobilitatis confictæ obscuratur. Ergo morum probitas nobilitatis aurum generosum ostentat.

Rex impius Regali dignitate non fulget. Eccles. 10. Lyran. Gregor.

23\. Audi Ieremiam. *Facies Sacerdotum non erubuerunt, neque senum miserti sunt.* Thren. 4. Legit Ambrosius, *Et nobilibus misericordiam non dederunt.* Quare nobiles appellauit *senes*? Quia *senectus venerabilis* immaculata vita, quæ nobilitatem faciebat rutilare. Addit Doctor, *Qui erant nobiles, nisi qui non obscurant hanc nobilitatem, sed in lumine sanctitatis vitam egerunt?* Sanctitas enim nobilitatem mirificè illustrat, sicut improbitas offundit obscuritate.

Impij obscurant nobilitatem. Thren. 4. Ambros.

24\. Ideo Iudæis se filios Abrahæ iactantibus ait Dominus, *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Ioan. 8. Vos Abrahæ nobilissimi filios non agnosco, quia peccatis fulgorem ingeniorum obscuratis. Cyrillus ad cap. 9. Amos. *Non enim Deus carnalem nobilitatem studiosis actionibus destitutam agnoscit.* Si à Deo non agnoscitur, planè non est.

Non agnoscit Abrahæ filios Deus peccatores. Ioan. 8. Cyrill.

25\. Iactarat se se Diues purpuratus ex Regio Abrahæ sanguine ortum. *Pater Abraham, mitte Lazarum.* Luc. 16. Nec immisit, quia ignobilitate criminum obscuratum, illum propinquum non agnouit. Lazarum gremio excepit vera nobilitate ornatum ex sanctitate morum. D. Paulinus epist. 31. de Alethio Senatore in pauperes diuitias fundente, inquit: *Poteras Roma, intentas tibi in Apocalypsi minas non timere, si talia semper ederent munera seniores tui. Verè nunc tibi nobilis esset illa nobilitas, quam Abraham paterno excepit sinu, quam cœli senatus agnosceret, quam post togam nulla immundi sanguinis sanie funestam Regali promissa lucis stola Christus indueret: & in libro albo, hoc est libro vitæ perennis adscriberet.*

Abraham agnouit filium pauperem sanctum, non purpuratum impium. Luc. 16. Paulin.

Sapiens Regibus, Principibus, ac Centurionibus profatur, *Si ergo delectamini sedibus, & sceptris, ô Reges populi, diligite sapientiam.* Cap. 6. Saluianus lib. 1. ad Eccles. sic exposuit, *Si vsu vestrarum rerum penitus carere non vultis, id agite, ne aliquando careatis*, id est, *diligite sapientiam.* Ac si minimè sit Rex, Princeps, Centurio, qui sapientiam non diligit, hoc est, ab insipientia criminis liberari non satagit. Preme particulam, *Si ergo.* Ac si diceret, quasi vi consequentiæ adductus: Delectamini sedibus? Ergo debetis diligere sapientiam, siue ornari sanctitate. 26.

Qui vult verè Centurio fieri, diligat sanctitatem. Sap. 6. Saluian.

OBSERVAT. II.

Ad illa verba:

Domine, puer meus iacet in domo paralyticus.

Abundans Centurio militibus, se putat siue vllo famulo existere, dilecto vno dum priuatur.

Dominum exprimit sic vnius peccatoris amissione affici solitum, ac si omnibus hominibus priuaretur.

Miror Centurionem tam anxiè & seniorum, & amicorum intercessione, & propriis effusis precibus, vnius famuli salutem procurare, dum tot famulantibus militibus abundaret. *Habens sub me milites, & dico huic, Vade, & vadit,* &c. Nec memorat ægrotantis famuli ministerium, ac si inutilis omnino reputaretur. Si ergò inutilis paralyticus aderat, multique Centurioni præstabant obsequium, cur tam enixè vnius serui procurat sanitatem? Verè Præsul D. Basilius Seleu. Orat. 19. *Non serus contempsit afflictionem herili fastu turgens, neque pro voluptate, quam ex numeroso satellitio capiebat, pueri immobilis oblitus est; verum abibat inuestigans periculo remedium.* 27.

Basil. Seleu.

Ex mente Berchorij, & aliorum Centurio Christi Domini de peccatorum salute soliciti exerit simulacbrum. Adeo charus vnus Deo peccator, vt eius amissione, putet quodammodò se omnibus hominibus vacuum remanere. Conqueritur Cruci illigatus Dei Filius, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Matth. 27. Derelictum se Dei filius à Patre proclamat? Quomodo derelictus nec vti homo, si quod semel assumpsit, numquam dimisit? Certè derelictum se asserit, id est desolatum, aut solitudini addictum. Hilarius, *Paterno Christus in omnibus vsus auxilio, nunc inops eius, mortique permissus solitudinem suam conqueritur.* Quam solitudinem? Certè Iudas è grege ouicula erronea lupi tartarei cucurrit ad fauces. 28.

Vno Iuda impio priuatus Dominus, se solũ, sine illo peccatore relictum conqueritur. Matth. 27. Hilar.

Vno

Vno autem peccatore amisso, se se Christus, cui innumeræ oues addicuntur, reputat solitarium.

19. En ouiculæ erroneæ parabolam. *Quis ex vobis homo*, (verus ait Pastor,) *qui habet centum oues; et si perdiderit vnam ex illis, non ne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat eam?* Luc. 15. Cur omnes oues in deserto reliquit, vnicam ouiculam requirens? Strabus, *In vna oue intelligitur numerus omnium peccatorum.* Si omnes peccatores in vna oue perduntur, quinam in nonaginta nouem ouibus designantur? Certè ipsi perditi homines ob Adami delictum. Si omnes sunt in nonaginta nouem ouibus peccatores, quonammodò vnica ouicula etiam omnes exprimit peccatores? Crediderim, quia vnico peccatore pereunte, Pastori quodammodò omnes perduntur oues. Ideoque quasi derelictum omnem gregem dimittit, dum vnica ouicula separatur.

Vna ouicula perdita Pastori cœlesti, totus quodammodò grex iactatur reparatur.
Luc. 15.
Strab.

30. Plures Regali assident mensæ Sponsi cœlestis, at vnus inurbanus haud veste ornatus Nuptiali ostenditur. Cui quidem Rex, *Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* Matth. 22. An non damnatur vnus è multis? Si ergo vnus solum damnatur ad tenebras immissus, quonammodò pauci sunt electi, siue multi damnati? Imò & omnes. Quia tam charus Regi subditus vnus, vt hoc damnato quasi cuncti ad mensam vocati iusti fuerint damnationi addicti. Augustinus serm. de Nupt. filij Reg. *Certe erat vnus ille, qui non habebat vestem Nuptialem. Proiicite eum. Quare proiicitur? Multi sunt vocati, pauci verò electi. Dimittite paucos, proiicite multos; & certè vnus erat.* Multi imò omnes quodammodò proiiciuntur, dum vnus deturbatur? Sic peccator pretiosus Conditori deturbatur.

Vnus peccator sine veste Nuptiali missus in tenebras, quasi omnes electi immissi Domino videntur.
Matth. 22.
August.

31. Lucas sic Centurionis instituit historiam. Centurionis autem cuiusdam seruus male habens erat moriturus, qui illi erat pretiosus. Cap. 7. Vbi Ambrosius, *Seruus hic populus Nationum qui mundanæ seruitutis vinculis tenebatur*, qui pretiosus Domino. At milites centum, vel potius nonaginta nouem (si famulum paralyticum ad numerum militum velis pertinere) idem est cœtus hominum ex Gentilitate credentium. Cur ergo vnicus seruus est Domino Centurioni omnis fidelium pretiosus exercitus, nisi quia dum vnicus laborat homo, se omnibus priuandum quodammodò Dominus reputauit?

Deo vnus peccator charus velut omnes.
Luc. 7.
Ambros.

32. A Ioabo excogitatam illam exprimo narrationem, cum curauit à Dauide Rege Absalonis veniam impetrare. *Ancilla tua* (ait) *erant duo filij, qui rixati sunt aduersum se in agro, nullusque erat, qui eos prohibere posset, & percussit alter alterum, & interfecit eum. Et ecce consurgens vniuersa cognatio aduersus ancillam tuam, dicit: Trade eum, qui percussit fratrem suum, vt occidamus eum pro anima fratris sui, & deleamus hæredem. Quærunt extinguere scintillam meam, quæ relicta est, vt non supersit, viro meo nomen, & reliquiæ super terram.* 2. Reg. 14. Non aptè videtur à Ioabo prudentissimo parabola. An non effictio hæc exprimit Absalonem cum fratre Amnoo rixantem, & illum occidentem? Quomodo ergo pereunte Absalone, nulla relinqueretur scintilla, nomenque Regis aboleretur: si Dauidi plures filij Salomon scilicet, Nathamus, nepotes multi relinquebantur? Certè Dauid ex mente Augustini, aliorumque Christi figuram exprimebat, cui vnicus peccator perditus totius est filiorum multitudinis desolatio. O quam dilecta ouicula Conditori! Quonammodò te tam vili pretio, siue tam gratis lupo tradis commouendam? Plura alibi.

Pater vnico filio sine liberis quodammodò relinquitur, dum vnico filio priuatur.
2. Reg. 14.
August.

OBSERVAT. III.

Ad illa verba:

Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur.

Puerum suum Centurio iacere proclamat, compassionis affectu se ægrotare manifestans.

Diligens enim plus ex dilecti tribulatione afficitur, quam ex propria passione.

AD illud: *Erat illi pretiosus*, Saa ait, *Erat illi charus.* Ergo Centurio ægrotante seruo, quem diligebat, ait, *Ecce puer meus iacet.* Hugo Card. *Meus, inquit, ecce compassio, quasi dicat, Morbus est meus.* Illis te reputas affici doloribus, quas dilectus videtis subire. 33.

Hugo.

Electis Iudex fatur æternus, *Esuriui, & dedistis mihi manducare; sitiui, & dedistis mihi bibere; nudus eram & cooperuistis me.* Matth. 25. Si Rex assolet sine esurie, sine nuditate, famulorum munera accipere: cur cœlestis *Rex his, qui à dextris sunt*, non memorat accepta munera digna cœlesti Regno sine expressione famis, sitis, ac nuditatis? An non quia amans pauperes suos laborantes ipse in illis laborasse exprimitur, imò toto fuisse labore affectus? Pulchrè Chrysostomus, *Dixisse sufficerat, Dedistis mihi manducare, dedistis mihi bibere: sed præmittit, Esuriui, & sitiui, quia paruus fuisset amor pauperis, quod pauperem suscepisset, nisi & passiones pauperis suscepisset. Verus amor est fecisse suas angustiati angustias.* 34.

Regi cœlesti subditus ita pretiosus (quia dilectus) vt cum ipso esuriente esuriret.
Matth. 25.
Chrysost.

Egregiè Saluianus lib. 4. ad Eccles. confirmauit. *Ego plus addo aliquid, Christum non solum egere cum cæteris: sed plus multo egere, quam cæteros. In omni enim pauperum numero non est vniuersorum vna paupertas. Christus tantummodò totus est, cui nihil est, quod in omni humano genere non desit. Et ideo quantum ad pietatem illius pertinet, plusquam cæteri eget. Omnis enim egestuosus pro se tantum, & in se eget: solus tantummodò Christus est, qui in omnium pauperum vniuersitate mendicat.* 35.

Plus eget Dominus, quam ipsi dilecti egentes.
Saluian.

Lucas sic, *Factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Cap. 22. Vbi Simon Cassian. *Durum bellum gerebatur in anima Christi, ex cuius ictibus sanguis tam latè manabat.* Vndenam tanta spiritus afflictatio? Respondet 36.

Christus sudorem sanguineum emittit ob lapidantem

dilecti Stephani contemplatione. Luc. 22. Cassian. Rupert.

spondet Rupertus lib. 6. de oper. Spirit. sanct. cap. 4. *Audiebas voces, & quos recepturus eras, ò beate beatorum Signifer Stephane, numerabis lapides: sumque recitabatur eadem nocte sanguinem, dum factus in agonia prolixius oraret, essetque sudor eius, gutta sanguinis decurrentis in terram.* Dilectionis etenim ingenium est, torquere amantem dirius, mitius dilectum vulnerare. Stephani lapidatio erat IESV amanti prodigiosus sanguinis sudor.

37. *Patienti Paulo connulneratur Christo dirius patienti pro dilecto.* Gal 6. Chrysost.

Clamitat Apostolus, *Ego stigmata IESV in corpore meo porto.* Gal 6. Cum vulneror, Christi vulnera sustineo. Cur non dicit, Christus mecum compatitur, cum vulneribus afficior? Certè quia Paulo patiente, Christus patitur prius, ac dirius: Vndè Paulus compatitur Christo, non Christus Paulo. Pulchrè Chrysostomus hom. 8. ad Popul. *Paulus est vulneratus, & connulneratus Christo.* Debuerat Scribere, *Paulus est vulneratus, & Christus connulneratus Paulo.* O quam aptè, *Connulneratus Christo.* Quia dum Paulus patitur, ita afficitur vulnere Pauli Dominus, vt videatur esse præcipuus patiens, cui debebat Paulus compati. O dilectionis vis!

38. *Alapa fuit horribilius Iesu tormentum, quia Martyres dilecti vulnerabantur.* Auson. Isa. 53. Ioan. 18.

Requirit Ausonius, *Quænam granior iniuria?* & respondet, *Planè cum patientissimus a tas vir cogitur acriter respondere.* Ait Propheta, *Quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Isa. 53. Flagellatur, & obticet; spinis coronatur, & labia miro obfirmat silentio; Cruci suffigitur, & non conqueritur. Porrò, facie sacertima vulnerata, si non acriter respondet, saltem modestè præter morem querulus inquit, *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem benè, cur me cadis?* Ioan. 18. An, ò Domine, alapa percuti est maior iniuria? Dauid prædixerat, flagellum ad tuum tabernaculum non appropinquaturum, vt ostenderet flagellationem omnium tormentorum vim superare. Cur ergo alapa percussus proclamauit, *Cur me cadis?* Certè quia Christo maior iniuria. Vndenam, precor? Pulchrè Philo Carpat. ad cap. 5. Cant. *Gena Christi, Martyres sunt Ecclesia.* Illud vulnus patientissimo Agno grauius, dirius est, cùm Martyres dilecti percutiuntur. Conqueritur itaque patientissimus Agnus, cum Martyres vulnerantur; quia plus afficitur diligens, cum dilectus percutitur; quam cum ipse horribiliter vulneratur.

Philo Carp.

39. *David Iesu typus grauius vulneratur, dilectis subditis pereuntibus.* Ambros. Isidor. Pel.

Ab Angelo percutiente populus dilectus diro vulnere afficitur, & Dauid diligens se se feriendum offert. Ambrosius ad Psalm. 37. *Dauid vbi vidit occidi populum suum, ipse se Angelo feriendum obtulit, vt ipse potius pro populo feriretur.* Isidorus Pelus. epist. 219. *Cupiebat enim Dauid potius mori cum gloria, quam, amissis subditis, turpiter viuere.* Cur viueret turpiter? Crediderim, quia diligentis est ignominiæ nota, moriente populo vulnerato, non prius amantem occubuisse, diriori nempe vulnere accepto. En IESV typus.

Observat. IV.

Ad illa verba:

Accessit ad eum Centurio rogans eum, & dicens.

Si, teste Luca, seniores, ac amicos rogatores immisit, quonammodò Matthæus asserit, ipsum accessisse, ac rogasse?

An quia tunc veraciter nos rogare Dominum dicimur, quum adimus mediatores, & simul operibus precamur.

40. *Diuorum intercessio illustratur, cum nostra operatione coniuncta.*

Docet Matthæus Centurionem accessisse, & exorasse, Lucas autem misisse seniores, & amicos: *Misit ad eum seniores Iudæorum, rogans eum, vt veniret, & saluaret seruum eius.* Cap. 7. Quonammodò igitur ipse Centurio accedit, & rogat, cum seniores, & amici venientes precantur? Certè quia tunc veraciter exoras, quando potentissimos mediatores immittis. Vis rogare efficaciter? Deiparæ, Diuorum intercessionem præmitte. At sequere accedentes, vt ipse simul preces exponas, & opera charitatis cum Centurione exhibeas. Rogitat pro seruo feruidus charitate, humiliter subditur Domino, qui sub potestate erat constitutus, ardescit fide, fulget confidentia. O quam efficaces preces, cum Diuorum intercessionem precantis simul opera comitantur.

41. *Dauidis intercessio prodest Ierosolymæ, cum Rex orat, & operatur, secus dumtaxat, & delinquit.* 4. Reg. 19.

Bis Ierosolyma fuit cincta obsidione, semel à Sennacherib, rursùm à Nabuchodonosore. Porrò cum Sennacherib premeret exercitu Ciuitatem, Rex Ezechias sanctus humi prostratus efficacem profudit orationem, facte tunc Domino, *Protegam Vrbem hanc, & saluabo eam propter me, & propter Dauid seruum meum. Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia.* 4. Reg. 19. Merita ergo Dauidis mediatoris planè Vrbem Ierosolymam protexerunt. Porrò cum à Nabuchodonosore Vrbs fuit obsessa, funditus corruere cogitur. *Et clausa est Ciuitas, atque vallata vsque ad vndecimum annum Regis Sedeciæ, præualuitque fames in Ciuitate, nec erat panis populo terræ. Et interrupta est Ciuitas, omnes viri bellatores nocte fugerunt,* &c. 4. Reg. 25. An merita Dauidis iam periere? Minimè planè? Si ergò ex meritis Dauidis intercedentis Ciuitas à Sennacheribo liberatur, cur à Nabuchodonosore comminuitur? Profectò quia Rex Ezechias humi prostratus preces effudit, misit amicum Dauidem exoratorem, ac simul ipse accedens, & precatur, & operatur fulgens humilitate. At Rex Sedecias nec preces fundit, nec opera humilitatis exponit, remittens solummodò Dauidem amicum, qui totum liberationis negotium perficeret. Pulchrè Chrysostomus hom. 1. in epist. ad Thesal. *Audi Deum dicentem, Protegam Ciuitatem istam propter me, & propter Dauid seruum meum. Sed hoc dixit, cum esset Ezechias Rex iustus. Quare non dixit hoc Deus*

4. Reg. 25.

Chrysost.

etiam,

etiam, cum Nabuchodonosor illos adoriretur, sed Ciuitatem hanc tradidit? Id.u scilicet, quod plus potuerit illorum malitia.

42. Cum subuertendæ essent Vrbes Sodomæ, Deus Lotum ab incendio liberauit. Vtrúnam Lotho liberatio? Intercessor accessit Abraham, & ipse accessit deprecator, & operator. *Recordatus est Deus Abraha, & emisit Loth ex media subuersione.* Gen. 19. Sic legit Chrysostomus, Merita intercessoris vides, *Recordatus est Abraha*, vbinam autem Lothi liberandi operatio? *Venerunt duo Angeli Sodomam vespere, sedente Loth in foribus Ciuitatis. Qui cum vidisset eos, surrexit, & iuit obuiam eis, adorauitque pronus in terram, & dixit: Obsecro Domini, declinate in domum pueri vestri*, &c. Ibid. En orat, & opera charitatis exponit. Dum ergo amicum præmittit, & ipse simul orat, & recte operatur donatus est liberatione. Chrysostomus aptè, *Cur igitur, dicet aliquis, propter orationem Patriarcha iustus seruatus est, & non propter suam iustitiam? Ita certo propter orationem Patriarcha. Quando enim quod ex nobis est, simul afferimus, & accedit intercessio Sanctorum, plurimum nobis confert.*

Loth liberatur, qui præmisit amicū Abrahamū ipse accessit, & operatus est. Gen. 19. Chrysost.

Chrysost.

43. Quam aptè Dominus! *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Luc. 16. Ac si diceret, amicos vti Centurio præmittite rogaturos. At amicos facitis dum opera charitatis exhibetis. Nec proderit sancti amici intercessio, si tu simul non accedis & opera pietatis exponis. Profectò Chrysostomus eleganter argumentum confirmat hom. 1. in epist. 1. ad Thesal. *Quid profuit Ieremias Iudæis? Annon tertio pro eis interpellauit, & vicissim tertio audiuit: Neque oraueris, neque obsecraueris pro populo isto; non enim exaudiam te. Quid Saulem iuuit Samuel? Quid profuit Israelitis? Nonne omnes perierunt? Nihil prosunt, inquis, preces? Prosunt plurimum. Sed quando nos aliquid satagerimus. Adiuuant enim, & auxiliantur. Auxilio autem quis eo demum est, qui & operatur.*

Recipimur in cælis, quum amicos præmittimus, ac simul opera charitatis gerimus. Luc. 16 Chrysost.

44. Amicus Moyses ad Dominum accessit pro delinquentibus in conflatione & adoratione vituli Israelitis. *Peccastis*, inquit, *peccatum maximum; ascendam ad Dominum, si quomodo quiuero eum deprecari pro scelere vestro.* Exod. 32. ascendit, precatur, & salutem populi idololatræ obtinuit. Percutitur Maria soror eius lepra, *clamauit*, autem *Moyses ad Dominum, dicens: Deus, sana eam.* Num. 12. *Soror mea* (ac si profaretur) *iacet leprosa in domo, & male torquetur.* Porro illico non obtinuit sanitatem laboranti sorori. Quare precor, tam facilè populo grauius delinquenti impetrat veniam, & leuius peccanti sorori non consequitur sanitatem? Crediderim, quia idololatra populus operibus pœnitentiæ preces amici Moysi est comitatus; at nullo sororis opere adiutus est. Perficiat aureum Chrysostomi os argumentum. *Habent vim pro nobis, & quidem maximam orationes, supplicationesque sanctorum. Sed tunc profectò, cum nos quoque id ipsum per pœnitentiam postulamus; & ad studia meliora confugimus. Alioquin ipse Moyses, qui & fratrem suum, & sexcenta illa millia armatorum ab imminenti Dei liberauit ira, sororem tamen suam nequiuit eruere.* Sic ille.

Populus præmisso sibi Moysem amicum liberatur opera pœnitentia præstans: Soror Maria ipsius Moysi seruit. Exod 32. Num. 12.

Ambros.

Observat. V.
Ad illa verba:

Accessit ad eum Centurio rogans eum.

Priusquam Centurio rogaret pro puero à calamitate liberando, amicos immisit prius rogaturos.

Tam necessaria Sanctorum intercessio, vt non debeamus audere ad Dominum ire, nisi amicorum præmissa precatione.

PRudentissimus Centurio difficilem pueri sanitatem procuraturus, adiit amicos, & seniores, qui intercessorum munus explerent. Ait Lucas, *Misit ad eum seniores Iudæorum: Et cum iam non longe esset à domo, misit ad eum Centurio amicos.* D. Augustinus apud Hugonem Card. *Lucas dicit, misisse seniores Iudæorum, & amicos; quia per amicos solemus venire ad aliquem.* O quam aptè per seniores, id est, Diuos, qui præcesserunt, & per amicos, quos obsequiis, nobis colligamus, ad Deum accedere studemus precaturi? Profectò intercessio Diuorum necessaria est ad animæ ægrotantis paralysim depellendam, cordisque, quod *male torquetur*, liberationem. 45.

Amicos, id est sanctos vita fideles præmittendo, ut consequamur paralytici animi sanitatem August.

Olim *Ioseph erat Princeps in omni terra Ægypti, atque ad eius natam frumenta populis vendebantur: cumque adorassent eum fratres sui, & agnouisset eos, quasi ad alienos durius loquebatur.* Genes. 42. Porrò abeuntibus ipsis ad patrem, secum Beniaminum deferentibus, *Ingressus est Ioseph domum suam, obtuleruntque ei munera & adorauerunt. At ille clementer resalutatis eis, interrogauit eos.*, Gen. 43. Cur primùm durius, postmodum verò benignius suos fratres recepit? Certè quia prius sine amico accessere intercessore, postea autem Beniaminum amicum, etsi ex ætate iuuenem, ex ministerio seniorem præmiserunt. Quisnam Beniamin nisi Paulus ex eadem Tribu profectus? Intercessor Beniamin potuit placare Iosephum, mediator Paulus præmissus placabit mundi Saluatorem. Ambrosius lib. de Ioseph. cap. 9. *Iam videatur Hebræi, & videntur à Christo, qui verus Ioseph est, quando cum Pauli veniunt typo, & loquitur illis mitia, vt pariter cibum sumant. Supra autem quia sine Beniamin venerunt, agnoscebat quidem eos, sed ab eis se auertebat, & loquebatur eis dura. Pauli autem merito profecerunt; quem Dominus IESVS tanquam iuniorem fratrem ex eadem matre generatum amplius cæteris fratribus diligebat.* 46.

Dum sine intercessore accedunt filij Iacob durius excipiantur, amico Beniamino, seu Paulo comitante, & intercedente, benignum Principē experiuntur. Gen. 42. Gen 43.

Ambros.

Præmitte ergò seniores, & amicos Deiparam, Angelos, Apostolos, Martyres, &c. Amicis Iobi Dominus, *Sumite vobis septem tauros, & septem arietes, ite ad seruum meum Iob, & offerte holocaustum pro vobis. Faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia.* Cap. 42. Ad Iobum mittuntur, vt offerant pro se holocaustum. Quid proderit Iobi præsentia, si debebant Reges holocaustis Numen placare? Græcè sic: *Iobus autem seruus meus orabit pro vobis. Si enim non propter eum, perdidissem vos.* 47.

Amici Iobi amicū præmittunt pro se precaturū. Iob. 42.

Holocaosta proficiunt, præmissa amicorum intercessione. O quotiens Deus holocaustis non delectatur, & tamen propter Diui intercessionem benignè excipit!

48. Hinc defunctorum fidelium commendo potentissimam intercessionem. De Achab Rege impijssimo sacra narrat Historia. *Et fecit malum coram Domino, & noluit Dominus perdere domum David, propter testamentum, quod disposuerat cum David.* 2. Par. 21. Preme verba: *Propter testamentum, quod disposuerat cum David.* Defunctus erat David, & propter testamentum cum defuncto dispositum, Deus iniquissimo parcit Achabo. O testamenta cum animabus fidelium defunctorum disposita, quot peccatores ab æterno periculo liberastis! Ait Theodoretus. *Malos etiam tolerat benignus Dominus, recordatus virtutis fidelium defunctorum. Ideo ait, Propter testamentum, quod disposuerat cum David.*

Fideles defuncti pro misericordi, ut consequi possis paralyticæ animæ sanitatem. 2. Par. 21. Theodor.

49. Profectò David contrà Absalonem exercitum instruens, ipse milites sua voluit præsentia roborare. At populus commodi Regis, & publicæ vtilitatis studiosus, profatur, *Sine media pars ceciderit de nobis, non curabunt; quia tu unus pro decem millibus computaris. Melius est igitur, vt sis nobis in Vrbe præsidio.* 2. Reg. 18. Quonammodò Rex David pro decem millibus computatur? Respondet Abulensis, *Quia ipse manens in Vrbe, tantum ageret orando, sicut decem millia de eunsibus ad bellum pugnando.* Mittitur amicus ad Regis Domini exercituum conspectum oraturus, & tunc vincit exercitus Absalonem.

David orans erat quasi decem millia de militibus ad Vrbis protectionem. 2 Reg 18. Abul.

50. Post somnium reuelatum, & eius mysterium expositum, *Nabuchodonosor constituit* Danielem *Principem super omnes Prouincias Babylonis. Ipse autem Daniel erat in foribus Regis.* Dan. 2. Cur adolescens Principi tam pretiosus non in aulæ adytis, sed in foribus commoratur. Certè vt Regis amicus reperiatur ab ingredientibus, præmissusque à ciuibus, eius intercessione faciliùs valeant optata impetrare. Deiparens fælix cœli Porta vocitatur. Quid cum Porta cœli Mariæ, quæ Regis aula augustissima existit? Adest Maria in foribus Regis, vt facilè ab eis inueniatur, qui à Rege curant impetrare salutem. Adsunt & Purgatorij animæ amicæ in foribus aulæ cœlestis, ad exorandum pro ingressuris, qui eas præmittunt mediatrices.

Daniel in foribus, animæ defunctorum in aula cœlestis foribus, ad orandum pro ingressuris.

Observat. VI.

Ad illa verba:

Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum.

Exprimit Centurio, se indignum ad Christum recipiendum, quià in domo eius forsan erant idola.

Hinc arguo, quanta sit puritate præmissa, Dominicum corpus recipiendum.

51. SE indignum asseruit Miles, qui Dominum sua exciperet in domo. Quare, precor, Dominum suam domum inire non est passus? Respondet Hugo Card. *Hoc dixit, quia forsan erant Idola in domo eius, & timebat eum offendere; quia credebat Deum esse, & omnia scire.* Mundissima Dominus est planè in domo recipiendus. Si adsunt idola, abstine à Domini receptione, donec repurgato pectore, ostium referes ingressuro. Hugo.

Aptè Ecclesia hanc Centurionis sententiam profert, cum fideles ad sacrum epulum accedunt. *Domine non sum dignus,* &c. Origenes profatur, *Quando sanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum; quando vita pane, & poculo frueris; manducas, & bibis corpus, & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur.* Dominus sub tectum ingredi dignatur? O quanta puritas necessaria! idola omnino comminuantur, & sepulchro mandentur. 52.

Quam aptè Ecclesia hanc Centurionis sententiam recolit, ad docendam cominus caturos puritatem! Origen.

Conuocat Iacob omnem domum suam ad sacrificiumque digne offerendum sic hortatur: *Abiicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini. Surgite, & ascendamus in Bethel, vt faciamus ibi altare Deo.* Gen. 35. Priusquam de altari cogites ineundo, de domo tua idola stude deturbare. *Dederunt ergo ei omnes Deos alienos, quos habebant. At ille infodit eos subter terebinthum, quæ est post Vrbem Sichem.* O quam aptè ante ingressum ad Bethleem, ad *domum panis* idola comminuuntur, & sepulturæ mandantur, vt facto domo panis pectore nostro, possimus humilitatis gratia, non conscientiæ punctione, proclamare: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* 53.

Idola è domo abiiciantur vt sacrificium Eucharisticum offeramus. Gen. 35.

Olim Assuerus *Iussit septem diebus conuiuium præparari in vestibulo horti, & nemoris, quod Regio cultu, & manu consitum erat. Et pendebant ex omni parte tentoria aerei coloris, & carbasini, ac hyacinthini, sustentata funibus byssinis.* Esth. 1. Vbi Lyranus, *Fecerat grande conuiuium, quia tunc Christus instituit Eucharistia Sacramentum cunctis Principibus, id est, Apostolis, de quibus dicitur: Constitues eos Principes super omnem terram.* Psalm. 44. *Vt ostenderet diuitias gloriæ suæ. Tunc enim ostendit fidelibus suis cibum pretiosissimum, quo reficiuntur Angeli in specie propria, fideles autem in hoc Sacramento in specie aliena.* Iam requiro, cur tota præparatio conuiuij celebrandi in solis tentoriis extruendis indicitur? Certè vt domus in qua Eucharistia recipienda est (ex mente enim Strabi tentoria illa corda sunt communicantium) digna tanto hospite exponatur. Ideo byssus adhibetur, color aëreus præcipitur, & hyacinthinus color assignatur. Profectò ex Plinio & aliis, hyacinthos serpenti infert nocumentum, abigitque phantasmata. Tunc digna domus ad Eucharistiam recipiendam, cum omninò serpens, ac phantasmata idolorum à corde abiguntur, puritasque byssina splendescit. 54.

Vt excipiatur Eucharistia præparantur domus, vbi idola nō possint adesse. Est. 1. Lyran. Psalm. 44. Strab.

Grauissima David necessitate pressus, à Sacerdote postulat refectionem. *Nunc ergo si quid habes ad manum, vel quinque panes da mihi, aut quidquid inueneris.* Offert Achimelech propositionis panes: *Si mundi sunt pueri maximè à mulieribus.* 1. Reg 21. Cur Sacerdos illa exposita conditione panes sanctos offert, si necessitas solet lege carere? Certè quia vt vasa sint apta, vt digna domus, debebat ab idolorū reliquiis munda exponi ab idolo Veneris libera ostendi. *Maximè* 55.

Panis sanctus excipiendus in domo mūda maximè ab idololatria venerea.

à

Abul.

à mulieribus. Abulensis quæst. 13. *Ex his autem apparet, quanta confusio debet esse eorum, qui Dominicum corpus immundi existentes accipiunt. Nam si lex homini existenti in necessitate* (scilicet non extrema) *non permittebat comedere de pane illo propositionis, qui nullam differentiam ab aliis panibus habebat secundum veritatem, sed solum secundum opinionem: quanto solicitiùs hoc obseruandum est in Dominico corpore. Nemo igitur dignè explicare poterit, quanta solicitudo homini adhibenda sit, vt conuenienter suscipere queat illud stupendum diuinæ largitatis beneficium. Quanta fœminarum amatoribus*, idololatris planè, *pœna imminet; quia irreuerenter accipiunt id, quod super omnem reuerentiam est?*

56\. *Ioannes ablui sine confessione complere ministerium sanctit. An veretur ab illo leuis piaculo infectā esse?* Matth. 3. Maxim.

Christus ad Ioannem aqua diluendus accedit, & ab humili prohibetur. *Prohibebat eum: Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Matth. 3. Vbi D. Maximus, *Non ignorabat Prophetarum præcipuus à se Dominum baptizandum.* Cur ergo curat accessum Domini ad vndam prohibere? Profectò ministraturus illud abluentis Sacramenti simulachrum se indignum putauit, timens, ne alicuius temporariæ affectionis idolum, siue leue piaculum in domo resideret. Quam pulchrè Doctor hom. de Epiph. & Bapt. *Ministerium suum voluit sine confessione complere.* Liceat verbis ludere. Curabat Diuus confessione diluere domum, si fortè idolo aliquo, leuissima aliqua culpa inficiebatur. An non, ô Prophetarum decus, *Antra deserti teneris sub annis Ciuium turmas fugiens petiisti, Ne leui saltem maculare vitam Famine posses?* Cur ergo veretur sacram vndam Domino ministrare? Profectò ipsi puritati adesse debet alicuius idoli suspicio, quod domum reddat indignam. Quid, quæso, ad ipsum Eucharistiæ Sacramentum excipiendum Præcursor præstaret.

57\. *Vel Angeli* An Angeli sine idolorum suspicione? Angelis hospitibus Abrahamus profatur, *Domine si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum, sed afferam pauxillum aquæ, & lauate pedes vestros, ponamque buccellam panis.* Abluuntur Angeli, tria sata farinæ admiscentur, vitulus tenerrimus præparatur. Gen. 18. Strabus ad hæc, *Subcinericij panes per Saram, id est, Ecclesiam conspersi sunt, & in vnum corpus Christi redacti. Vitulus tener, & saginatus Christi corpus est, quod pro salute mundi ad arborem Crucis immolatum est.* Hic requiro, Si non homines, sed Angeli ad sacrum epulum inuitantur, cur pedum ablutio præmittitur? An Abraham à Domino illustratus *diem* Eucharisticum *vidit, & gauisus est?* An totum hoc conuiuium decere puritatem agnouit, vt vel Angeli quodammodò indignitatis suspicione non careant? An Angelica domus idola recludit? Porrò Conditor ad tam augustum epulum quodammodò *in Angelis suis reperit prauitatem.*

ad conuiuiū Eucharisticū diluūtur? Ne Deus in Angelis suis prauitatem idolorum reperiat? Gen. 18. Strab.

De Mariæ vtero immaculato Propheta inquit, *Porta hæc clausa erit, & nemini aperietur, & vir non transibit per eam.* Ezech. 44. Cur ita clausa exprimitur? *Princeps ipse sedebit in ea, vt comedat panem coram Domino.* Vt ineffabilis domus illius puritas exprimatur, asserit Propheta Principem inibi Eucharisticum panem esurum. Digna est Domus, non recludit idola. Hieronymus, *Vt comedat panem coram Domino, ipso qui comedit, panis est vita.* O cœleste epulum apud pectus Deiparæ dignè celebratum. Domum elegit Dominus ad hoc epulum celebrandum, quæ numquam peccati idolo infecta fuit. Ipsa verè profari non potest, *Domine, non sum digna, vt intres sub tectum meum*; quia Porta hæc semper clausa numquam peccati admisit idolum. Quicumque igitur idolo obsequium præstat, à mensa recedat; qui enim accedit indignè, *Redemptionem in perditionem, sacrificium in sacrilegium, mysterium in parricidium, vitam conuertit in mortem.* Sic Petrus Blesens. epist. 123. Blesens.

58\. *Maria digna domus, ad Eucharisticū panē excipiendū; quia numquam idolo infecta est.* Ezech. 44.

SECTIO SECVNDA.

Gentium Vocatio.

TEXTVS.

VERS. 11. DIco autem vobis: quod multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in Regno cœlorum. 12. Filij autem Regni eiicientur in tenebras exteriores; ibi erit fletus, & stridor dentium. 13. Et dixit IESVS Centurioni, Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer io illa hora.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De conuiuio admittente Gentiles, exturbante Iudæos.

1\. *A Gentilis Centurionis fide Christus transit ad Gentium vocationem.*

MVLTI *ab Oriente, &c.*] A Centurionis fide, qui ex Gentibus erat, ad fidem Gentium Dominus agit transitum: & de Gentilium vocatione, Iudæorumque reprobatione exprimit vaticinium. Multi Ethnici huic similes Gentili Centurioni à Deo vocati venient ab Oriente, & Occidente, id est, à cunctis orbis terrarum plagis: & cum parentibus Iudæorum Abrahamo, Isaaco, ac Iacobo in cœlesti Regno recumbent. At filij Regni tenebris addicentur.

2\. *Cur beatitudo conuiuij nomine exponitur?* Anselm.

Cur beatitudo cœlestis conuiuij indicatur appellatione? Anselm. *Requiescent feliciter epulaturi.* Certè in interminabili epulo aptè pro tuditate nostra interminabilis gloriæ volupras innuitur.

3\. *Quinam filij Regni: & cur sic appellentur?* Hieron.

Filij autem Regni eiicientur in tenebras exteriores] Hieronymus & alij docent Iudæos Regni hîc filios appellari. Quare, precor? Idem Doctor, *Quia nullus Deus antè regnauit.* Euthym.

autem, *Filij Regni Iudæi, quia Dei filij; Deus vero est Regnum.* Addit, Regnum posse æternam requiem significare: filios autem huius Regni Iudæos, tanquam existimantes se esse eius filios, eo quod essent Abrahæ semen. Chrysostomus apertius, *Filios Regni eos vocauit, quibus Regnum fuerat præparatum.* Caietanus, *Iudæi appellantur filij Regni, quia ex genere, cui promissum est Regnum, nascuntur.* Sic Maldonatus. Profectò, tanti interpretis venia, Regnum cœlorum haud inuenio Iudæis promissum nisi sub typo terræ promissionis. Barradius, *Dicendum, dici Iudæos filios Regni, de quo loquitur Dominus, dicens: Recumbent in Regno cœlorum. De Regno cœlorum loquitur, ergo Regni cœlorum filios Iudæos appellat.*

Chrysost. Caiet. Maldon. Barrad.

4. *Auctoris sententia.* Assero tamen, Regnum in præsenti sumi pro Regno Dei in terra; quoniam Iudæorum peculiaris Rex erat Deus, & Iudæorum Respublica Dei in terra erat Regnum. Nomine filij Hebræi passim vtuntur. *Filius fortitudinis*, id est, fortis. 2 Reg. 2. *Filij olei*, id est, inuncti. Zach. 4. *Filij areæ*, id est, triturandi. Isa. 21. *Filij domus*, id est, serui. Eccles. 2. Sic Iudæi *filij Regni*, id est, in Regno, & Republica Dei geniti. Mecum sentit Hieronymus.

2 Reg. 2. Zach. 4. Isa. 21. Eccles. 2.

§. II.

De Filiorum Regni in tenebras eiectione.

5. *Quænam tenebræ exteriores.* Remig. *Filij autem Regni eiicientur in tenebras exteriores.*] Quænam exteriores hæ tenebræ? Remigius, *Nationes exteræ.* Prædici asserit Iudæorum captiuitatem, & dispersionem. Integram sic sententiam exponit: *Filij Regni Iudæi eiicientur in tenebras exteriores, id est, in Nationes exteras Ethnicorum. Ibi vero, id est, in Regionibus, in quas abducentur, erit fletus propter ardorem Regionum, & stridor dentium propter frigus. In Regionibus calidis æstu vexati flebunt: in frigidis frigore afflicti stridebunt dentibus.* Augustinus epist. 120. ad Honorat. tenebras exteriores cacodæmonum societatem pœnalem exponit. Et Psalm. 6. tenebras exteriores hominum cæcitatem appellat. D. Hieronymus, *Tenebræ semper interiores sunt, non exteriores. Sed quoniam qui a Domino foras expellitur, lumen relinquit: idcircò exteriores tenebræ nominatæ sunt.* Caietanus, tenebras exteriores appellari putat interiorum respectu. Internæ tenebræ illæ sunt, quæ animum obscurant; exteriores extra animum sunt, & luce primùm externa, ac sensibili. Beda, *Christus interiores tenebras dicit cæcitatem cordis; & exteriores quoque noctem æternæ damnationis.* Alij aliter.

August. Hieron. Caiet. Beda.

Ego crediderim tenebras hîc veras tenebras appellari. Græcè, ἐξωτέρας, quòd extra hunc mundum, qui cernitur, sunt, videlicet in tartaro, in terræ profunditate. Sensum accipe. *Eiiciemur in tenebras exteriores*, hoc est, tartareas in tenebras, quæ extra mundi splendorem sub terra latitant, quæ nunquam oriente Sole ablegabuntur. 6. *Auctoris mens.*

Ibi erit fletus, & stridor dentium.] Tartarea tormenta fletu, dentiumque stridore signantur. Calore intolerabili, frigore horribili cruciabuntur. Fletum ignis, stridorem dentium frigus excitabit. Haymo, *Per metaphoram pœnas describit intolerabilis caloris, & frigoris, secundum illud Iob. Transient ab aquis niuium ad calorem nimium.* 7. *De fletu, & stridore.* Haymo.

Et dixit IESVS *Centurioni, Vade, & sicut credidisti fiat tibi.*] Anselmus, *Sicut credidit, factum est illi. Pro mensura fidei, quia credidit, omnia posse. Indicat, per fidem meruisse consequi famuli sanitatem.* Et addit, *Cuique sicut credit, ita fit.* 8. *Sicut credidit fit illi.* Anselm.

Et sanatus est puer in illa hora.] Quod petebat Centurio, id Dominus præstitit. Non est tectum ingressus, sed verbo restituit puero sanitatem. *Sicut credidisti, fiat tibi.* Verbo sanatur, quia credidit Centurio posse verbo sanari. Monet Rabanus, *Potest meritum Domini, etiam famulis suffragari.* *De sanitate pueri.* Raban.

IN IESVM COLLOQVENTEM

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS CIRCA LITERAM,

EX GENTIVM VOCATIONE.

OBSERVAT. I.

Ad illa verba:

Dico autem vobis, quod multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent, &c.

Ob vnius Centurionis Gentilis laudes Christi expressas, sic eum Dominus laudat, vt quodammodò omnium fidelium ex Gentilitate patrem appellarit.

Edocet Dominus, minima obsequia, beneficiis maximis esse rependenda, in commendationem gratitudinis.

OBSERVABAT Centurio, Christum omnipotentem adeo, vt verbo valeret puerum 9. *De præmio*

æterno obsequia superante ineffabiliter.

puerum à morbo liberare. At Dominus gratitudinis ergo, à Centurionis fide affirmauit. Israëlitarum existentiu fidem superari: *Non inueni,* ait, *tantam fidem in Israel.* Mox autem eum Abrahami facit imitatorem, quia Gentium multarum parens exsurgit. Multi ab Oriente, & Occidente venient. Ghislandus, *Velut filij fidei Centurionis Gentiles ad Christum properabunt.* O gratitudinis superabundantiam! Herodotus canebat. *Nobilis animi gratitudo superat obsequium.*

Anton. Ghisland.

Herod.

10. Ioannes Christum Dei Agnum esse prædicauit, *Ecce Agnus Dei.* Ioan. 1. At Dominus superabundanter referens gratiam Discipulis Præcursoris recedentibus, profatur ad turbas: *Hic est, de quo scriptum est, Ecce ego mitto Angelum meum.* Matth. 11. An non augustius Angeli, quam Agni appellatio? Id præstat nobilis animi gratitudo, obsequium superare. Chrysostomus hom. 27. in Matth. *Ioannes quidem testificatus erat de Christo: Ecce Agnus Dei. Sed amplius recepit à Christo, quam præstitit. Ioannes enim Christum glorificans humanam contulit laudem: Christus autem Ioanni diuinam contulit gloriam. Nam iste illum Agnum ostendit, ille autem istum Angelum prædicauit.*

Ioannes Iesum Agnū prædicauit, Iesus Ioannem Angelū exposuit. Ioan. 1. Matth. 11. Chrysost.

11. Dominum iusti esurientem, ac sitientem refecerunt, nudum veste ornarunt, ipso profitente: *Esuriui, & dedistis mihi manducare; sitiui, & dedistis mihi bibere; nudus eram, & cooperuistis me.* Matth. 25. Quonam præmio tot obsequia muneratur? *Venite benedicti Patris mei, accipite Regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Pro panis bucella æterna satietas? O nobilis animi gratitudo! *Tunc dicet Rex* Iansenius, *Esuriui, sitiui, visitastis me, venistis ad me. Percipite Regnum. Vbi mira relucet Christi benignitas, quod tantilla charitatis opera & recensere, & Regno rependere dignatus est.*

Iusti Dominum pane refecerunt, Dominus iustos Regno, conuiuioque donat æterno. Matth. 25. Iansen.

12. Dormienti Iacobo Dominus, *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac. Terram, in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo. Eritque semen tuum sicut puluis terræ: dilataberis ad Orientem, & Occidentem, Septentrionem, & Meridiem: & benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ Tribus terræ. Et ero custos tuus, quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc: nec dimittam, nisi compleuero vniuersa, quæ dixi.* Gen. 28. Vbi pulchrè Theodoretus quæst. 83. *Atqui non respuit etiam minime benignissimus Dominus, gratam habuit operis intentionem.* Id est, tot munera, tot beneficia Iacobo exposuit, intendens gratiam pro obsequio futuro Iacobi referre. Quodnam, precor, Patriarcha Deo officium obtulit? Adiicit mox Textus, *Tulit Iacob lapidem, & erexit in titulum, fundens oleum desuper.* Ibid. Exigui obsequij erat, lapidem inunxisse; at benignissimus Dominus intentione, aut respectu huius officij futuri proximè, eum tot beneficiis auxit.

Innumerabilibus muneribus cumulat Deus Abrahā ob altare vnicum erigendum. Gen. 28. Theodor.

13. Petrus Christum Dei Filium proclamat, *Tu es Christus Filius Dei viui.* At Christus Petri sese effudit in laudes. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam,* &c. Matth. 16. Vbi Ericus asserit idem fuisse, Petrum appellari petram, quam vocitari Christum. Magna Petri fides Christum Dei Filium agnoscere, ac profiteri. At ineffabile gratitudinis documentum, Petrum Dei Filium à Domino vocitari. D. Leo serm. 3. *Et ego dico tibi, hoc est, sicut Pater meus tibi manifestauit Diuinitatem meam, quam profiteris; ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam.* An agnouisti te Dei Filium esse quodammodo? Minimè planè, siquidem proclamabas: *Recede à me Domine, quia homo peccator sum.* Ergo notam efficit Dominus dignitatem Petri & Columbæ Spiritus sancti (id sonat, *Bariona*) & Dei Patris filij facti quodammodò, quia Deitatis IESV protulit veritatem.

Petrus Iesū proclamat Dei Filium, Iesus Petrū vocitat Filium Dei. Matth. 16. Ericus. Leo.

Aut. de Escob. & Mend. Tom. III.

14. Profectò Deus expetit Christicolas hoc Deitatis ingenium imitari. Prohibuit filiis Israël in perpetuum cum Ammonitis, & Moabitis communicare. At cum Idumæo, & Ægyptio iussit post tertiam conuersari generationem. *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est, nec Ægyptium, quia aduena fuisti in terra eius.* Deut. 23. Cur præcipit ab impiis Moabitis, & Ammonitis recedere; cum impiis autem Idumæis & Ægyptiis conuersari? Cur non ab omnibus filios Israël impietas absterrebit? Certè quia Israëlitæ fame pressi ab Idumæis accepere alimenta. Ægyptij autem terram Gessem olim eisdem Hebræis tradiderant incolendam. Qui ergo ob panem acceptum semel in paupere, scit æterno largitorem donare conuiuio, etiam iubet pace æterna cum Hebræis Idumæos, & Ægyptios benefactores munerare. De Idumæis sic Theodoretus quæst. 26. *Vrgente fame, patres nostri acceperunt ab Idumæis alimenta. Lex ergo docet nos antiqui beneficij non obliuisci.*

Ob paruum beneficium, vult Deus, nos magna munera referre, Deitatis imitatores. Deut. 23. Theodor.

Observatio II.

Ad illa verba:

Multi ab Oriente, & Occidente venient, &c. Filij autem Regni eiicientur.

Filij Regni, id est Hebræi Abrahæ filij excluduntur à Regno, & Gentiles ignobiles admittuntur.

Quia apud Deum illa nobilitas, illa propinquitas æstimatur, quæ ex virtute fulgurat.

15. QVinam, quæsierim, Regni filij? Anselmos, *Iudæi in quibus antea regnabat Dominus.* Augustinus, *Filij Regni Iudæi, qui legem acceperunt, & futurorum figuras celebrabant.* Chrysostomos, *Iudæi filij Regni, quibus Regnum erat præparatum.* Post munera accepta, post tam eximiam dignitatem, Regni filij deturbantur in tenebras. Apud Deum enim nobilitas sine iustitia nihili ducitur. Fides Militis, Gentilis ignobilis planè celebratur.

Stemmatū seu nobilitatē, sine virtute, ostendo vanitatem.

16. In tenebris Diues ille Regio vestimento indutus, hanc exprimit veritatem. Induebatur purpura, & bysso. Clamabat miser, Pater Abraham, mitte Lazarum. Patriarcha autem respondit; *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua,* &c. Luc. 16. An Regia ex stirpe natus,

Diues epulo Abrahæ Regno plenus in tenebris cōmoratur. Luc. 16.

 nobi

nobilissimo è stemmate ortus, quem Abrahamus filium appellat, igni æterno addicitur, tam vili pretio habetur, vt nec ei aquæ concedatur stilla? Chrysostomus, *Filium vocat non auxilium prabet ei.* Quare? Quia filij Regni, si motibus prauis nobilitatem obscurant augustam, velut mancipia mittuntur in tenebras.

Chrysost.

17. Fuit planè Samuël Dei filius, Regni hæres cœlestis. Theodoretus quæst. 14. in lib. 1. Reg. eum *diuinissimum appellauit.* Et Philo lib. de Temul. *Regum, Prophetarumque maximum* Imò nescio quid homine sublimius Doctori obiectum est, cum eum contemplatetur. *It Samuël fuit fortassis homo, accipitur tamen non vt compositum animal, sed vt mens solo Dei cultu, ac ministerio gaudens.* Ergo filij Samuëlis filij Regni planè appellandi. Porrò filij Regni hi ob morum prauitatem despicabiles omnino deturbantur in tenebras. Chrysostomus homil. 9. in Matth. *Quid filios Samuëlis necessitudo iuuit parentis, cuius non fuerunt virtutis heredes?* Hieronymus pulchrè lib. 1. cont. Iouin. *Et re vera* (inquit ironicè) *magnos fructus ex liberis Samuel cepit. Vt quia ipse placuit Deo, tales genuerit, qui Domino displicerent!* Hoc est, Nihil pretij Samuël ex liberis reportauit: cum Deo ipse gratissimus ingratissimos, ac vilissimos habuerit.

Filij Samuelis Regni despicabiles ob morum improbitatem in tenebras emissi.
Theodor.
Chrysost.
Hieron.

18. An non Moyses Dei Regnum? Deitate decoratum quodammodo, Philo lib. 1. de illius vita asseruit. *Moyses stupori fuit omnibus familiaribus, tanquam nouum naturæ miraculum, incertis, qualis mens habitaret in eius corpore, humana ne, an diuina?* Profectò filij Regni huius pessimi, & ideo nullius apud Deum pretij in tenebras emittuntur. Chrysostomus citat. *Quid Moysi liberis profuit paterna cura institia, cuius eis non successit imitatio? Itaque neque ad illos patris imperium quasi ex successione defertur, qui solum vocabulo tantùm significabant parentem.* Regni quidem filij, sed exturbati à Regno tenebris addicuntur.

Filij Moysi Regni deturbantur in tartarum ob piacula.
Philo.
Chrysost.

19. Noë quidem primus in veteri Testamento iustus appellatur. *Noë vir iustus.* Gen. 6. Sic expressit Philo lib. de congressu quæt. erud. Primatum iustitiæ obtinens Regnum est augustissimum. Porrò filium habuit adeo impudentem, vt meritò cum seruis computaretur: *Seruus seruorum erit fratribus suis.* Gen 9. Vbi D. Chrysostomus vbi sup. *Quid Noë filius de patris virtute lucratus est, qui ex ingenuo factus est seruus? Vilis certè, quam non sufficeris ad præfecturam liberis paterna nobilitas. Vitia siquidem voluntatis vicerant priuilegia naturæ.* Nullius pretij habitus Cham Regni filius expellitus à Regno, & in tenebras deturbatur.

Filius Regni Noë vilissimus ad tenebras missus.
Gen 6.
Philo.
Gen 9.
Chrysost.

20. Quid de Isaaci perfectione annectam? Verè IESV Regnum expressit, nam IESVS regnauit à ligno. Hieronymus Epist. 26. ad Pammach. *Isaac ante Euangelium Euangelicam portauit crucem.* Imitator quidem illius, *cuius Principatus super humerum eius.* Isai. 9. Attamen Regni filius Esaü in tenebras deturbatus ingemiscit. Doctor idem epist 65. ad Pammach. ait, *Ex Isaac Esau genitum, hispidus tam mente, quam corpore, quasi bonum triticum in lolium degenerat; quia non in seminibus, sed in voluntate nascentis causa est vitiorum, atque virtutum.* Igitur qui vile degenerauit in lolium licet Regni filius deturbatur in ignem, fante Domino. *Alligate in fasciculos ad comburendum.*

Filius Regni Isaac Esau in tenebras actus.
Hieron.
Isai 9.

21. De Patre Deo Iudæi gloriabantur. *Vnum patrem habemus Deum*, Ioan. 8. Nec mentiebantur, iuxta illud: *Filius meus primogenitus Israel.* Exod. 4. Verè filij Regni. An vel ipsa diuina cognatio illis profuit ad tenebras fugiendas? Chrysostomus hom. 9. in Matth. *Iudæi quondam filiorum Dei honore gaudebant: sed decoloratos vitiis nihil iuuit sancta nobilitas. Si igitur Dei quis filius factus, nisi huic generis splendori meritum virtutis addiderit: etiam maius profectò habebit supplicium. Quid mihi iam auorum, ac proauorum memoras dignitatem?* O miseros Regni filios tenebrosum pergentes ad tartarum. Apud Deum despicabilis Regia dignitas virtute inanis.

Filij Regni Dei tenebris addicuntur.
Ioan. 8.
Exod 4.
Chrysost.

OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

Filij autem Regni eiicientur in tenebras exteriores.

Quomodo Regni filij foras eiiciuntur, id est, à cœlesti Regno deturbantur, si nunquam intus extitit.

Profectò quia Dei promissio tam infallibilis est, (si obicem non apponat iniquitas) vt executioni iam data videatur.

22. HIeronymus, *Filij Regni eiicientur foras à Regno cœlesti.* Quonammodo foras eiiciuntur, qui nunquam intus sunt commorati? An Iudæi (de quibus Dominus loquitur) aliquando sunt ad Regnum beatitudinis ingressi? Minimè planè. Si ergo nunquam intus extitere, quomodo foras proiecti sunt? Certè quia tam infallibilis Dei promissio (si non obstet iniquitas) vt executioni iam data videatur. Promisit Deus, ad Regnum adducendos? E Regno eiecti sunt: *Filij Regni eiicientur.*

Spei erigo certitudinē, ad virtutis altera sustinenda prosicientem.
Hieron.

23. Raab ad exploratores, inquit, *Noui, quod Dominus tradiderit vobis terram; etenim irruit in nos terror vester*, &c. Iosu. 2. Abulensis exposuit. *Ego cognoui, reuelante Deo, tradendam esse in manus vestras totam terram hanc.* Si cognoscis tradendam, nondum tradita terra est. Cur igitur, quando nondum terra erat tradita iam asserit, se nouisse à Domino illis esse iam traditam? Aptè quidem; nam quæ Deus promittit non solum præsentia, sed & quasi iam præterita prædicantur.

Raab iam asserit effectum esse, quod promiserat Dominus futurū.
Iosu 2.
Abulens.

24. Abrahamo Dominus, *Qui egredietur de vtero tuo, ipsum habebis hæredem.* Gen. 13. Subridet Sara, reputans ab hospitibus elusam senectutem. At ridet Abrahamus, quasi iam Isaac patris risus oculis exponeretur. D. Basilius Seleuc. orat. 7. *Accepta promissione habuit filium ante filij partum: & spes ipsa prius Isaac peperit, quam aluus. Eum Deus dedit, qui antequam nasceretur erat in desiderio. Abrahamus accepit, gauisus est, donum amplexus est.* Videlicet antequam nasceretur Isaac. Quonammodo habuit filium ante filij partum? Profecto *accepta promissione*; nam Dei promissio iam exhibitio muneris est.

Abrahamus filiū habuit, priusquam gigneretur: quia audiuit à cælo promissionē.
Gen. 13.
Basil. Seleuc.

Olim

25. Olim Abrahamus post liberationem Isaaci, arietisque oblationem, *Appellauit nomen loci illius Dominus videt. Vnde vsque hodie dicitur: In monte Dominus videbit.* Gen. 22. At Augustinus lib. 16. de Gen. ad lit. cap. 32. ex LXX. legit, *Vocauit Abraham nomen loci illius, Dominus videbit, vt dicant hodie in monte Dominus apparuit.* Cur Augustinus de præterito posuit, quæ noster de futùro adoptauit? Credidero, quia Deus promisit, *Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut Stellas cœli; possidebit semen tuum portas inimicorum suorum. Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Ibidem. Futura munera promissa à Deo fidelissimo Patriarchæ quasi iam sont præterita. Omnia hæc Messiæ aduentu erant implenda. Promittit futurum, seu venturum Messiam? *Iam hodie in monte Dominus apparuit.* Ideo de ipso Dominus, *Abraham exultauit, vt videret diem eum; vidit, & gauisus est.*

Quasi iam videt Abraham Iesum apparuisse, quia promissi Deus, apparenturum.
Gen. 22.
August.

26. Regulo supplicanti pro filio iamiam morituro Dominus, *Vade filius tuus viuit.* Ioan. 4. Vbi Sedulius lib. 3. Pasch. cap. 2. *Ita namque respondit: Vade, filius tuus viuit. Quam imperiosa Domini potestas est! Non victurum annuit, sed iam viuere designauit. Hoc enim Diuinitatis est singulare, vt omne cernat præteritum, quidquid accreuerit affuturum.* Ergò qui Deitati præstant obsequium, non possunt, non quasi præterita videre, quæ futura promisit.

Promittens Iesus filij Reguli liberandi à morte, iam dicit liberatum.
Ioan. 4.
Sedul.

27. De Abrahamo, Isaaco, ac Iacobo Dauid cecinit, *Transierunt de gente in gentem, & de Regno ad populum alterum.* Psalm. 104. Si nondum in Chanaam regnabant, si nondum Hebræorum Regnum erat institutum: quonam modò dicuntur de Regno ad alterum populum transiisse? Certè quia illius terræ Regnum Iudæis erat à Domino promissum; quod autem Deus promittit, quasi iam æstimatur impletum. Augustinus, *Meritò quæri potest, de quo Regno transierunt? Nondum enim regnabant in terra Chanaam, quia nondum fuerat Regnum constitutum in populo Israel. Quomodo ergò intelligi potest, nisi fortè, quia ibi Regnum futurum erat* (ea promissione Dei) *semini eorum?*

Translati dicuntur Abraham, Isaac, & Iacob à Regno in Regnum, quia transferendos Deus promisit.
Psalm. 104.
August.

28. Redeo ad Geneseos historiam. Iacobo dormienti Dominus ait, *Terram, in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo. Erit semen tuum quasi puluis terræ: dilataberis ad Orientem, & Occidentem, & Septentrionem, & Meridiem. Benedicentur in te omnes gentes.* Euigilans autem Iacob, gratitudinis ergò, erigit *lapidem in titulum*, fatetur: *Si fuerit Deus mecum, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum: erit mihi Dominus in Deum.* Gen. 28. Cur vilia petit, scilicet panis refectionem, & non potius enixe postulat, vt promissio augustissima confirmetur? Porrò quia eo ipso, quod erant à Domino promissa, iam Diuus reputabat impleta, & gratitudinis causa lapidem in titulum erexit, & noua munera procurauit. Chrysostomus hom. 45. in Genes. *Iam fidei oculis non multo post futuram prævidens abundantiam, suam declarabat gratitudinem: & qui nihil adhuc acceperat, vouet, digniorem fide æstimans promissionem Domini, quam rerum possessionem. Neque enim ita fidere debemus his, quæ in manibus habemus, & vidimus: vt promissionibus Dei, etiam si non eueniant statim primo tempore.*

Post factam Iacobo à Deo augustissimã promissionẽ, Patriarcha illico gratias agit de munere accepto.
Gen. 28.
Chrysost.

29. Iam Centurionis mei pulchrè expono sententiam illam: *Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus.* Matth. 8. Preme, *Dic verbo*, id est, promitte sanitatem, & illico eum sanum reputabo. D. Basilius Seleu. orat. 19. *Pollicentem videam, & operatum consequor.* Consequor planè, non consequar profatur; vt innuat, Dei promissionem fidei filiis velut executionem existere. Hinc ad spem corda succendantur.

Dũ promitteret Iesus, se serui sanitatẽ, Centurio sanũ videret illico æ grotum.

Observat. IV.

Ad illa verba:

Vade, & sicut credidisti, fiat tibi.

Fides Centurionis in vtilitatem famuli exundauit.

Quam commendabilis est ille, qui postquam proficit in meritis, curat proximorum studere acquisitioni.

30. Mittitur Centurio ad puerum laborantem, cui fides Domini suffragatur, siquidem sanatur æger famulus, sicut credidit herus. Eusebius Gallic. hom. de Quadrag. inquit, *Fælix, per quem etiam in alienam salutem exundant merita propria: fælix, in cuius mentem redundat salus aliena.*

Iesuitarum hinc gloriam illustro, qui sibi, & proximis acquirendis laborant.

31. Dum Dominus illigandus Iudæis obiicitur, Petrus Iesuita eximius, Iesuitarum Præsul aurem famuli Sacerdotum Principis vulnerauit. Cui IESVS, *Conuerte gladium tuum in locum suum: An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* Matth. 26. Vbi Euthymius, *Non dixit, Possum eos perdere.* IESVS *enim maluit imbecillus videri, quam perdendi potentiam ostentare.* IESVS est? Ergo ad proximorum salutem exortus. Petrus autem Iesuita tunc IESV ostenderat imitator, cum vim totam proximo liberando impenderit.

Iesuita non percutit proximum, sed salutem eius procurat.
Matth. 26.
Euthym.

32. Quò plus Iesuitæ habes, Socij quidem IESV, & non serui; eo maiorem exundare ad proximos cupis tuam misericordiam. *Egressus autem seruus ille*, (cui Dominum debitum dimiserat) *inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios, & tenens suffocabat eum.* Matth. 18. Cur tam durus in fratres? Non erat IESV socius, sed seruus. Theophylactus, *Egressus seruus, qui veniam obtinuerat, inuenit vnum de conseruis suis, strangulat, ac premit conseruum. Nullus enim, qui in Dei Societate manet, compassionis proximorum expers est. Sed ille egressus erat* (è Societate.) *& à Deo nunc alienus erat.* Qui IESV in Societate compassione in proximos debitores Deo non afficitur, existimet egressum esse è Societate Iesu.

Qui proximo salutaris nõ est, extra Iesu Societatẽ numeratur, seruus quidẽ est, non socius.
Matth. 18.
Theoph.

33. Monet Paulus, *Induite vos ergo sicut electi Dei viscera misericordiæ, benignitatem.* Coloss. 3. Preme illud: *Sicut electi Dei.* Iesuitæ, quique

Iesu Socij viscera misericordiæ ergà proximos induũt.
Col. 3.

à

à Deo eligantur IESV Domini in socios, debent viscera misericordiæ erga proximi salutem ostentare. Chrysostomus hom. 14. ad Rom. *Est sanctorum* (seu IESV sociorum) *genus omne beneuolum, propensoque erga proximos affectu. Propterea Paulus* Iesuita *dicebat*: Induimini igitur tanquam electi Dei viscera misericordiæ.

Chrysost.

34. Sit tibi Abrahamus pater iustorum pauperes excipiens in sinu suo Regularium Mendicantium Præs. Filium sese Abrabæ garrulat Epulo, *Pater* Abraham. At Patriarcha filium immisericordem non agnoscit: *Recepisti bona in vita tua, Lazarus autem mala.* Luc. 16. Quinam ergo vere Patriarchæ Dominici, Francisci, Ignatij filij? Qui pauperi Lazaro compatiuntur, qui & sibi vacant, & proximorum saluti curam expediunt. Aëlredus serm. 18. *Obdormiuit Miles in contumelia, & sepultus est in inferno. Lazarus obdormiuit in misericordia, qui in sinum ducitur Abrahæ. Ipse Abraham in gloria qui non solum sibi, sed etiam Lazaro potuit esse consolationi.* Non sufficit societatis, aut exercitus IESV, Dominici, Francisci, *&c.* iactare te Militem; Miles sepelitur in tartaro, quia Lazari salutem minimè procurauit. O beatissimum Patriarcham Dominicum, Franciscum, Augustinum, Ignatium, qui non solum tibi, sed & Lazaro, proximo scilicet, potuisti esse salutaris.

Patriarcha Mendicantiũ & sibi & proximis adiuuandis studium impedit, quem verè filij imitari debent.
Luc. 16.
Aelred.

35. Fatuarum planè Virginum est oleo omnino carere. Sed nescio an prudentes Virgines omninò eximiæ prudentia sint efferendæ, dum proclamant petentibus fatuis olei subsidium: *Ne fortè non sufficiat nobis, & vobis.* Matth. 25. Laudabiliores essent, si & sibi, & proximis salutares existerent. Veri Iesuitæ opera & sibi & proximis præparantur. Bernardus in Declamat. *Communicato cum pauperibus, quorum est Regnum Dei, &c. Mensuram enim bonam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum eorum, nec erit illud pallium breue, quod duos operire, non posset; aut stratum coangustatum, vt decidat alter.* Aut oleum imminutum, vt nobis & vobis non sufficeret. Ad hæc Cæsarius Arelat. hom 18. *Taliter vos exhibere debetis, fratres: tam sanctè, tam iustè, tam piè: vt merita vestra non solum vobis sufficere, sed etiam peccantibus aliis in hoc seculo possint veniam impetrare.*

Laudabiliores Virgines prudentes, si & sibi, & sociis oleo abundarent.
Matth 25.
Bernard.

36. Propriæ, ais, saluti studeo, à proximis Iesuita abstineo, vt ieiuniis, humi excubationi, lacrymisque IESV imitator studium totum possim expedire. O seductionem! Quam alius Moses, qui propriæ salutis quodammodo oblitus totum sese proximorum saluti procurandæ addixit: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo.* Exod. 32. Annon ô Princeps, satios tibi sine proximis saluti donari? Qui saluandis proximis ex munere addictus sum, quonammodo saluabor ipse, proximis pereuntibus? Chrysostomus hom. 79. *Nullum meritum esse magnum posset, nisi lucrum & aliis communicaret. Siue ieiunes manicas, siue dormias humi, siue lugeas continue, & nulli prosis alteri, nihil magnum effic[i]s.*

Nullum meritũ Iesuitæ, aut Religioso Mendicãti a proximis abstinere, vt ieiunijs, &c. studeat.
Exod. 32.
Chrysost.

37. An Ionæ Prophetæ ad IESV societatem vocati, vt Ciuitati Niniuitarum salutaris existeret, miserum euentum ponderasti. In Niniuem mittitur prædicaturus, & propriæ solius salutis studiosus, dormit in naui. At in pelagus mittitur, & submergitur. Perit planè qui ad proximorum vocatus auxilium, sibi solummodo vacare procurat. Chrysostomus hom. 79. ad Popul. *Ionas verò quoniam proprium vtilitatem quæsiuit, etiam periclitatus est. Et Ciuitas quidem stabat, ipse vero submergebatur.* Submergitur quidem, qui fugit ex proprio ministerio submersionem.

Peribit vt Ionas qui saluti proprio vacãs, contemnit aliorum.
Ioan. 1.

Observatio V.

Ad illa verba:

Sicut credidisti, fiat tibi, & sanatus est puer.

Meritò sanatur famulus, & Herus sanctificatur simul, & laudibus effertur.

Dignissimus enim præconiis Dominus, qui scit famulo laboranti subuenire.

Diuus Basilius Seleu. orat. 19. profatur. *Seruus ægrotatione lethali ægrotat, sed Dominus ante seruum præsanatur. Seruus æger est corpore, & Domini anima sanctificatur. Qui pro seruo legationem obiit, in se medicamentum gratiæ præconsumit.* Nam prius credidit Dominus, quam seruus sanaretur. Vnde sicut *credidit* factum est illi. Merito sanctificatur Herus, & præconiis à Domino extollitur, quia quoddam rarum est (scilicet seruos ab heris subueniri laborantes) tam laudabiliter expleuit. Ideo *Data est mihi* (inquit Dominus) *omnis potestas in cælo, & in terra.* Dominum me Pater constituit. Quid igitur? *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eas eas in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Matth. 28. Cœlestis Dominus necessitate quodammodo consequentiæ famulis subuenire laborantibus tenetur. *Euntes ergo docete, &c.* 38.

Basil. Seleu.
Matth. 28.

Post resurrectionem Discipuli Thomæ proclamant. *Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis. Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in latus eius, non credam.* Ioan. 20. Quid Domino cum clauorum fixura, & lateris punctione? Certè Dominus Deus agnoscendus est, ex vulneribus, quæ pro seruorum salute sustinuit. Dominus enim pro subditis patiens, de seruorum salute tam solicitus Deus Dominus est. Nec enim Domini mundiales norunt sic famulos æstimare. Vnde videns Thomas manus ac latus Christi vulneratum pro seruis, illico acclamauit. *Dominus meus, & Deus meus meus.* Augustinus, Tangebat *vulnera, & Dominum Deum confitebatur.* 39.

Thomas Dominum Deum professus est Iesum, quia vidit eum pro seruis compunctũ.
Ioan. 20.
August.

Mortalis Dominus nescit seruis esse salutaris. Solus Dominus immortalis ex vi Dominationis adiudicauit se seruorum saluti mancipatum. D. Athanasius hom. de Pass. & Cruce. *Dominus immortalis, & incorruptibilis. Et pro immortalitate sua bonus, & humanus creaturam suam negligendam putauit, neque permisit* 40.

Solus Domini immortalis assolet esse famulis subuenire.
Athan.

alium

alium quempiam operum suorum Dominum esse. Cur Dominus non permisit, alium subditis suis Dominum addici? Quia nullus creatus Dominus seruorum studet vtilitati. Solus immortalis seruorum laborantium curam expendit protectioni.

41. *Christus ostenditur, ineffabiliter dilexisse seruos; siquidem Dominus eos esset, de eorum munditie curauit.* Ioan. 13. Cosm. Ierosol.

Passioni proximus, *surgit à Cœna, & ponit vestimenta sua, & cum accepisset linteum, præcinxit se. Deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes Discipulorum suorum.* Ioa. 13. Præmiserat Ioannes. *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Id est ineffabilis in suos dilectionis moriturus expressit documentum. Cosmas Ierosolym. Hymno 6. in Theogon. asserit incredibilis dilectionis Dominum documenta expressisse, cum seruorum pedes diluit, cum de munditie interna seruorum se sollicitum ostentauit. Vndenam tàm ineffabilis amoris ex pedum ablutione indicatio? Quia prodigium quidem est, Dominum inueniri, cui adeò pretiosus seruus existat. *Irretentibilem* (ait ille) *tenens, & altam in æthere aquam abyssi frenans, & maria retinens Dei sapientia aquam in peluim iacit: pedes verò seruorum lauat Herus.* O incredibile amoris documentum.

42. *Mirabile plane, Dominum vulnerari pro seruo.* Zach. 13. Ruper.

Cœlicolæ dum vulneratum Dominum contemplantur inclamitant: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Zach. 13. Exclamat Rupertus, *O magnum miraculum, mirum spectaculum præsertim in Domino Dominatore omnium, plagas habere in medio manuum suarum.* Dominus plagas habet in manibus, vt sanguinem profundat ad seruorum salutem? *O magnum miraculum.*

43. *An facilius Deus vulnerabitur pro seruo quam Dominus.* Deut. 32.

Proh serui ingratitudinem. *Oblitus es Domini Creatoris tui.* Deut. 32. Hebraicè, *Oblitus es Deum vulneratum tuum.* Quid cum vulnere Deo? Cur Dominus Creator, & Deus vulneratus exponitur? Cur non apponitur à vulgato Dominus vulneratus? *Oblitus es Dominum vulneratum tuum.* Profectò quia tam incompatibile quodammodo, tamque implicatorium est, Dominum pro seruis vulnerari: vt facilius credi possit, Deum impassibilem vulnerari, quam Dominum. Ideo vulneratum scriptarius Hebræus, non Dominum, sed Deum appellauit. Hinc ineffabili laude dignus exponetur si quando herus temporarius de seruorum salute sollicitus exhibeatur.

LIBER DVODECIMVS.

COLLOQVIVM IESV CVM CHANANÆA.

PARAPHRASIS, ET COMMENTARII literales ad caput decimum quintum Matthæi.

Panegyrici Morales circa literam in Iesum colloquentem.

PROLVSIO.

Dominici vitalis ligni FRVCTVS DVODECIMVS.

E GALILÆA Dominus in oras finitimas Tyri, & Sidonis perrexit. Vnde Chananæa quædam mulier egressa fidei magnitudine, iugique precum instanria, filiæ à dæmone vehementer afflictæ salutem impetrauit. An Chananææ fæminæ pietas in prolem, Mariæ misericordiæ Matris munificentiam prælibabat? Audi Richardum de S. Lauren. lib. 6. de laud. Virg. *Maria est mulier Chananæa egressa de finibus Tyri, & Sidonis, id est, de profundo secularis conuersationis, quæ clamat ad Deum pro filia, id est, peccatrice anima, cuius etiam personam misericorditer transformat in se, dicens: Miserere mei Fili Dauid & cui misericorditer respondet Filius, O Mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Nec enim solæ Dominicæ mensę micę Marię pręparantur, sed totus misericordię panis filiis frangendus exhibetur.

Richard. Laurent.

MATTHÆVS CAP. XV.

VERS. 21. EGRESSVS inde IESVS, secessit in partes Tyri, & Sidonis.

22. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa clamauit, dicens ei: Miserere mei Domine Fili Dauid: Filia mea male à Dæmonio vexatur.

PARAPHRASIS.

21. RELIQVIT *Dominus eam regionem, & in fines Tyri ac Sidonis concessit velut ipso facto vaticinans Iudæos Euangelicam doctrinam expulsuros, quam gentes essent sibi vendicatura.*

22. *At vbi rumor latè sparsisset, adesse Iesum, cuius fama paulatim gliscens Iudææ terminos exierat: mulier quædam Chananæa è finibus suis egressa non est ausa propius accedere, ne impura purum contaminare videretur; sed procul*

cui clamore miserabili compellat: Miserere mei Fili Dauid, narrans, sibi filiam esse domi miserè vexatam à dæmonio.

23. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes Discipuli eius, rogabant eum dicentes: Dimitte eam; quia clamat post nos.

23. *Hic* IESVS *ille misericors, & exorabilis, qui solet omnibus obuius esse & expositus: adeò contempsit supplicem, ac vociferantem, vt neque responso dignaretur. At Discipuli non intelligentes quid ageretur, commoti pudore, ob improbum clamorem alienigenæ: interpellant* IESVM *rogantes, vt improbam aliquo ablegare responso dignaretur. Curat Dominus edocere quanti apud Deum improbæ preces æstimentur.*

24. Ipse autem respondens, ait: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël.

24. IESVS *itaque respondet, Non sum missus nisi ad oues domus Israeliticæ perditas. Magis ac magis admirabilem sic Dominus reddidit barbaræ mulierculæ constantiam, huius exemplo Iudæis suam exprobrat arrogantiam.*

25. At illa venit, & adorauit eum, dicens: Domine adiuua me.

25. *Mulier autem adeò non est defatigata tot repulsis: vt ausa sit propius etiam ad* IESVM *accedere; & accidens ad genua, dixit; Domine, opitulare.*

26. Qui respondens, ait: Non est bonum sumere panem filiorum & mittere canibus.

26. *Pergit* IESVS *adhuc tentare mulieris modestam improbitatem. Non decet, inquit, sumere panem filiorum, & canibus proiicere: panem appellans fructum Euangelicum, qui fide constat; filios Iudæos, qui Patre Deo gloriabantur. canes alienigenas à religione cultuque Dei alienos.*

27.* Ad illa dixit, Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.

27. *Attamen mulier nec recusat canis cognomen, nec Iudæis inuidet honorificum filiorum titulum: sed Dominos appellat, quos* IESVS *filios appellarat. Non inficior Israelitas filios, nos esse canes: & ideo non sum omnino repellenda. Hoc peto, quod Domini non assolent canibus abnegare. Diues est mensa talium, mihi satis est, si contingant micæ, quæ de illorum mensis excidunt.*

28. Tunc respondens IESVS, ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora.

28. *Tunc* IESVS *veluti victus ait. O mulier, non possum amplius tuis precibus repugnare: magna est fides tua, qua me cogis; fiat itaque tibi sicut vis. Ac mox hoc ipso in tempore compertum est, filiam fuisse à dæmonio liberatam.*

SECTIO

SECTIO PRIMA.

Chananææ precantis Instantia.

TEXTVS.

VERS. 21. ET egressus indè IESVS, secessit in partes Tyri, & Sidonis. 22.
Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa clamauit, dicens
ei: Miserere mei Domine Fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur. 23.
Qui non respondit ei verbum. Et accedentes Discipuli eius, rogabant eum
dicentes: Dimitte eam: quia clamat post nos. 24. Ipse autem respondens, ait:
Non sum missus; nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël. 25. At illa venit,
& adorauit eum, dicens: Domine adiuua me. 26. Qui respondens, ait:
Non est bonum, sumere panem filiorum, & mittere canibus.

COMMENTARIVS LITERALIS

§. I.

De Chananææ egressione à finibus Tyri, ac Sidonis.

1. *Secessio Domini in confinia Tyri.* ET *egressus inde* IESVS.] Post defensionem Discipulorum, quos Pharisæi taxarunt, quod illotis manibus manducabant: Dominus in partes Tyri, ac Sidonis secessit. Vrbes maritimæ Phœniciæ sunt vicinæ Galilææ versus Septentrionem, monti Libano propinquæ.

2. *De Tyro.* Hieron. Tyrus à Cæsarea Philippi viginti distat milliaribus. Auctor quæst. Hebrai. in Acta Apost. apud to. 4. Hieron. fatur, *Tyrus Metropolis Phœnices in Tribu Nephtalim vicesimo prope milliario à Cæsarea Philippi. Hæc quondam Insula fuit alto mari septingentis passibus diuisa: sed ab Alexandro terra continens facta est, propter expugnationem multis in breui freto aggeribus comportatis.*

3. *De Sidone.* Sidon autem à Cæsarea Philippi vndecim dicitur distare milliariis: ab Antilibano monte milliario vnico. Vtraque Vrbs Ethnicorum erat, vt Augustinus docet ser. 74. de Temp. (August.) *Tyrus, & Sidon* (inquit) *non erant Ciuitates populi Israël; sed Gentium; quamuis vicinæ illi populo. Septentrioni propinquior est Sidon.* Abulensis Mat. 15. quæst. 55. edocet magis esse (Abulen.) Aquilonarem, quam Tyrum leucis vndecim per pelagi Mediterranei littora. Porrò D. Hieronymus ad Isa. 23. scribit Tyrum coloniam Sidonis extitisse. (Hieron.) At præstantior Sidone Tyrus mihi legenti Ezechielis Caput vigesimum septimum.

4. *De profectione Domini.* Profectus itaque est Dominus de terra Genesar in Tyri, ac Sidonis confinia: vel ex Capharnaum aut locis illi propinquis. Profectò Capharnaum distat à Tyro leucis ferè viginti quinque, vt Abulensi placet. Dixi in confinia Dominum Tyri ac Sidonis fuisse profectum; quia Marcus sic: (Marc 7.) *Abiit in fines Tyri, & Sidonis* Cap. 7. Græce, εἰς τὰ μεθόρια, id est, *in confinia Tyri, & Sidonis.*

5. *Cur mulier hæc dicatur Chananæa?* Adrich. *Ecce mulier Chananæa.*] Dubito cur fœmina hæc dicatur Chananæa? Adrichomius in Tribus Aser descriptione n. 31. sic respondet, *Cana, siue Chana maior, Ciuitas est in Tribu Asser. Est quippe altera Cana, quæ minor appellatur, vbi Christus aquam mutauit in vinum. Ex maiori Chana erat mulier illa Chananæa, cuius filiam Dominus à dæmonio liberauit. Sunt tamen, qui Chananæam dictam putant, quod ex posteritate Chanaam superstes esset.* At Hieronymus (Hieron.) Chananæam dictam putat à terra Chanaam, quam incolebat. Tyriorum enim, & Sidoniorum Regio terra erat Chanaam. Fatur Doctor, *Dominus Isaiæ 23. mandauit aduersus Chanaam, Tyrus enim in terra Chanaam est condita. Lege scripturas, maximeque Euangelium, vbi Syrophœnissa interpellans pro Filia, egreditur de terra Chanaam, quæ dicitur mulier Chananæa.* Item, *Tyrum, & Sidonem esse in terra Chanaam suprà ostendimus, Euangelij testimonium proponentes, in quo legitur, Chananæam mulierem exiisse de finibus Tyri, & Sidonis.*

6. *Auctoris sententia.* Asseuerim hanc fœminam appellari Chananæam, eò quòd à Chananæis originem duxerit, qui in illa terra remanserant. Ideo Euangelista Chananæam esse testatur: alioquin solùmodo appellaret mulierem. Ex. gr. si scriberem ex Vallisoletana Vrbe mulierem quandam egressam, vt Medicum transeuntem per cõfinia alloqueretur: Haud opus esset addere, Egressa est mulier Vallisoletana: sed, egressa est mulier. At si fœmina illa degens Vallisoleti Gallico ex sanguine processisset, opus erat adiicere ad veritatis Historiæ perfectionem: Egressa est è finibus Vallisoleti mulier Galla. Chrysostomos, (Chrysost.) *Cum audieris Chananæam, non poteris non meminisse iniquissimarum illarum Gentium, apud quas etiam leges ipsius naturæ euersæ fuerant. Quod cum memoria repetiueris, virtutem quoque aduentus Christi diligentius cogita. Qui enim eiecti sunt, ne Iudæos peruerterent; Hi adeò ipsis Iudæis meliores fuere, vt terminis suis relictis ad Christum accederent; cum Iudæi ad ipsos venientem extruserunt.*

7. *De dictione Marci Syrophœnissam appellantis mulierem.* Marcus inquit, *erat mulier Gentilis Syrophœnissa genere.* Id est, ex Phœnicia Prouincia Syriæ. Porrigitur vero Phœnicia à mari Mediterraneo Occidentali vltra Libanum Damascum vsque, versus Orientem. A Valaoio Fluuio Aquilonari versus austrum, vltra montem Carmelum extenditur. Lege Plinium lib. 5. (Plin.)

Lib. 5. Cap. 1. & 19. Dicitur itaque fœmina Sycophœnissa, id est, de Phœnicia Syriæ; erat etiam Chananæa, quia Regio illa etiam Chanaam dicitur, & à Chananæis olim incolebatur.

8. *Pugna Euangelistarum, & concordia.* *A finibus illis egressa.*] Difficultas exoritur ex Euangelistarum pugna. Marcus enim asserit, mulierem hanc domum, in qua Christus latebat, intrasse, cumque ad illius pedes procidisset, rogasse, vt à filia diabolus pelleretur. Matthæus autem noster indicat fœminam post Christum, & Discipulos in via clamasse. Vnde Discipuli, *Dimitte*, inquiunt, *eam, quia clamat post nos.* Respondet Augustinus lib. 2. de Consen. Cap. 49. Beda, Haymo, & alij, fœminam primùm ingressam esse domum, vbi Christus latebat, ad eiusque pedes procidisse, & rogasse, vt filiam sanitate donaret, quod narrat Marcus: Christum verò nullo responso reddito, domo exiisse, fœminam secutam, & post eum in via inclamitasse, quod Matthæus scribit. August. Beda. Haymo.

§. II.

De Syrophœnissa precibus.

9. *Cur dixit, Miserere mei, & non Miserere filiæ.* *Clamauit, dicens: Miserere mei, fili Dauid.*] Si pro filia vexata à dæmone rogabat, cur non dixit: Miserere filiæ? An quia mater filiæ cruciabatur afflictione? Chrysostomus, *Fœmina non dicit, Miserere filiæ meæ, sed Miserere mei. Nam filia insensata iacet; ego verò quam sensus morbi non fugit, quæ sentiens atque intelligens infamo: mille vexor ærumnis.* Chrysost. Theophylactus, *Miserere mei, dicit, non, Filiæ meæ. Illa enim sensu caret; sed mei quæ tam grauia patior. Nec dicit, Veni, & sana; sed Miserere.* Theoph. Addit, *Fili Dauid.* *Vndenam filium Dauid Dominum vocabat?* Vndenam Ethnica mulier Dauidis filium Dominum agnoscebat? Audierat nomen Dauidis Christumque sciebat Dauidis filium appellari. Saa, *Sic communiter venturum Messiam Iudæi vocabant.*

10. *Quare Dominum non responderit?* *Qui non respondit ei verbum.* In domo filiæ petebat à Domino sanitatem, nullum autem ei Dominus responsum reddidit; sed tacitus domo egressus est. Illa verò haud destitit clamans, etiam obticente Saluatore. Quare non respondit? Quare repellere visus est enixè precantem? Chrysostomus, *Non quia negligebat Christus; verum vt absconditum in animo fœminæ virtutis thesaurum in lucem protraheret, eam repellebat.* Et hom. 44. in Gen. *Sciebat Dominus, reconditam margaritam, quam latere nos nolebat. Idcirco differebat, nec responso dignabatur; vt posteris omnibus mulieris sedulitas magna foret doctrina.* Chrysost. Theophylactus, *Non respondit verbum fœminæ Christus, non vt contemnat sed ostendat, quod propter Iudæos venerit, prius illos docens: & vt occludat calumnias eorum; ne possent dicere, quod Gentilibus benefecerit, ipsis contemptis. Ad hæc etiam fidem mulieris manifestam reddit.* Theoph.

11. *Prafero Euthymij, & Hieronymi solutiones.* Placent magis Euthymii, ac Hieronymi solutiones. Hic enim sic: *Non de superbia Pharisaica, neque de scribarum supercilio, non respondit Dominus; sed ne sua sententia videretur esse contrarius, per quam iusserat. In viam Gentium ne abieritis. Nolebat enim occasionem calumniatoribus dare, perfectamque salutem Gentium passionis, & resurrectionis tempori reseruabat.* Hieron. Ille autem ita. *Fœmina altè clamabat, Christus silebat, sustinens, donec omnis fœminæ fides, animi modestia ac prudentia manifestaretur. Simul etiam vt Iudæis ostenderet, qualem erga illos gereret affectum, cum infirmos eorum semel tantum rogatus, imò neque semel quidem, statim curabat, Gentiles verò non ita.* Euthym.

§. III.

De Discipulorum Intercessione.

Et accedentes Discipuli eius rogabant eum dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos.] 12. *Cur Discipuli Dominum rogarint?* Cur Discipuli Dominum rogarint? Hieronymus, *Vel commoti misericordia, vel importunitate eius carere cupientes.* Hieron. Theophylactus, *Discipuli grauatim ferentes clamorem mulieris, rogabant: Dimitte eam.* Theoph. Chrysostomus hom. 38. in Gen. *Discipuli quasi magis compatientes, accesserunt, & obsecrabant eum dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos; quasi monstrarent, se iam non ferre illius molestiam*, id est doloris affectum ex Apostolica compassione. Chrysost.

13. *Auctoris sententia.* An Discipuli rogabant, vt dimitteret eam, id est, absque misericordia, quam postulabat, repelleret? Absit hoc à pietate Discipulorum. Rogabant planè, vt dimitteret eam, id, quod postulabat tribuendo. Vnde Chrysostomum eundem non admitto fantem hom. 44. in Gen. *Dimitte eam, non quia preces eius rationabiles sunt; sed quia clamat post nos.* Dixerim aptius ipsius Chrysostomi (ex testimonio priori) imitator, Apostolicam pietatem aspectans: Dimitte eam, quia tam ærumnosa est, & quia preces eius rationabiles sunt, & quia clamat post nos fide constans, dolore saucia.

14. *Cur dicit, se non immissum ad Gentiles.* *Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.*] An non ad Gentes etiam seruandas venit Saluator? Cur ergo ad Gentes se immissum esse negat? Hieronymus, *Quia ad Iudæos primum est missus*; vt illis non recipientibus Euangelium iusta fieret ad Gentes transmigratio, iuxta illud Pauli: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes.* Act. 13. Hieron. Act. 13. Cyrillus lib. 5. in Isa. *Recta via, & iter Christi fuit ex proposito, & voluntate Patris ad Israelitas. Itaque ait, Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel. Cum verò illi fidem respuerent, declinauit ab illis, & Gentium congregationem ex sacris riuulis consolatione perfudit.* Cyril. Lege Ambrosium ad Psal. 43. Ambros.

15. *Auctoris expositio.* Existimo tamen Christum ad Iudæos tantum fuisse propria in persona immissum: quare à Paulo *Minister Circumcisionis* appellatur. Rom. 15. At Apostoli Gentibus fidem promulgarunt, non Christus. Mecum Augustinus ser. 74. de Temp. *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel (ait Dominus) vt scilicet illis corporis præsentiam exhiberet; non vt oues, quas habebat ex Gentibus contemneret.* & tract. 31. in Ioan. *Habeo alias oues* Rom. 15. August.

quæ non sunt ex hoc ouili, (ait Dominus) qui dixerat, Non sum missus nisi ad oues, &c. *Quomodo habet alias oues, ad quas non est missus, nisi quia significauit præsentiam corporalem non se missum exhibere, nisi solis Iudæis.* Respondet ergo Discipulis Dominus, se immissum ad Gentes non esse, ideoque Gentili fœminæ abnegare, quod postulabat.

§. III.

De Chananæa perseuerantia

16. *Chananaæ persistentia.* Chrysost. Ansel. AT *illa venit, & adorauit eum, dicens: Domine, adiuua me.*] Chrysostomus, *vbi vidit fœmina, Apostolos nihil posse, accessit*, vt scilicet importunitate vinceret. Anselmus Fuld. *Quia a longè clamabat, consecuta est eum. Domine, inquit, adiuua me, scilicet vt Deus.*

17. *Cur canes Ethnici.* *Non est bonum, sumere panem filiorum, & mittere canibus.*] Græcè, *κυνάριοις*, id est, *catellis*, voce diminutiua, qua & vtitur fœmina. Filios Iudæos vocat, canes, seu catellos Ethnicos propter idololatriæ, ac peccatorum spurcitiem: panem autem miraculum hoc sensu: Petis vt filiæ tuæ sanitatē conferam; non est bonū. Græcè *καλὸν*, id est non est pulchrum, honestum, decens, panem filiorum sumere; & Gentilibus, qui catellis similes sunt, proiicere. An audeamus asserere, fortassè Dominum *Chananæa* à *Cham*, seu *Can* procedentis vocabulo vsum, *Et dare canibus.* siue, *& dare Cananæis?* Addit Marcus, *sine prius saturari filios.* Qua sententia doctrinam, ac miracula Gentibus quoque tribuenda prædicit. Sine prius Iudæos saturari à miraculis postmodū Gentes satiabo.

Roboro ex Patribus, Strabus. *Non est bonum sumere verbum salutis, quod prius debetur Iudæis, & mittere Gentilibus, canibus vtique.* Rabanus *Gentiles vocantur ob idololatriam canes, qui esui sanguinis dediti, & cadaueribus, vertuntur in rabiem.* Hieronymus, *De Iudæis tamen sūnt dictum, Circumdederunt me canes multi.* Ex crudelitatis enim affectu Gentilium illam rabiem æmulantur. 18. *Roboratur ex Doctoribus.* Strab. Raban. Hieron.

IN
IESVM COLLOQVENTEM
PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS
CIRCA LITERAM,
EX CHANANÆÆ PRECANTIS INSTANTIA.

OBSERVAT. I.

Ad illa verba:

Et egressus inde IESVS, *secessit in partes Tyri*, &c.

De terra Genesar Christus secedit, fugiens murmuratores.

Cœtus enim detrahentium nunquam non à se ablegat Saluatorem.

19. PHARISÆI murmuratores Christi Discipulos taxarunt quod pransuri, manus non diluerent. Dominus autem illico ab eis recedere festinat. Hieronymus, *Relictis calumniatoribus, recedit Dominus.* Et Christianus Druth. *Relinquit scribas, & Pharisæos, qui semper reprehendere volebant, & pergit ad partes Tyri, & Sidonis.* Murmuratoris ingenium semper vult reprehendere, nunquam ei subit, actiones proximi collaudare. Osor itaque Dominus huiusmodi hominum, ab eorum colloquio recedit. Hieron. Leuthm.

20. *Christus à terra in mare, id est, à Iudæis in* Ioannes inquit, *Et vidi equos, & de ore eorum procedebat ignis. Potestas enim equorum in ore eorum est, & in caudis eorum* Apoc. 9. Vbi Hugo Card. *Equi diaboli sunt detractores, de ore eorum locutio mala procedit.* Hi ergo Christum è Iudæis ad Gentiles cogunt proficisci. Adiicit mox Ioannes, *Et vidi alium Angelum fortem descendentem de cælo* &c. Cap. 10. Hic ex Doctorum mente Christus Euangelij librum ad Gentes afferens, Solis instar emicat ex lucis nouæ legis fulgore, Inde pacis Euangelicæ coronatur, à terra in mare pergit: Posuit pedem suum dextrum super mare, & sinistrum super terram; quia, Alcasare auctore, à Iudæorum terra in Gentilium mare properat; quia *aquæ multa populi multi.* Cur Iudæos relinquit, & ad Gentiles pergit; Certe quia Iudæorum detractorum obmurmuratio Dominum potuerunt effugare. Hugo, *super mare posuit pedem dextrum, quia Gentilitatem illuminans, ad beatitudinem conuertit. Sinistrum autem super terram; quia Iudæos, qui fuerant terra culta per legem, propter sua scelera* (speciatim detrahendi consuetudinem) *excæcari permisit.* *Gentiles pergit, fugiens murmuratores.* Apoc. 9. Hugo.

Cum Dominus *prope Ierusalem* cum Discipulis moraretur, *dixit illis parabolam. Homo quidam nobilis abiit in Regionem longinquam, accipere sibi Regnum.* Luc. 19. Prope Ierusalem, vbi murmuratorum cœtus habitabat, de Rege discessuro parabolam non ineptè texuit. Quisnam hic Princeps. Strabus, *Docet sibi magis pœnitentiam peccatorum, quam iustitiam superborum placere: Latiusque in humilibus Gentibus, quam in detractoribus superbis Iudæis se regnaturum.* Quid illustrius, & argumento accommodatius. 21. *Propè Ierusalem, vbi murmuratorū cœtus habitabat, Dominus exprimit Regis profecturi parabolam.* Luc. 19. Strab.

Aiebat

22. *Christus fugit à Chamo, seu cane murmuratore.* Petrar. Gen. 9. Rupert.

Aiebat Petrarcha, canem rabie affectum murmuratoris imaginem præ se ferre, quia *cunctos agit in fugam.* Chami nota Historia, cum parentis euulgauit nuditatem. *Nudatus est in tabernaculo suo. Quod cum vidisset Cham pater Chanaam nunciauit duobus fratribus suis foras.* Gen. 9. Vbi Rupertus asserit, Noëmum Christi gerere simulacrum. Fatur ergò Dominus, *Maledictus Chanaam, seruus seruorum erit.* Cur non dixit, *Maledictus Cham?* Quia nec nominare voluit canem rabie murmurationis affectum, sed potius fugit infectionis periculum? Non quia posset ipse infici murmuratoris societate, sed vt nos doceret, fugere detractores. Cham ergo, seu canem cum Domino fuge. Chrysostomus, *Erudiamur hinc, quid patientur, qui peccata fratrum euulgant, & non solum, non contegunt, & excusant, sed magis ea faciunt manifesta. Fugiamus igitur* (Dominum sequentes fugitantem) *mores Cham, nec imitemur. Imitemur autem gratorum filiorum pudorem, & ita obumbremus fratrum peccata,* &c.

Chrysost. *Fuge Chamos, seu canes rabie affectos, sequentes Dominum.*

23. *Obiecto Aaron & Maria murmuratorum tabernaculo, Deus fugit, nubes ablegatur à Iudæis ad Gentes.* Num. 12. Petrus Lombar.

Olim *locuta est Maria, & Aaron contra Moysem, propter vxorem eius Æthiopissam.* Queis Dominus, *Quarè non timuistis detrahere seruo meo Moysi. Iratusque contra eos, abiit, nubes quoque recessit, quæ erat super Tabernaculum.* Num. 12. Vbi Petrus Lombar. *Maria ista, quæ contra Ducem populi Dei murmurat, illam designat animam, quæ nec Deum timet, nec homines veneretur, quæ contra Deum murmurat. Sequitur ergo aptè infra: Iratusque contra eos abiit, nubes quoque recessit.* Cur aptè sequitur Dei fuga, & nubis ablegatio? Quia Deus osor murmuratorum eos fugit velut canes rabie affectos. Quid autem à Tabernaculo nubis recessus, nisi recedentis Dei à Iudæis murmuratoribus, pergentisque ad Gentiles misericordiæ typus.

24. *Non potest Deus commorari, vbi murmuratur insonat.* Origen.

Pulchrè Origines Hom. 7. in Num, *Prius iratus Deus abiit, & recessit nubes, quam Maria repleatur lepra: vt ostendatur quia si est in aliquo gratia Spiritus sancti, & obtrectat, & detrahit: recedit ab eo post obtrectationem, & lepra repletur anima eius. Timeamus & nos, ne forte fugemus à nobis hanc nubem male loquendo, & appareat in nobis lepra peccati.* Credite mihi Iesum nullatenus cõmorari posse, vbi insonat murmuratio. Fugit enim odibile canis vulnus. Vnde Paulus, *Detractores Deo odibiles.* Rom. 5.

Rom. 1.

OBSERVAT. II.

Ad illa verba:

Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa.

Chananæa Christum requirens à pristinæ finibus vitæ debebat progredi.

Pænitentes edocens omninò à criminum occasione recedere, si student veræ affectui pænitudinis.

25. Anselm.

EGressa est Chananæa de finibus. Anselmus, *Id est, à pristina conuersatione omnino egressa est.* Liceat obsecro vulgariter mentem meam exponere: *Salio de los fines del deleite, y de la maldad.* Non à piè pœnitentiam agit, qui à finibus non progreditur iniquitatem fatus: *Ya se acabo para mi la torpeza el robo,* &c. Ait D. Hieronymus, *Chananæa egreditur de finibus pristinis, vt clamans impetret sanitatem.* Qui intendit iniquitatis ad ditionem redire, non vera sanitate donatur: à finibus egredi necesse est criminum, & delinquendi occasionum, vt ad salutis initium progrediatis.

26. *Lazarus resurgens à finibus voluptatis egreditur, simulacrum pœnitentium.* Ioa 11. Chrysol.

Lazarus peccatoris resurgentis ad gratiam pœnitudinis beneficio simulacrum. Quæritat Dominus, *Vbi posuistis eum.* Ioan. 11. Ad quæ Chrysologus ser. 64 *Cum dicit, Vbi posuistis eum? mulieres increpat, mulieres arguit. Hoc est, Quem ego posui in paradiso, in regione vitæ, ecce vbi posuistis eum.* Quæsierim, cur Dominus cum certior fuit effectus Marthæ, & Mariæ nuncio illo: *Ecce quem amas, infirmatur:* non illico venit ad ægrotum sanandum: sed sero ad mortuum resurgendum? Profectò non venit Dominus aniaturus, cum in medio ægritudinis peccator existit, sed postquam à finibus vitæ extralis excessit.

27. *Non prius ad Arcam pœnitentiæ peccatores recipiuntur quam finis carnalis affectionis veniat.* Gen 6. Adam.

Noëmitica Arca ex Patrum mente illustrissimum pœnitentiæ extitit simulachrum. *Cumque vidisset Deus, terram esse corruptam (omnis quippe caro corruperat viam suam super terram) dixit ad Noe: Finis vniuersæ carnis venit corā me. Fac tibi arcam de lignis læuigatis.* Gen. 6. Vbi Adamus mysticè mundum voluptatibus carneis corruptum contemplatur ad pœnitudinis Arcam properare. Sed quanam dispositione obiicitur? *Finis vniuersæ carnis venit coram me.* E finibus pristinæ voluptatis carneæ mundus egreditur, iam est malitia terminata.

Priusquam gerat pœnitudiat Eua, inimicitias gerit cum serpente, & egreditur à finibus occasionis. Hugo Victor.

Mulier prima pomum absumens deliquerat, sed pœnitentiæ se lauacro mundauit. Quodnam, obsecro, pœnitentiæ signum? *Inimicitias ponam inter te & mulierem.* Iam odio prosequitur, quod prius amauit. Quid plura? E finibus pristinis egressa est. *Emisit eum* (eamque) *Dominus de Paradiso,* vbi occasio iterum præceptum violandi. Pulchrè Hugo Victor. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem. Hic innuitur, quod Eua resipiscens, pœnitentiam egerit. Vnde diabolus doluit; quasi dicat, Tu gaudebas modo, quia mulierem deieceras; sed frustrà; quia victus eris à muliere, sequitur autem aptè. Ne fortè mittat manum suam, & sumat de ligno vitæ, & comedat; emisit eum de paradiso.* Nisi enim fines peccator egrediatur, haud veraci afficitur pœnitudine.

28. *Priusquam Rachel pœnitudine operiat peccatorū idola, egreditur à finibus patria idololatria.* Gen 31. Gregor. Psal. 41.

Rachel typum egit eorum, quos de piaculis diuinitus pœnitere datur. *Rachel abscondit idola subter stramenta cameli, & sedit desuper* Gen. 31. Ad quæ Gregorius lib 30. Mor. Cap. 31. *Idola, quæ apud Iacob Laban non inuenit, ea Rachel sedendo cooperuit; quia sancta Ecclesia Christum sequens, terrena concupiscentia vitia per humilitatem pœnitentiæ texit. De hac coopertione vitiorum dicitur Psalm. 31. Beati, quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Nos igitur Rachel illa significabat, qui idola sedendo premimus, si culpas pœnitendo damnamus.* Iam requiro,

num Rachel pœnitentium typus, pœnitudinis affectum huiusmodi in domo patria exposuerit? Moses ait, *Surrexit itaque Iacob, & impositis liberis, atque coniugibus super camelos, abiit.* Ibid. Haud mulier, Chananææ in morem, pœnitentiam agit in patria idololatra piaculorum illectamento, sed à finibus illis egressa idola abscondit, seu texit piacula.

29. *Circumcisio cum pœnitentia præcedit egressio finiū voluptatum.* Iof. 5. Steph.

Deus ad Iosue, *Fac tibi cultros lapideos & circumcide secundo filios Israel.* Iof. 5. An non secunda circumcisio pœnitentiæ lauacrum, post Baptismum exprimebat? Stephanus, *Circumcisi filij Israel manserunt in eodem loco. Ita facere debent circumcisi, id est pœnitentes, manere scilicet in pœnitentia.* Profectò non prius Israëlitæ circumcisionis vulnera sustinuere, aut egere pœnitentiam, quàm à finibus pristinis progrederentur. Præmittit Textus sacer, *Omnis populus per arentem alueum transibat.* Cap. 3. A ripa pristinæ conuersationis in ripam alteram populus graditur, priusquam ad pœnitentiæ circumcisionem suscipiendam accedat.

Observat. III.

Ad illa verba:

Ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa clamauit, Miserere mei.

Mirum planè, Chananæam inter peccatores degentem tanta fide nitescere.

Innuitur, oportere iustos ab improbis separari, ne eorum nequitia inficiantur.

30. Chrysost.

SIc locum Chrysostomus exposuit: *Accusare mulierem Euangelista videtur, vt & miraculum ostendat; & ipsam laude dignam fuisse confirmet. Cum enim audieris Chananæam, non poteris, non meminisse iniquissimarum illarum Gentium.* Præmittit appositè particulam, Ecce, quasi mirum aliquod exponeret adnotandum. Miraculum enim quodammodo est iustum inter impios commorantem eorum spurcitia non infici.

31. *Miraculum magnū, mulier mitens Luna, id est cum peccatoribus degens sanctè.* Apoc. 12. Ioach.

Ioannes, inquit, *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.* Apoc. 12. Vbi Ioachimus Abbas asserit duodecim syderibus signa totidem exprimi, Luna autem à tot Nationibus adorato Planeta idololatriæ impietatem signari. Prob Deus immortalis! Mulier pedes in Luna collocans, id est cum Gentilibus impiis habitans tot virtutum splendore coruscat? *signum magnum apparuit.*

32. *Miraculum Iob sanctus inter impios.*

De Iob sanctissimo Textus sacer adnotat, *Erat vir in terra Hus nomine Iob, & erat vir ille rectus.* Cap. 1. Apud terram Hus impietatis habitaculum vir exprimit vitæ rectitudinem? O miraculum! Chrysostomus, *A Regione illius ducitur laus; vt id quoque tibi admirationem faciat, quod ex spinis huiusmodi rosa floruerit.* Mirum planè lilium si aspexeris à rambno pullulare. Chrysost.

Cum *omnis caro corruperat viam suam,* Noë vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis. Gen. 6. Vatablus exposuit, *Id est, inter homines sui seculi cum quibus vixit: Quasi diceret, licet Noë viueret inter homines impios, vixit tamen inculpatè coram Deo.* Addit Textus, *Cum Deo ambulauit.* Vatablus idem, *Hoc est Diuinam vitam egit.* Nam vt sit homo inter improbos probus, Dei debet vitam æmulari. 33. *Noë sanctus inter peccatores, quasi Deus ostenditur.* Gen. 6. Vatab.

Olim *Filij Israel habitauerunt in medio Chananæi & Hethæi, &c. & duxerunt vxores filias eorum, ipsique filias suas filiis eorum tradiderunt, & seruierunt Diis eorum. Feceruntque malum in conspectu Domini* Iudic. 3. Preme, *Habitauerunt in medio Chananæi.* Vt nostræ Chananææ gloriam mireris, quæ cum habitaret in medio Chananæi, properauit ad Christum. An non quodammodo esset miraculum, Israëlitas in medio Chananæi coluisse pietatem? Gregorius lib. 1. Mor. Cap. 1. *Quamuis immensi præconij sit, bonum etiam inter malos extitisse:* rarissima tamen auis Noë vnus in generationibus suis, vnus Abraham inter Chaldæos, vnus Loth inter Sodomitas, vnus Iob inter Hussitas, vnus Moyses inter Ægyptios, mulier vna inter Chananæos. An *immensi id præconij?* Ita planè, quia gratiæ miraculum decet præconij immensitas. 34. *Quid mirū inter Chananeos infectos esse Israelitas?* Iudic. 3. Gregor.

De Christo Domino Paulus, *segregatus à peccatoribus.* Hebr. 7. Quonammodo à peccatoribus poterat segregari, qui cum peccatoribus versabatur, & venerat quæsiturus non *iustos, sed peccatores ad pœnitentiam?* Explicat D. Thomas, *separatus à peccatoribus, non quo ad conuersationem, sed quo ad similitudinem vitæ.* Hinc ô Apostolorum decus, Christum laudas? An mirum est Christum cum peccatoribus commorantem infectum non fuisse? Profectò ex huiusmodi à peccatoribus segregatione, Christi agnoscitur Deitas, in aliis enim tam rarum, ac difficile est, cum peccatoribus degentes non infici, vt velut miraculum quoddam debeat admirationem excitare. 35. *An solus Dei filius potest inter peccatores mūdus existere?* Hebr 7. Thom.

Israëlitis Deus iusserat, vt cum Chananæis pacem nullo modo, bellum vsque ad internecionem gererent. Passim sacra in Historia leges, *Pugnauerunt contra Chananæum.* Iud. 1. Cur Dominus Israëlitis prohibuit cum Chananæis pacem, qui tam amans est pacis, vt venerit orbem pacificare? Certè quia pax inter Israëlitas ac Chananæos eos in vnum colligaret. At conuersatio efficeret, vt sancta progenies Chananæorum mores exponeret. Vt enim D. Bernardus lib. 4. ad Eugen. *Nec tuta bonitas obsessa malis, non magis quam sanitas vicino serpente.* Hinc miraculum Chananææ extollitur, quæ è Chananæis ipsis exorta, cum Chananæis educata, apud Chananeos victitans, Israëliticam pietatem est imitata: *Ecce mulier Chananæa.* 36. *Ideò Deus iussit Israëlitis, cum Chananæis pacem non habere.* Iud. 1. Bernar.

Observat. IV.

Ad illa verba:

Miserere mei Domine Fili Dauid, Filia mea malè à Dæmonio vexatur.

Si filiam miserabilem exponebat Chananæa, cur sibi misereri, à Domino precabatur?

An non quia filiorum ærumnæ magis parentes, quam ipsos filios tolerantes assolent afficere?

37. *An Deipara Martyrium dixius, quia filij ob affectum materna compassionis.* Chrysost.

SI Filia Chananææ male à dæmone vexabatur, quare sibi misereri mater postulabat? Certè quia mater erat, quamquidem horribilius Filiorum mala torquere assolent. Chrysostomi dati in Comment. recolo sententiam. *Fæmina non dicit, Miserere filia mea, sed Miserere mei. Nam filia insensata iacet, ego verò, quæ sensus morbi non fugit, quæ sentiens, atque intelligens insaniæ, mille vexor ærumnis.* Dum filia torquetur insanit mater: dum filia vno, vel altero incommodo afficitur, mater mille ærumnis vexatur. O maternitatis affectum!

38. *Magis sauciauit parentem Iobum filiorū mors, quam ipsos.* Ioh. 1. Origen.

Iobus omnium bonorum exaudiuit ruinam, nec commoueri ostenditur. At cum ad aures eius filiorum calamitas peruenit, exanimis affectu corruit. *Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adorauit.* Cap. 1. Vbi Origenes asserit Iobum corruisse, velut exanimem, vestimentaque ad sepulturam scidisse ornandam. Quonam periit ex vulnere? Certè filiorum mors ei intulit exitiale vulnus. Dic mihi obsecro, verum grauius vulnus infligitur filiis, quam parenti? Profectò grauius reputo parentis, quam filiorum vulnus: quia grauius sauciat affectus dilectionis quam acies gladij, aut ruina ædificij. Si moriuntur filij, præstat id vis cadentis machinæ. Si pater moritur, id vis præstitit dilectionis. Ait Olympiodorus in Cat. *Vbi de tanta, ac speciosa prolis audiuit interitu, ne doloris communis particeps videretur, quod debebat natura, largitur.* Id est, diem obit suum. Quia communis esset dolor, seu vulgaris (qualis ex temporariarum rerum iactura excitari solet) si non Iobum interimeret ex compassionis affectu. (Olymp.)

39. *Tota passio fuit Abrahæ parentis in neco filij præparata.* Gen 22. Chrysol.

Dominus Abrahæ, *Tolle filium tuū, quem diligis Isaac, & vade in montem, quem monstrauero tibi, & ibi offeres eum mihi in holocaustum.* Gen. 22. Strinxit Patriarcha gladium, vt filium iugularet? Certè vt seipsum solummodo interimeret. Chrysologus serm. 10. *Se in filio immolabat, vt esset idem & victima, & Pontifex: Sacerdos & sacrificium. Patris erat ibi passio tota, vbi filius immolabatur.* Cur non dixit, *Patris erat passionis pars*, Sed, *Patris erat passio tota*? Certè quia tam horribilis est passio patris, dum patitur filius, vt quodammodo filij vulnus passio dici non valeat, si cum passione patris comparetur. *Ant. de Escob. & Mend. Tom. III.*

Vnde poterat ille proclamare cum Chananæa, *Miserere mei*, & non, *Filij miserere.*

Redeo ad Iobum. *Ecce alius intrauit, & dixit: Filiis tuis, & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit a regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt.* Iob. 1. Ad quæ pulchrè Olympiodorus, *Germanæ prolis præcipuè meminit, vt iusti naturam exulceraret. Neque enim dixit, supra omnes, qui intus erant, cecidit; sed magis propriè memoriam ei natura afferent, ac luculentas ei plagas infligens, dixit: Cecidit super filios tuos; vt ad stuporem mentis, & desperationem iusti animum solicitaret.* Preme illud *Desperationem.* Credidit diabolus locutus in nuncio, ad æternam desperationis mortem iustum trahendum, filiorum calamitate audita. Quale, precor, vulnus, quod fortissimum tot calamitatibus imperterritum virum, non solum traheret ad corpoream mortem temporariam; sed solicitare posset ad æternam? 40.

Quasi æterna morte parens afficitur, dum filius temporaria. Iob. 1. Olymp.

Sedecias rebellis in Babylonios captus est. & ad Nabuchodonosorē adductus: in quem quidē iratus Rex excogitauit horribili adinodū supplicio comminuere. Quid igitur? *Filios Sedeciæ occidit coram eo, & oculos eius effodit, vinxitque eum catenis, & adduxit in Babylonem.* 4. Reg 15. Cur tam iratus Princeps Sedeciam non interemit, sed viuum dereliquit? Abulensis perpulchrè quæst. 7. *Ad maiorem pœnam eius reseruatur Sedecias viuus post visam filiorum ruinam.* Quia filij morte vulgari de medio erant sublati, parens autem horribili mortis genere moriendi afficitur diuturnitate. 41.

Ve truculentius necaretur Sedecias, viuus relinquitur, mortuis filiis. 4. Reg 15. Abulens.

Machabæi fortissimi necantur. *Nouissimè autem post filios mater consumpta est.* 2. Macb. 7. Cum filiorum interitus describitur, grauissima tormenta exprimuntur. Cur ergo non describitur matris vulnus? cur martyrij genus non narratur? Periit ne ferro, aut igne? *Consumpta est* planè mortis filiorum solo quodāmodò conspectu. Ambrosius lib. de bono mort. cap. 11. *Quis*, inquit, *hanc beatam neget, quæ inter corpora filiorum nullum sensit mortis incursum?* Velut impassibilis ostentatur dum filiis occumbentibus non occubuit. Sed post omnium necem ipsa *consumpta est.* Quia parentibus est grauior admodum mors sine filiis morientibus posse viuere. Vnde Chananæa moriente filia siue male à dæmone vulnerata, plus filia miseranda proponitur: imò sibi soli misereri Dominum proclamat: *Miserere mei.* Virginis solitudini, ac Martyrio facilè accommoda. An diriori nece consumpta, quam Filius? O maternæ vis compassionis! 42.

Mater Machabæorum consumpta est videns filiorum necem, grauiori quidem vulnere. 2. Mach. 7. Ambros.

Observatio V.

Ad illa verba:

Filia mea malè à dæmonio vexatur.

Pro filia à dæmone vexata meritò Chananæa mater graui dolore afficitur.

Edocens Parentes spirituali filiorum incommodo discruciari, & diligentissimè adhibere vulneri medicamina.

43. Strab. STrabus inquit, *Rogat Mater Ecclesia pro anima a dæmone vexata, vel pro fœdata conscientia.* O iustissimæ Matris lacrymæ pro spirituali filiorum vulnere! Ægritudine assolent haud graui filij affici, & illicò inmedicabiles lacrymæ parentis erumpunt; innumeris lethalibus vulneribus filij animus saucius ostenditur, nullum matris suspirium exauditur. Quæ verè mater est plus debet sauciari ex vulnerato spiritu filij, quam ex corpore ægritudine lethali presso. Laudibus efferenda Chananæa mater, quam à dæmone vulnus filiæ inflictum plorantem, ac clamantem attraxit ad Christum: *Filia mea male à dæmonio vexatur.*

44. *Dum Abrā aspicit filiorū peccata, horribiliter torquetur, quam cum videt eorum captiuitatē.* Gen. 15. Tenebrosum quid, & horribile olim accidit Abrahamo. *Cum occumberet Sol, sopor irruit super Abram, & horror magnus & tenebrosus inuasit eum.* At proficiente nocte visio crescit, *Cum Sol occubuisset, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus.* Gen. 15. Sopor cum magno horrore irruit, clibanus autem sine horrore præsentatur. Quare, precor? Duæ calamitates Abrami figurabantur: & Iosephi dilecti filij per fratres venditio, quæ causa extitit descensus in Ægyptum; & persecutio Pharaonis, qua Israëlitæ premendi erant. In hac quidem pœna erat Abrami filiis sine culpa; in illa autem filiorum crimen Iosephum venditurorum intuebatur. At bonus parens, dum filiorum spirituale vulnus obiicitur, afficitur horrore, non cum corporis vulnera figurantur.

Rupert. Bellè Rupertus, *Bis in hac visione Solis occubitus, & tenebrarum mentio facta est. Primo enim hic dicitur, Cum Sol occumberet, sopor irruit super Abram, & horror magnus, & tenebrosus inuasit eum. Secundò cum infra dicitur, Cum ergo occubuisset Sol, facta est caligo tenebrosa. Hac tenebrarum iteratio geminam seminis Abrahæ aduersitatem significat, Primam videlicet, qua fratrem suum Ioseph vendiderunt, qua causa fuit peregrinationis, & seruitutis eorum. Secundam, qua post mortem Ioseph a Pharaone tribulati, & afflicti sunt. Et prior quidem aduersitas rei fuit iniquitatis, propter quod dictum est, sopor irruit super Abram, & horror magnus, & tenebrosus inuasit eum.* Temporarij etenim filiorum labores bonorum parentum non vulnerant præcordia; sed peccata horrorem, & dolorem eis incutiunt.

Dominus passioni proximus, *Cœpit pauere, & mœstus esse, & ait: Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Matth. 26. Recordor ante passionis instantiam Discipulis dixisse, *Desiderio desideraui, hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Luc. 22. Si desiderabat passionis tempus aduentare, quonammodò instante tempore horrore concutitur? Respondet Ambrosius lib. 10. in Luc. *Tristis erat non pro sua (tantum) passione, sed pro nostra dispersione.* At crediderim ex specialissimo IESV affectu huiusmodi tristitiam ortum habuisse. Quis non viderit Christi adnotans actiones, Iudæos vti filios charissimos dilexisse. Verùm corde versans Dominus Iudæos filios se se crimine maximo vulneraturos, paterna tristatur compassione. Pulchrè Paschasius lib. 12. in Matth. *Tristabatur pro Iudæis, quos specialiter elegerat in populum, & nutrierat quam dulciter velut filios; quoniam cernebat eos omnes in eius concurrere mortem.* 45.

Cœpit pauere Dominus, aspiciens filij peccatū Iudæorū, quos amabat vt filios. Matth. 26. Luc. 22. Ambrof. Paschas.

Hinc enixè non semel clamitabat ad Patrem, *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste.* Matth. 26. Postulat ne à passione, ac morte liberari, quæ nulli non horribilis præsentatur? Absit. Quid ergo petebat? D. Hieronymus docet acutè, signanter Dominum *istum calicem* transire petiisse, hoc est, Cruci suffigi sine Iudæorum operatione, ne filij si ad necem concurrerent grauissimo spirituali vulnere afficerentur. 46.

Petit Dominus, calicē potari sine Iudæorum filiorum crimine. Matth. 26. Hieron.

Se se gallinæ Dominus comparauit, cuius pulli Apostoli, ac Discipuli. Ad desertum *ductus est à spiritu, vt tentaretur à Diabolo.* Ter cum hoste congressus est. At *consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo vsque ad tempus.* Luc. 4. Collegit se hostis ad tempus, quo acrior impugnaturus reuerteretur. Rogo igitur, quonam tempore acrior diabolus in IESVM exurrexit? Paulus Oros. in Apol. liberi arbit. *IESVM ter diabolus tentauit, terque superatus reliquit, & non reliquit in perpetuum, acrior vsque ad mortem Crucis Apostolo præuaricante rediturus.* Et parenti optimo IESV quænam acrior impugnatio poterat præsentari, ad eius animum conturbandum (si possibile esset) quam diabolum in cor Iudæ filij immittere, vt traderet, tanto patrato crimine, Saluatorem? 47.

Tentatio durior Iesu fuit Iudæ filij præuaricatio. Luc. 4. Paul. Oros.

Ait D. Chrysostomus de parentibus, qui circa spiritualia vulnera filiorum negligentes obiiciuntur, hom. de educ. filio. *Qui verò patres filiorum vulnera spiritualia negligunt liberorum sunt interfectores*, atque ideo illis crudeliores; quod ad interitum animæ hæc res tendat. *Illi*, inquit, *crudeliores*, id est, tyrannis, qui corpora trucidant. Nullum enim malum est, quod debeat parentum lacrymas allicere, nisi spirituale nocumentum filiorum. 48.

Crudelissimus parens, quem spiritualia filiorum vulnera non compungūt. Chrysost.

Cum Iob audiisset filiorum interitum, *Surrexit, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens adorauit.* Cap. 1. Vbi Origenes, *Totondit comam capitis, vt potè superfluam, & inutilem.* Cur inutilis, ac superflua? Pierius Valerian. asserit comam symbolum esse curarum. Ac si Iobus diceret, Iam me à curis omnibus 49.

Dū Iob spiritualia filiorum nocumenta non timet ab omni cura leuatur.

Iob 1. Origen. Pieri.

omnibus expedio, morte filiorum: hi enim tota cura parentis. An Iobus de commodis temporariis filiorom curabat? *Cumque in orbem transiissent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos: consurgensque diluculo, offerebat holocausta per singulos. Dicebat enim, Ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis. Sic faciebat Iob cunctis diebus.* Hæc parentis vnica cura, præcauere, spiritualibus nè filij vulneribus sauciarentur. Cum ergo vidisset Iobus, mortuos natos, quasi se se ab onere curarum grauissimo expediisset, comam abscidit, ac corruens adorauit. Quasi diceret, (vulgariter liceat expendere) *Gracias à Dios, que me libro de todos mis cuidados*, dum video filios iam non posse delinquere.

Spiritus sanctus pro nobis delinquentibus ingemiscit, quia Mater est. Rom 8. Hieron.

50. De Spiritu sancto Paulus profatur, *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Rom 8. Dobito quomodo gemitos Spiritus sanctus edat, si gloriæ assidet throno beatissimo? Respondet acute Hieronymus ad cap.40. Isai. Spiritum sanctum Matrem hominum esse. Vnde in Nazaræorum Euangelio est scriptum, Christom profari: *Modo me tulit Mater mea Spiritus sanctus.* Mater Spiritus sanctus est? Ergo ex hoc titulo agnatum est ei pro filiorum incommodis gemitus inenarrabiles edere. An pro temporariis laboribus? Absit, lacrymæ etenim hæ tanto indignæ parenti. Gemit pro spiritualibus nocumentis filiorum, vt *nos edoceat gemere*, vt Augustinus ait. August.

Observat. VI.

Ad illa verba:

Ecce mulier Chananaa à finibus illis egressa, clamauit dicens.

Cur Pater puellæ vexatæ à dæmone non venit, sed mater?

Certè quia fœminæ velocius feruntur ad pietatis actiones.

51. EX mente Strabi in nupta Chananæa sancta Mater Ecclesia signatur Spiritus sancti Sponsa. Si nupta erat mulier, (haud constat fuisse viduam) cur vir ad Christum non properauit? An non aptius vir à finibus egrederetur? Profectò torpente viro sola mater egreditur haud pigritans ad opera pietatis. Fœmineus enim sexus promptior est ad virtutis actiones. Vnde canit Ecclesia, *Intercede pro deuoto fæmineo sexu.*

Mittitur Elias nō ad virū, sed ad fœminam, quia ad pietatis obsequia fœmina promptiores

52. Premitur fame Elias. Deus autem eum ad viduam Serephtanam immisit. *Surge, & abi in Sarephta Sidoniorum, & manebis ibi; præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt pascat te.* 3.Reg.17. An non aptius Propheta in Principis alicuius, vel viri prædiuitis domum mitteretur? Profectò ad pium egentis Prophetæ ministerium fœmina accommodatior, promptior ad obsequium. Ambrosius lib.de Elia, & ieiuo. cap.2. *Dignum, vt Propheta ad viduam in Sareptam Sidoniæ mitteretur, quoniam deuotiora cibum præferret.* Fatur esurienti, se non habere nisi quantum pugillus capere poterat, ex farina, *En, inquit, colligo duo ligna, vt faciam mihi & puero meo, & comedamus, & moriamur.* Elias autem, *Vade, & fac sicut dixisti, verumtamen mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem. Quæ abiit, & fecit iuxta verbum Eliæ.* O fœminæ ad opera pietatis promptitudo! 3 Reg 17. Ambros.

53. Vir Propheta ad Israëlem mittitur, nec salutaris eis extitit. Porrò ad Holdam Prophetidem pergunt, *Et illa respondit, Hæc dicit Dominus, Dicite viro, qui misit vos ad me: Ecce ego adducam*, &c. 4.Reg.22. Vbi Hieronymus ad Principiam, *Quia populus Israël virum non receperat prophetantem, Holda eis mulier suscitatur.* An supplicium? Minimè, sed munus à Domino; quia fœminæ promptiores, & aptiores ad salutaria obsequia. Addit Doctor, *Sacerdotes & Pharisæi crucifixerunt Filium Dei, & Maria Magdalena plorat ad monumentum, Dominum cognoscit, pergit ad Apostolos, illi dubitant, ista confidit.* Cur resurrectio Christi viro Apostolico non prius reuelatur, sed fœminæ? Certè quià fœmina solicitior quam viri pergeret ad salutare nuncium proferendum pro agnata ad pietatem promptitudine.

Vt salutare munus præstetur ad fœminam mittuntur Israëlitæ. 4 Reg 22. Hieron.

54. Noster Alfonsus Salmeron tom.3.Tract.43. argumentum confirmat. *Ad confusionem superbia deprehenduntur mulieres priores, ac fideliores, quam viri. Sic Elisabeth prior audit prophetans de Domino muto viro ob incredulitatem. Sic prima fœmina Samaritana ad Christum conuertitur.* Ad Samaritanorum conuersionem cur Apostoli non immittuntur? Perficienda erat illa illicò conuersio, legatio immittenda velocissima. Vt autem promptiùs legatos pergeret, velociosque mandata perficeret, fœmina eligitur promptissima plane ex sexus agnata deuotione ad actiones pietatis.

Samaritanā mittitur ad Gētiles, quia illico erat eorum conuersio perficienda. Salmer.

55. Moysem Angelus in Ægyptum pergentem conatur interimere, quia non circunciderat infantem. *Tulit illicò Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium filij sui.* Exod.4. Cur non piissimus Moses occidendos petram attripuit, sed fœmina? Porrò quia si actio illicò erat perficienda, aptior fœmina, promptiorque ad actionem pietatis. Bellè Isidorus Pelus. lib.2. epist.125. *Si quidem mulieres, cum necessitas vrget, diligentioribus, quam viri, artibus vsi, syncoriusque ad Deum confugere consueuerunt.*

Sephora circumcidit infantem, non Moses; quia velocitor gerenda circuncisio. Exod 4. Isid.Pelus.

56. Monet Moyses populum fabricationi Arcæ, Velaminis, Mensæ, Candelabri, Altarisque holocaustorom operam impendere munerum oblatione. Tunc *viri cum mulieribus præbuerunt armillas, & inaures, annulos, & dextralia.* Exod.35. Pagninus transtulit, *Viri super mulieres venerunt, id est, post mulieres.* Post mulieres viri? Ita planè, fœminæ enim ad pietatis opera promptiores. Pulchrè Oleaster, *Fœminæ prius venerunt, deinde viri; quoniam promptiores sunt semper fœmina ad opera pietatis, & Religionis, quam viri.*

Fœmina promptius dona offerūt ad Arca, ac Candelabri fabricationē. Exod.35. Pagnin. Oleast.

Mulieri

57. Mulieribus Angeli resurrectionis die, IESVM *quaritis Nazarenum crucifixum, surrexit, non est hic. Sed ita, dicite Discipulis eius, & Petro, quia pracedet vos in Galilaam.* Mat. 16. Leo de Castro ex Cyrillo, Origene & aliis docet, hîc impletum Isaiæ vaticinium. *Mulieres, venientes, & docentes.* Cap. 27. Iam quæsiero, Cur fœminæ eliguntur ad mandatum illud deferendum? Preme verbum, *Ite, dicite*, siue currite, festinanter dicite. *Mulieres, venientes, & dicentes.* Si ad docendum minus aptæ, quam viri; ad veniendum, seu properandum ad pietatis actiones vincunt virorum velocitatem.

Fœmina velocius resurrectionis nuncium. Marc 16. Castro. Isa 27.

Ad calcem Capitis vltimi Epistolæ ad Romanos Græco in Textu hæc addita est sententia, Caietano auctore: *Ad Romanos scripta fuit à Corintho per Phebem Ministram Ecclesia Cenchrensis.* Addit Cardinalis, *Ex quo clare patet locus, in quo scripta fuit Epistola hac; & quod missa fuit per mulierem illam nomine Phebem.* Quare per virum aliquem non fuit immissa. Certè quia eum expeteret Paulus Epistolam & fideliter, & velociter asportari, aptissimè fœminæ tradidit, quia ad actiones pietatis promptiores viris fœminæ reperiuntur.

Phoeba Apostolus tradidit Epistolā ad Romanos, vt velocius referret. Caiet.

OBSERVAT. VII.

Ad illa verba:

Filia mea malè à dæmonio vexatur.

Malè, id est, dirè admodum Chananææ filia vexabatur à diabolo.

Quàm crudelis Tyrannus, quàm horribilis hominum tortor! Hinc gehenna diritas confirmetur.

58. PArticula *malè* addita est apposite, vt diaboli crudelitas innueretur. Tyranni homines vexant Martyres; sed diabolus non solum vexat, sed malè, id est, diriter torquet. Hinc obsecro gehennæ horrores contemplemini, vbi dæmones æterni hominum tortores adducuntur.

59. Obiicias menti, obsecro Martyrum à Tyrannis crudelissimis excogitata ingeniosè tormenta, sartagines, fornaces, feræ. Certè diaboli manus vel in hoc sæculo omnia vincit immanitate. Iobum aspicite. Percussit (Textus ait) *Iob vlcere pessimo.* Cap. 2. Cur illam addidit particulam, *Pessimo*? An non sufficeret adnotasse, vlcere percussisse; Certè cum diabolus percutit non communi *vlcere*, sed *pessimo* vulnerant ægritudine vincente prorsus excogitatam ab hominibus lanienam. D. Chrysostomus apud Comitol. in Cat. Græca. *Manus damonis acerbiore sensu doloris, quam qualibet sartago, fornax, & quauis flamma cum absumeret: & qualibet ferâ immanior, vndique corpus circumroderet, ac deuoraret.* Omnia tormenta humanitati agnata è manu dæmonis specialissimam acquirunt immanitatem. Vlcus commune è dæmonis manu fit pessimum, communis fornax vincit Babylonici ignis feritatem.

Diritas diaboli vel in hoc sæculo superat ingeniosā Tyrannorū crudelitatem. Iob. 2. Chrysost.

60. Audite tristissimam lamentationem illam: *Va terra, & mari.* Quare væ terræ, ac pelago pene immenso indicitur? *Quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam.* Apoc. 12. Preme illud: *Magnam.* Non sufficit iram exprimere, vt diaboli iram esse affirmetur nisi adderet vox, *Iram magnam*, sicut Euangelista scripsit. *Male vexatur.*

Si diaboli ira est semper est magna & non potest exprimi sine adiectiuo. Apoc. 12.

61. Decem plagis immanissimis Pharao fuit diuerberatus tam acriter quidem, vt curans Angelus immanissimam, apud Smyrnam Christianorum persecutionem exprimere, memoret decem plagarum lanienam. *Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, vt tentemini: & habebitis tribulationem diebus decem.* Apoc. 2. Vnica Christicolis hisce tribulatio indicitur, carceris scilicet. At diebus decem passuros esse affirmat; quia illa in tribulatione decem dierum, quibus apud Ægyptum totidem plagæ desæuiere, lanienam experientur. Quare precor? Quia *missurus est diabolus aliquos in carcerem.* Vnica incarceratio sæuissimi dæmonis omnium decem plagarum Ægypti epilogatio est. Ad plagas decem hasce respexisse Angelum Saluianus existimat lib. 1. de Gubern. Dei. *Pharaonis hic inobedientia verberatur, & quidem non vno modo; scilicet vt plus sacrilegus torqueatur diuersitate supplicij.*

Qualibet plaga à diabolo inflicta continet decem plagas. Apoc. 2. Saluian.

62. Diabolo Deus loquit, *Ecce vniuersa, qua Iob habet in manu tua sunt. Egressus* (addit Textus) *Satan à facie Domini.* Iob. 1. Egressus vtique, ad procurandam Iobo sanctissimo lanienam. Mens Chrysostomi fuit, diabolum, vbi accepit Iobi torquendi facultatem per se ipsum omnes calamitates præparasse, imò se se in calamitates conuertisse. Ipse namque ignis factus, pecora absumit, ventus ipse & domum, & filios prostrauit, ipse Chaldæus latro pastores interfecit, ipse nuncius malorum famam deferebat. Cur non assumpsit creaturas ad viri torturam, sicut serpente fuerat vsus ad hominum ruinam? Profectò quia emollire olim curauerat homines ad præcepti violationem; at nunc curat hominem torquere; quare infirmas ad malum inferendum omnes reputat creaturas. Dixerat enim Deus, *Vniuersa, qua Iob habet, in manu tua sunt.* In manu diaboli tormenta? Ergo ignis, ventus, latrones, reliquæque calamitates communem torquendi morem superabunt. Ad hæc Chrysostomus, *Cum nemo reperiatur immanior, tantum rerum negotium dare aliis verebitur.*

Diabolus erat ignis ventus, latrones, ad Iobum torquendum, ne communi tortura è manu diaboli afficeretur. Iob. 1. Chrysost.

63. Ad Christum tentandum diabolus accessit prefatus: *Dic, vt lapides isti panes fiant.* Matth. 4. Ad blanditiem gulæ post inediam expetit allicere, & lapidea pro pane offert? Cur non blandis curabit allicere? Certè quia eum blandum se se diabolus expetit simulare, lapideas offert voluptates. Paschas. *E lapidibus apto elegit panem, vt quam durus sit qui loquitur, tali signaretur* exem

Vel cum diabolus se blandum curat simulare, durissimus est. Matth. 4. Paschas.

exemplo. Quid cum dura inferat supplicia dæmon, si cum simulat blandities, tam durus apparet?

64\. Cum Dalila curabat Sampsonem seducere, vt Philisthæis traderet: illectamentis suauissimis simulatis, blandiri studebat. At diabolus cum studet seductioni, & curat delinire, horribilia infert tormenta. Christus Discipulis, *Ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum*. Luc. 22. Legit Augustinus, *Vt vexaret*. Quid intendit diabolus vexando Discipulos Domini? Certè eos ad se trahere sicut panem. Cur ergò non farinam melle ac lacte condit? Quia cum se magis dulcem & amicum ostentat, non potest non diuexare homines. *Quid est* (ait Doctor ad Psalm. 100.) *vexare sicut triticum? Quomodo ab homine triticum non manducatur, nisi primo attritum, vt panem faciat. Sic neminem manducat diabolus, nisi primum per tribulationes euertit, contriuit, vt manducet*. Quid, obsecro, cum dirus dilaniator à Deo damnatis addicitur?

Cum diabolus affectat amicitiam simulare, ad seducendũ; non potest nõ crudelis existere.
Luc. 22.
August.

OBSERVATIO VIII.

Ad illa verba:

Qui non respondit ei verbum.

Non semel rogatus à Chananæa Dominus, vt sanitatem ægrotanti puellæ impertiretur, nihil respondit.

Profectò quia volebat sanitatem largiri. Nam parum assolet loqui qui multum assolet operari.

65\. MAter pro filia rogat à dæmone dinexata, prius venit ad domum, mox nihil respondentem per iter insequitur, clamat rursus, & Dominus labia silentio premit: Cur non respondit? *Vt probaret fœminæ patientiam, & longanimitatem?* Sic Glossæ Interlinearis Auctor. *Vt non videretur contrarius illi sententiæ; In viam Gentium ne abieritis, & calumniantibus occasionem daret?* Sic Hieronymus. At aptius instituto crediderim tacuisse, quia volebat opere respondere. Mihi credite parum loqui assolet, qui multum assolet operari.

Interl.
Hieron.

66\. Clamat Epulo, *Pater Abraham mitte Lazarum, vt intinctat digitum in aquam, & refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma*. Luc. 16. Cur speciatim linguator tartareo cruciatur in igne? Certè quia linguæ procacitate peccauerat, vt Patres volunt apud Maldonatum. D. Chrysostomus perbellè, *Meritò prima est in gehenna, in cruciatu praua lingua, dux pœnarum; quia ipsa interdixit misericordiam*. Cur misericordiæ opera interdixit? Certè quia ab operibus abstineat necesse est, qui locutionis laxat habenas.

Loquẽs quãdo misericordia operans gessit.
Luc. 16
Chrysost.

Discipulos Dominus monebat, *Amen amen dico vobis: quia vnus ex vobis tradet me. Aspiciebant* (addit Ioannes) *ergo ad inuicem Discipuli hæsitantes, de quo diceret. Erat ergo recumbens vnus ex Discipulis eius in sinu IESV, quem diligebat IESVS. Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei: Quis est iste, de quo dicit?* cap. 13. Cur Petrus speciatim expetiit ediscere, quisnam futurus esset proditor? Respondet Augustinus, *Aliqui de Petro fortè suspicabantur, quia plus, & plurima se facturum ipso premiserat pro Magistro. Suspicantes, quod ficto corde sic totties loqueretur*. An temeraria illa suspicio? An Diui poterant ex Petri verbis colligere aliquam in Petro seductionem? Profectò cum audissent Discipuli Petrum multa loquentem, suspicati sunt non multa operaturum. *Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego non scandalizabor*. Multa loquitur? pauca præstabit.

67\. *Suspicabantur Discipuli, Petrũ facturum non esse, quod promiserat: quia loquebatur.*
Ioan. 13.
August.

68\. De muliebri ingenio Dalila curabat Samsonem decipere, eum fortitudine cœlesti priuare. Post non semel seductam seductricem, post non semel vincula confracta, tandem Samson aperit fœminæ vndenam vires colligerentur. Comam amputat Dalila, se se Samson à vinculis frustra conatur excutere, quia cum crine fortitudo, recesserat Nazaræa. *De somno consurgens, dixit in animo suo: Egrediar, sicut ante feci, & me excutiam: nesciens, quod recessisset ab eo Dominus*. Iudic. 18. Vidisti Samsonem tacentem, & mirabiliter operantem? Vides loquentem, & operando ineptum; quia minus agit, qui plus loquitur. Ambrosius epist. 70. *Tacenti ad opera agilitas aderat, loquenti autem nec vigor nec gratia manebat*.

Cum Samsõ operatur, nõ loquitur: cũ loquitur, ineptus est ad operandum.
Iudic 8.
Ambr.

69\. Cum Dominus curaret Petri pedes abluere, Apostulo impedire contendente; Magister fatur: *Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea*. Ioan. 13. Quare in aliud tempus differt Christus mysterij tractationem? Certè quia tunc aderat tempus faciendi, nec erat loquendi opportunitas. *Omnia tempus habent*. Tempus illud faciendi, ergo *sciet postea*, me loquente, quia non est loquendi instantia. Pulchra Cyrilli excogitatio apud D. Thom. in Cat. *Christus quidem rei vtilitatem paulo post expositurum pollicetur. Nos autem hinc etiam proficere possumus videntes, temporum cuncta opportunissimè distribui. In aliud enim sermonem transtulit tempus, opus enim instabat*. Nec enim vna in sede morantur opus & locutio.

Cum Dominus agebat, non erat tempus loquendi?
Ioan. 13.
Cyrill.

70\. Profectò solus quodammodo Deus, quando loquitur agere potest. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum & Deus erat verbum*. Ioan. 1. Cur toties asserit Verbum esse Deum? Mox adiicit Ioannes, *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est*. Ter inculcat Verbum esse Deum, quia ter inculcaturus erat Verbum illud esse operaturum. Quia scilicet solum id Verbum, quod Deus est, simul est Verbum & operatur. Augustinus in Cat. *Quod Græcè λόγος dicitur, Latinè Verbum interpretatur; vt significetur ad Patrem respectus, & ad illam etiam, quæ per Verbum fiunt, operatiua potentia* Deus est, qui loquens operatur, homines minimè.

Solus Deus, cum loquitur, operari potest?
Ioan. 1.
August.

SECTIO SECVNDA.

Chananææ fidei Commendatio.

TEXTVS.

VERS. 27. AT illa dixit, etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum. 28. Tunc respondens IESVS, ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius in illa hora.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Chananææ humilitate.

1. *Chananææ humilitas.* AT *illa dixit, Etiam Domine. Nam & catelli,* &c.] An fœminam absterruit verborum asperitas? Minimè; sed humili affectu professa est se catellam existere. *Etiam Domine.* Anselmus, *Id est, verum est, me esse catellam.*

De instantia mulieris. At instat, ex ipsis IESV verbis miraculum, veluti è mensa Dominica micam sibi dandam postulat, veluti catulo. *Euthym.* Euthymius fatur, *Etiam, vel certè Domine, verè dixisti. Iudæi quidem sunt filij, ego vero vna ex catellis; ideoque potius mei misereri oportet. Nam & catelli edunt de micis. Quia ergo catella sum, neque de micis participare prohibeor, sicut neque catelli.* Et *Chrysost.* Chrysostomus hom. 44. in Gen. *Confiteor me catulum esse; igitur sicut catulum dignare me micis mensæ.*

2. *Auctoris expositio aptior.* Porrò Græcè, *Nam & catelli*, sic scribitur, *Etenim catelli.* Sic igitur sensum elicio: *Etiam Domine*, ita est, vt dixisti: Non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus Nam & catelli, seu, etenim catelli edunt de micis, quæ excidunt de mensa Dominorum suorum, non autem de pane. Totum ergo, quod Christus dixerat, concedit: nempe non esse bonum sumere panem filiorum & canibus immittere. Indicabat profectò Chananæa, se, catelli instar, non panem petere, sed micas, pane filiis relicto.

3. *De dominis puerorum micas cibantibus catellos.* *De mensa Dominorum suorum.*] Marcus, *De micis puerorum.* Vtrumque Chananæa dixit, Catelli edunt de micis puerorum quæ de mensa dominorum suorum excidunt. Quinam illi domini? Chrysostomus putat Chananæam Iudæos dominos appellare, quos Christus filios dixerat. *Anselm.* Anselmus, *Non mereor panem, nec sedere ad mensam: sed contenta sum reliquiis puerorum, quæ catulis assolent dari à Dominis.*

§. II.

Chananææ magna fides.

4. *Commendatur humilitas.* TVnc *respondens* IESVS, *ait illi. O mulier, magna est fides tua.*] Cum laude Dominus concessit, quod fœmina humiliter postularat. Nec enim vnquam humilitatem effugit commendatio. *Chrysost.* Chrysostomus homil. 38. in Gen. *Quam principio neque responso dignabatur Dominus, cum admirationibus, & laudibus admittit.*

5. *Magnitudo fidei Chananææ.* *Magna est fides tua.* Erat enim suprà naturam magna, *quod cum se videret, semel atque iterum à Christo esse repulsam: non segnior fuerit effecta, neque cesserit retrò: sed perseuerantia sedula Dominum prouocauit, vt voti compos fieret.* Sic Chrysostomus.

6. *Cur distulit miraculum? Chrysost.* Quare Dominus distolit miraculi patrationem? Chrysostomus, *Ideo tardauerat Dominus, vt tanta mulieris virtus appareret.* Et vt instaret precibus innuens orationis instantis vtilitatem.

7. *Fiat Dominicæ efficacia. Chrysost.* *Fiat tibi sicut vis.*] D. Chrysostomus, *Similis hæc vox illi: Fiat firmamentum.* Apostoli rogauerant pro fœmina precante, & consequuti non fuere: instat Chananæa & impetrat. Chrysostomus, *Impetrauit oratione, quod non intercessione Apostoli. Vult Dominus, pro nostris nexis à nobis magis rogari, quam ab aliis.*

8. *Marci lectio.* *Et sanata est filia eius ex illa hora.*] Marcus scribit. *Propter hunc sermonem, vade, exiit dæmonium à filia tua.* Vtrumque Dominus dixit hoc pacto: *O mulier, magna est fides tua, propter hunc sermonem vade, exiit dæmonium à filia tua.* Humili sermoni tuo hoc munus concedo. Credidit illa, domum redit, filiam à dæmonis vexatione reperit liberatam.

IN
IESVM COLLOQVENTEM
PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS
CIRCA LITERAM.

EX CHANANÆÆ FIDEI COMMENDATIONE.

OBSER

Observatio I.

Ad illa verba:

Etiam Domine. nam & catelli edunt de micis, &c.

Distulit Dominus Chananæam donare valetudine filiæ, vt illa preces multiplicaret.

Orationis enim instantia ita Deus delectatur, vt moras exerat elargitio, vti preces producantur.

9. AD domum, qua Dominus excipiebatur, priusquã in fines Tyri secederet, Chananæa accedit, precans filiam donari sanitate. Dominus non respondit. Sequuta est Saluatorem pergentem in Tyrum, querula preces multiplicat, nec ei Verbum Christus respondet. Instar fœmina, & Christus eam velut catellam videtur repellere. Tantane largitori munificentissimo tarditas ad conferendum munus? Tardat herele, quia orationis musica delectatur. Moram gerit in præstando, vt multiplicatis precibus, largitoris voluptas increscat.

10. *Iubet Dominus seruum, vxorẽ, filios, & omnia diuendi; vt preces sæpe funderet, ad omnia liberanda.* Matth 18.

Domino rationem ponenti cum seruis suis *oblatus est vnus, qui debebat ei decem millia talentu. Cum autem non haberet, vnde redderet; iussit, eum Dominus eius venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat: & reddi.* Matth. 18. O beri crudelitas: Nil habet miser, quod non afficiatur ærumna. Res familiaris diuendatur, sed reseruetur familia. Iam vidi filios ad parentis nutritionem vendi, sed vxorem, & ipsum debitorem pretio tradi, quis vnquam aspexit? Abulensis hinc, *Quæritur, cur dicatur, quod Dominus iussit venundari vxorem debitoris, & filios, & ipsum debitorem; nam videtur, hoc esse iniustum; quia homo pro debito non venditur, maximè illi, qui non contraxerunt debitum.* Profectò Dominus ipse reddidit solutionem quæstionis dum adiicit, *Procidens autem seruus ille, rogabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autem Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.* Orationis vi perficienda erat remissio. Vnde Dominus, cui precum vox dulcissima, iussit venundari seruum, vxorem, filios, & omnia vt multiplicandi pro singulis preces cogeretur, & Dei orationis musica diutius aures demulceret. Ad meam mentem Abulensem allicio. *Dixit hoc Dominus, ad incutiendum ei timorem; erat enim benignus Rex, & videns debitum, & impotentiam soluendi considerare voluit; & tamen noluit remittere sic simpliciter; sed voluit, quod debitor hoc faciendi causam daret. Et vt debitor magis impelleretur, ad supius rogandum, ei incussit timorem, quod vellet eum, & vxorem, & filios vendi; vt sic ille necessitate coactus, prouideret rogans Dominum, & ille dimitteret.* Pulchrè.

Abulens.

11. *Moratur in lucta Iacobi, vt multiplicaret ille preces.*

Cum Iacobo à Mesopotamia redeunte *vir luctabatur vsque manè. Qui cum videret, quod eum superare non posset, tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit. Dixitque ad eum, Dimitte me, iam enim ascendit Aurora.* Gen. 32. Vbi Thomas Angelicus, seu Thomas Angelicus, *Non puto, quod luctaretur cum eo, eo modo, quo communiter luctuntur: sed quod Deus in specie hominis apparens, precibus ceu uteractiuis manibus teneretur a Iacob.* Teneretur Deus à Iacob? An ne discederet? An ne illicò petita conferret? Ita planè. Preces Deum alliciunt à superis. Deum detinent, ne reuertatur: Deum detinent, ne illico petita concedat, vt delectatio capta ex nostris precibus producatur. Gen 32. Thomas. Anglic.

12. *Post diuturnitatem captiuitatis Israëlitas liberauit, vt precibus crebris iucundaretur.* Iudic. 3. Cyrill.

Seruierunt olim *filij Israël Eglon Regi Moab decem & octo annis. Et postea clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit eis saluatorem vocabulo Aod.* Iudic. 3. Cur Deus citius non prouidit Hebræis, sed clamorem illorum tandiu expectauit? Certè vt crebras preces profunderent, & orationis vocibus Numen delectarent. Cyrillus lib. 3. in Ioan. cap. 34. *Dicimus conuenienter, petitionem, & clamorem illorum expectatum fuisse.* Ideo distulit Deus beneficium, vt ad orationem quotidie excitaret. Docent Interpretes aptè verba illa: *Clamauerunt ad Dominum*, diuturnam totius populi precationem, & orationis voces replicatas significare. *Dicimus ergo petitionem, & clamorem expectatum fuisse.* Non dixit, expectatam populi conuersionem; sed petitionem, & clamorem; quo quidem Deus maximè delectatur.

13. *Postquam Deus iussit Angelo, vt populũ non perciteret, percutiebat ille; vt à Dauide vberiores, preces extorqueret.* 2. Reg. 24.

Angelo percutienti Dauidis subditos Deus ait, *sufficit, contine manum tuam.* At sacra addit Historia, *Dixitque Dauid ad Dominum, cum vidisset Angelum cædentem populum, Ego sum, qui peccaui, & ego inique egi; isti, qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur obsecro manus tua contra me.* 2. Reg. 24. Si Deus Angelo iussit. *Sufficit*, cur non continuit manum? An iubente Deo nè vltra Angelus percutiat, poterat Angelus vulnerare? Crediderim, iubente etiam Deo, Angelum adhuc vulnerasse, vt Dauid qui proculdubio iam ab initio calamitatis orauerat, ad vberiorem precum profusionem excitaret. Ambrosius ad Psal. 37. *Si mandauerat Dominus Angelo, vt parceret, quomodo feriebat adhuc Angelus? Quia Dominus, etsi vult ignoscere, vult rogari, & vt rogetur hortatur.* Ambros.

14. *Curauit Deus ad desertum chorum precantium pluriũ afferre, ad vberiorem voluptatem.* Gen. 21.

Cum Ismaël iam iam sitis æstu vitam ageret, *abiecit Agar puerum subter vnam arborum, quæ ibi erant, & abiit, seditque è regione procul; dixit enim. Non videbo morientem puerum: & sedens contra leuauit vocem suam, & fleuit.* Precanti autem Angelus, *Quid*, inquit, *agit Agar? Noli timere; exaudiuit enim Deus vocem pueri.* Gen. 21. Si Agar clamabat, quonammodo oratio pueri exauditur? Porrò Deus adeò precibus delectatur, vt vel orare vagientem puerum quasi confingat, vt multiplicatione precum amplius delectetur. Varias tunc voces precum adduxit ad chorum, voces Matris, pueri, Abrahami, & ipsam Domini promissionem. Pulchrè Lipomanus, *Fortissimis preco clamauit Agar, exaudiuit autem Dominus vocem pueri; cum non puer fleuisse, vel clamasse; sed mater scribatur. Sed clamabat ætas innocens, fides Abrahæ, promissio Dei, lacrymæ matris.* Quam ingratus post tot accepta munera, tot pressus calamitatibus, qui non semper exorat, vt Dominum tam immensa repleat voluptate! Lipomen.

Observatio II.

Ad illa verba:

Etiam Domine, nam & catelli comedunt de micis, &c.

Instat Chananæa, & vim quodammodo infert largitori.

Edocens, illos proculdubio Regnum cælorum consequi, qui vim facere Deo norunt.

15. Hieron.

EXponit sic D. Hieronymus, *Scio me* (Chananæa ait) *filiorum panem non mereri, nec integros posse capere cibos: nec sedere ad mensam cum Patre; sed contenta sum reliquiis catulorum, vt per humilitatem micarum ad panis integri veniam magnitudinem.* Consequuta igitur est fœmina, quod enixè precatur, quia vim quodammodò intulit Saluatori.

16. *Si Deus ad te non venerit, ad Deum veni, coge illum.* Matth. 15. Chrysost.

Respondit instanti Chananææ Dominus, *Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.* Matth. 15. Cur ergo Dominus Ethnicam Chananæam benignissimè tandem excepit, si non erat ad Gentiles immissus? Respondet Chrysostomus, *Quemadmodum rerum consequentia postulabat, ne ad Gentes primo proficisceretur: sic non erat humanitatis vltro venientes, & instantes repellere.* Si Deus ad te non venerit vltro, tu vltro ad Deum propera, coge, insta, vim infer. Nec enim tantæ erit humanitatis vltro venientes, & instantes repellere.

17. *Vim patitur Regnum.*

Fatur ipse, *A diebus Ioannis Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Matth. 11. Vbi Hieronymus, *Grandis violentia est, in terra genitos cælum quærere, & possidere per virtutem.* Ac si diceret, vt geniti in terra possint cœlo potiri, necessarium est, grandi vti violentia, precibus instare, opera replicare virtutis.

18. *Dominus cum voluit latere, non potuit, quia ei vim fecit gentilis mulier?*

Marcus sic Chananææ describit historiam. *Inde surgens Dominus, abiit in partes Tyri, & Sidonis, & ingressus domum, neminem scire voluit, & non potuit latere.* Cap. 7. Huiusce loci difficultatem Chrysologus obiecit serm. 100. *Voluit, & non potuit? Velle, & non posse, non est diuinæ maiestatis; est infirmitatis humanæ. Scriptum est enim, omnia quæcumque Dominus voluit, fecit in cælo, & in terra. Quomodo ergo possunt verba illa verificari: Neminem scire voluit, & non potuit latere?* Respondet acutè, *Audi ipsum dicentem: Non sum missus, nisi ad oues perditas domus Israël. Sed oues luporum contagione iam tabida laniare, & violare suum semper voluere Pastorem. Atque ideo velle suum Christus implere non poterat, non impossibilitate sua, sed nequitia perditorum. Et quod aliis detulerat, aliis conferre cogebatur, dicente ipso, Regnum cælorum vim patitur, & qui vim faciunt, diripiunt illud. Vim fecit fides Gentium, vt raperet hæreditatem Patris, vt ipsam hæreditatem totam diriperet filiorum.*

Preme particulam, *Vt ipsam hæreditatem totam diriperet filiorum.* Dixerat Dominus, *Non est bonum, sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Panis est filiorum hæreditas, Regnum scilicet cœlorum, siue salus æterna. Strabus, 19.
Panis Regnum salutis. Non est bonum, id est, *iniustum* dare Gentilibus Regnum salutis, quæ debetur Iudæis filiis. At illa vim infert, proclamans: *Etiam Domine, nam & catelli comedunt de micis.* Illa autem violentia Regnum abripuit, siue furti violentia sustulit à parente. *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi. Vim* (ait Chrysologus) *fecit fides Gentium, vt raperet hæreditatem Patris, vt ipsam hæreditatem totam diriperet filiorum.* Si virtutum replicatione, & precum instantia non studes vim Domino inferre, Regno cœlorum potiri non poteris.

Chananæa diripuit, vim inferens Domino, filiorum hæreditatem. Strab. Chrysol.

Observat. III.

Ad illa verba:

Etiam Domine, nam & catelli comedunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum, &c.

Ratione validissima obiecta Chananæa impetrat filiæ sanitatem.

Ratio enim apud Principes iustos plus valet qualibet intercessione.

PRecibus, & clamoribus curauerat Chananæa à Domino impetrare filiæ sanitatem. 20.
Qui non respondit ei verbum. Adhibentur Discipuli intercessores, Dominus autem fatur, *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.* Instat mulier postulans sibi misereri, Christus verò acriter pungens, canem illam appellat. *Non est bonum, &c.* At prudens fœmina adhibet validissimam rationem, *Nam & catelli comedunt de micis, &c.* Et illico impetrat quod precatur: *Fiat tibi, sicut vis.* Anselmus, *Etiam Domine, id est, verum est, me esse catellam, sed catella debentur micæ, quæ excidunt de mensa filiorum.* Nonne vides post tantam dilationem Dominum petitioni fœminæ annuere? Potentissima est apud Principis iusti tribunal à quolibet obiecta ratio.

Anselm.

Ait D. Basilius Seleuc. orat. 39. *Deus per naturæ legem boni, malique Rationem nobis indidit. Sui dominam, aurigandi gnaram, & restricem peroptimam.* Poterat ne queri natura humana nudam, atque infirmam ex vtero produisse, cum videat reliqua animantia in vtero arma reperisse, quibus possint cum hostibus repugnare? Minimè quidem, quia vnica Rationis vi armata, potest cum omnibus hominibus (si homines sunt; & non bruta) aperto Marte militare. Vt enim Cassiodorus lib. 12. Variar. epist. 1. ait. *Plus agit inculcator Rationis, quam possit exercere terribilis.*

21. *Vnica Ratione armatus homo, potest cum omnibus hostibus decertare.* Basil. Seleuc. Cassiod.

22. *Iobus audet cum Deo pugnare, Ratione obarmatus.* Iob.9.

A Deo Iobus laboribus actus, & ab amicis impugnatus, Rationis gladium stringit, & non solum in homines, sed in Deum putat quodammodo posse præualere. *Auferat à me virgam suam, & pauor eius non me terreat? loquar, & non timebo eum.* Cap.9. Vndenam tanta viro audacia? Certè quia Dei tribunal nostra est in Ratione collocatum, & iuxta Rationis prætextum, necessarium est Deum iudicem optimum iudicare. Ad hanc mentem allicior ex Græco Patre ad cap.1. Lucæ in cat. D.Thom. sententia, *Deitatis tribunal noster intellectus esse cognoscitur.* Id est, *nostra Ratio.* Quia sententia iudicis nostræ causæ Ratio est.

Græcus.

23. *Vel apparenti rationi Princeps Michael cessisse videtur.* Iud vers.9.

Michaël supremi Tribunalis agnoscens æquitatem ex tam frequenti ad illud animarum nostrarum adductione, morem gerit in cunctis. Cum ergo *Michael cum diabolo disputans, altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemia, sed dixit: Imperet tibi Deus.* Iudæ vers.9. Non audet Michaël iudicium ferre de blasphemia diaboli, sed ad æquissimum Dei tribunal remisit causæ resolutionem. Sic exposuit Oecumenius. Quare Michaël iudicium non tulit aduersus diabolum? Profectò Archangelus conabatur Moysi corpus honorificè pro meritis sepeliri, nolebat diabolus obiiciens, quod à se *percussum Ægyptium* inhumatum *abscondit in sabulo.* Exod.2. Ergo non debet, ait, sepeliri honorificè, qui proximi sui corpus inhumatum omisit. Audiens ergo sapientissimus Michaël hanc Rationis quandam speciem, (apparentem proculdubio) non est ausus contra diabolum ferre iudicium, sed Dei remisit causam tribunali discutiendam: *Imperet tibi Deus.*

Oecum.

24. *Deus est Ratio, quia Iudex, & Princeps.* Ioan.1. Tolet.

Nec mirum, Deum Deificasque creaturas Rationis hærescere sic præscriptioni, si Deus ipse Ratio sit. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Ioan.1. Vbi noster Card. Toletus, Verbum λόγος *varia significat sermonem, Orationem, Rationem.* Ratio Dei Filius appositè, & Ratio verè est, quia Iudex hominum, vt Deus è Patris intellectu nascitur: *& Verbum* (seu Ratio) *caro factum est*, eique Pater iudicium dedit gerere, *quia Filius hominis.* Monentur Principes, nunquam non rationis prætextu adhærescere.

Observatio IV.

Ad illa verba:

O mulier, magna est fides tua, fiat tibi, sicut vis.

Datur Chananææ catellæ filiorum panis, quia sese catellam esse professa est.

Quomodo enim poterat humilitas tanta sine tanta existere exultatione?

25. Anselm.

HVmilitatis affectu ait Anselmus Chananæam dixisse, *Etiam Domine, verum est, me esse catellam: Non mereor panem, vel sedere ad mensam, sed contenta sum reliquiis*, quæ assolent immitti catellis. Quid ait, ô fœmina? Audis panem filiis dandum & catellam te dicis, vt illo potiaris? An non audisti canes è dominicæ mensæ cœnaculo deturbari, *Foris canes?* Cura ergo ostendere, te ex Chan exortam aliquo modo ad Abrahamides ex Noë profluentes pertinere. O mulieris sapientiam! Vt filiorum pane potiri possit, se humili affectu canem aperuit; quia ex agnata humilitati exaltatione debebat ad filios eleuari, quæ se catellam profitebatur.

26. *Omnes sponsæ famulæ erant filiæ, quia se ancillas reputabant.* Cant. 3. Prou 31.

Fatur sponsus, *Filiæ Ierusalem, ne suscitetis dilectam.* Cant.3. Quænam illa dilecta, nisi anima iusta, quæ somno dulcissimo contemplationis addicta est? De anima filia dictum à sapiente, *Deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis.* Prouerb. 31. Quomodo ergo, si ancillæ sunt reliquæ familiares, eas pleno ore sponsus filias appellat? Profectò omnes erant filiæ veraciter, quia sese reputabant ancillas, & obsequium humile dominæ offerebant. Pulchrè Gillibertus serm.14. in Cant. *Eædem ergo ancillæ sunt, & filiæ; quia vbi maior est in adoptione dignatio, ibi iustior est in subiectione deuotio.* Liceat inuertere clausulas; *Quia vbi est iustior in subiectione deuotio, ibi maior est in adoptione dignatio.*

Gillib.

27. *Vt homines sint Dei filij, debent se homines labiles reputare.* Psal.81. Ioan.1.

Promisit Deus hominibus diuinæ filiationis dignitatem, *Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes. Vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus ex Principibus cadetis.* Psal.81. Ex mente Augustini sic sensus eliciendus: Eritis Dei filij, hanc enim Deus potestatem hominibus impertiit: *Dedit eis potestatem, filios Dei fieri.* Ioan.1. At si vultis ad tam augustæ dignitatis gloriam eleuari, debetis vos velut homines fragiles, imò vt dæmones canes æstimare. Moriamini prius, cadite: & humilitatis affectus vos ad Dei afferet filiationem. *Ad hoc* (ait Doctor Tract.1. in Ioan.) *ergo vocat nos Deus, ne simus homines. Sed tunc in melius non erimus homines, si prius nos homines esse agnoscamus, id est, vt ad illam celsitudinem ab humilitate surgamus: ne computemus nos aliquid esse cum nihil sumus; non solum non accipiamus, quod non sumus.* Ideo Chananæa quod erat amittere conabatur, dum sese canem esse clamabat.

August.

28. *Qui se non reputat labilem, à filiorum mensa deturbatur sicut David.* Psal.29.

Preme verbum, *Et sicut vnus ex Principibus cadetis.* Id est, vos æstimate casui obnoxios, sicut Principes Angeli ceciderunt. Nam qui se non reputat labilem, à filiorum mensa deturbabitur, quam inhit humilitas. Dauid inter principes Dei filios adnumeratus filiorum pane vescitur. Vnde cum panibus propositionis vesci efflagitaret, filio mundissimo Sacerdos panes tradidit absumendos; quia panis filiis præparatur. At oblitus se hominem, se casui obnoxium, ius ad filiorum mensam amisit. *Ego dixi in abundantia mea, Non mouebor in æternum.* Psal.29 Non cadam, qui mensæ hæresco filiorum, & pane reficior. *Auertisti* (addit) *manum tuam à me, & factus sum conturbatus.* Manus, quæ largiebatur panem filio auertitur, & Dauid è familia excluditur filiorum. Elegans Origenes homil.9. in Ezech. fatur. *Recedente quippe præsidio Dei, ille castissimus filius, ille admirabilis in pudicitia, qui audierat: si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus: & acceperat Eucharistiam,* (id est panes

Origen.

AD MARIAM DOMINAM
EPILOGVS.

DVM colloquia Christi ad reconciliandos homines exaudio aut cum Discipulis Ioannis, aut cum Doctoribus, Samaritana, Magdalena, Iudæis, Pharisæis, Philippo, Discipulis, Centurione, Chananæa, & aliis: video, quam iustè à Psalte labia Do-
Psalm.44. minica celebrantur: *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Psalm. 44.
Richard. Id quod de colloquente Maria necessario asseruerim. Richardus Laurent. lib. 2. *Habito respectu ad colloquium Mariæ cum Angelo, dictum est ei in Psalm. 44. Diffusa est gratia in labiis tuis. Gratia collectiuè, id est, vniuersitas gratiarum diffusa est, id est, non solum fusa per te, sed diffusa, id est, toti mundo abundanter distributa per te in labiis tuis, id est, in colloquio tuo, quo Deo Trinitati conciliatus est mundus, peruersi prius homines ad Deum conuersi: & qui primò sordescebant, à peccatis mundati. Sequitur, Propterea benedixit te Deus.* Labia Christi colloquentis verba vitalia homi-
Exod. 30. nibus profundebant? Sic colloquia Mariæ. *Facies* (ait Mosi
Ioseph. Deus *labium aneum ad lauandum, cum basi sua.* Exod. 30. Ait Iosephus, vndique habuisse specula multa, vt Sacerdotes in eo
Richard. abluti viderent, si adhuc aliqua macula remansisset. Richardus lib. 9. *Benè Maria Labium Ecclesiæ, quia in colloquiis eius diffusa est gratia. Hoc labium nobis loquitur verba vitæ. Ipsa est labium*
Soph. 3. *electum nobis promissum.* Soph. 3. *Reddam populis meis labium ele-*
Cant. 2. *ctum. Cui Filius dicit Cant. 2. Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, dum pro peccatoribus interpellas,* & cum peccatoribus colloquia texis, vt eos ad mentem meliorem adducas.

LAVS DEO, IESV, MARIÆ, IGNATIO,
IOSEPHO, ANTONIO.

R.P.